COMPENDIUM

THEOLOGIAE MORALIS

AUCTORE

FR. EUGENIO CORNELISSE O. F. M.

PROV. SS. MARTYRUM GORCOMIENSIUM IN HOLLANDIA

S. THEOL. LECTORE IUBILATO

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

WITHDRAWN

EX LIBRIS PROVINCIAE PRO STUDIO THEOL. S. S. CORDIS JESU.

240
C814c
v.2

TOMUS II.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

prope Florentiam

Ex Typographia Collegii S. Bonaventurae

1909.

Proprietas litteraria

14108

THEOLOGIA MORALIS DECALOGALIS.

DE IURE ET IUSTITIA.

MONITUM.

Sub hoc titulo praeterquam de VII° Decalogi praecepto de aliis etiam agimus, quae in praecedenti parte nondum vel partim solum exposita sunt et quae vel quatenus ad virtutem iustitiae spectant. Quia vero magnae hac in materia partes sunt iuris positivi civilis, satius duximus eam per modum exempli tractare secundum nostrum Ius Neerlandicum.

NOTIONES PRAEVIAE (1).

1. Ut quaelibet alia virtus iustitia specificatur, adeoque et explicatur per suum obiectum, quod est ius.

Definitur ius generice sumptum: potestas legitima ad aliquid, qua alii obligantur.

Distinguitur ius *activum,* quod est supra definitum: et *passivum,* quod est iuri activo correspondens aliorum debitum, quodque etiam *iustum* audit.

Vox « *aliquid* » in definitione indicat universe materiam iuris, seu obiectum remotum iustitiae; quae sunt tum res seu bona, tum actiones; utraque sive nostra sive aliena. — In sequentibus non semel id, quod dicitur de rebus vel bonis, dictum pariter intelligitur de actionibus.

Praetermisso sensu generalissimo quo iustitia accipitur pro omni virtute vel omnium virtutum complexu, sumitur late, proprie et stricte: cfr. n. 2, 4 et 6, III sqq.

(1) Sporer, Tr. IV, n. 1-41; Tr. VI, n. 1-4.

2. Iustitia *late* dicitur de omni virtute morali *ad alterum*. Hoc sensu est una ex virtutibus cardinalibus, ab aliis distincta, et comprehendit praeter iustitiam proprie dictam huius partes potentiales. Quae virtutes ad alterum in duplicem distinguuntur classem pro duplici genere debiti, legalis sc. et moralis.

3. Debitum *legale* dicitur ad quod reddendum alteri quis lege adstringitur ex eo, quod alter ius seu potestatem habet ad tale quid exigendum; *morale* quod quis debet alteri ex honestate virtutis et operantis tantum, absque iure vel potestate alterius illud exigendi.

1. Debita moralia *nulla* pertinent ad iustitiam proprie dictam, hoc ipso quod non fundantur in iure alterius. Spectant ad virtutes veracitatis, gratitudinis, liberalitatis, affabilitatis etc. Quarum virtutum obligatio ob dictam rationem est ex genere suo minor quam iustitiae proprie dictae.

2. Inter debita autem legalia *quaedam* talia seu tanta sunt, quibus *ad aequalitatem* satisfieri *non* possit; qualia sunt debita erga Deum, parentes, maiores. Haec, quamvis supponunt iura aliquo sensu strictissima, quia nim. omnium maxima, ob allatam tamen rationem non pertinent ad iustitiam proprie dictam, sed ad religionem, pietatem, observantiam, quo reducitur et obedientia. Verum etiam ob eamdem rationem istarum virtutum, si observantiam saltem pro parte excipias, obligatio ex genere suo maior est, quam iustitiae proprie dictae.

4. *Proprie* itaque — vel saltem magis proprie — iustitia dicitur de virtute, in qua sequentes *tres conditiones* concurrunt:

1. Diversitas seu alteritas personarum:

2. Debitum legale;

3. Aequalitas aliqua inter debitum unius et ius alterius.

Cuiusmodi triplex distinguitur virtus, correspondens triplici, quae in societate seu communitate distingui potest, habitudini.

Prima est habitudo *partium ad totum,* qua singulae partes seu cives debent aliquid communitati in ordine ad bonum commune. Quod debitum reddit *iustitia legalis* seu universalis, idque secundum *aequalitatem necessitatis*. — Dicitur *legalis,* quia hoc debitum per leges a superiore tum praestatur, tum determi-

natur pro subditis; *universalis,* quia omnes civium et omnium virtutum actus ordinat ad bonum commune.

Secunda est habitudo *totius ad partes,* qua ipsa communitas debet aliquid singulis partibus inter sese comparatis ex bonis communibus. Quod debitum reddit *iustitia distributiva,* idque secundum *aequalitatem geometricam* seu proportionum.

Tertia est habitudo *partium ad partes,* qua una pars seu civis privatus debet aliquid alteri parti seu civi privato. Quod debitum reddit *iustitia commutativa,* idque secundum *aequalitatem arithmeticam* seu rei ad rem.

Utraque posterior dicitur *particularis.*

Triplici huic iustitiae speciei convenit definitio tradita ab Ul- 5.
piano in Iure Romano: *constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.* — Ut inter se distinctae definiuntur:

Iustitia legalis: virtus moralis qua quis societati, cuius est membrum, tribuit, quod ipsi debetur ad bonum commune;

Iustitia distributiva: virtus moralis qua princeps vel magistratus bona et onera communitatis aequa proportione servata inter cives distribuunt;

Iustitia commutativa; virtus moralis qua suum cuique ius strictum secundum aequalitatem rei ad rem tribuitur.

Hae tres iustitiae tum ab omnibus aliis virtutibus tum *inter* 6.
se sunt specie morali distinctae. Habent enim diversa obiecta formalia, dum praeterea differunt ratione obiecti materialis et subiecti.

I. Legalis *iustitiae* 1° *obiectum formale* est *bonum commune;* quo proin differt tum a pietate, qua praestantur officia principi vel patriae ut principio, a quo subditi habent esse, vel a quo conservantur; tum ab obedientia qua praestantur officia ut legitima auctoritate praecepta; iustitia vero legali praestantur *officia ut corpori a suis membris debita.* Quae officia sunt eius obiectum *materiale.*

2° Bonum commune ut obiectum formale iustitiae legalis intelligitur bonum societatis *perfectae.* Ad bonum vero societatis imperfectae inclinat quidem virtus specialis; quae licet imitetur naturam iustitiae legalis, non tamen solet vocari eo nomine (1).

---

(1) De Lugo, Disp. I. sect. IV. n. 66.

3° Iustitia legalis in superiore et subditis est quidem *eadem virtus; at diverso modo* illis inest; sc.: in superiore principaliter et quasi architectonice, in subditis secundario et quasi administrative et executive (1).

4° Ne pro subditis iustitiae legalis *obligatio* plus aequo extendatur, observa hanc tum solum pro iis adesse, quando id quod praecipitur *directe* tendit in bonum commune, idque praecipitur lege *morali* ut distincta a mere poenali. Quare saepius non iustitiae legalis sed vèl obedientiae vèl iustitiae commutativae obligatio aderit, etiam in iis legibus servandis quarum latio pro superiore fuit actus iustitiae legalis.

II. Distributiva *iustitia* 1° proprie residet iu superiore; huius enim est distribuere *bona et onera communia*, quae sunt *obiectum materiale*, horumque *aequa* pro meritis et viribus subditorum *distributio* est obiectum *formale* huius virtutis. Est tamen eadem virtus in subditis, qui aequa distributione contenti sunt.

2° Magis proprie et directe iustitiae distributivae materia sunt *bona* quam onera communia. In illis enim distribuendis vere tribuitur suum cuique; in istis vero potius exigitur debitum, idque iustitiae legalis. Hinc etiam:

3° In *oneribus* communibus distribuendis suam partem habet utraque iustitia particularis; distributiva ut aequa pro viribus singulorum proportio servetur; commutativa ne plus aequo ab ullo exigatur

III. Commutativa *iustitia* est privatorum ad privatos: pro *obiecto materiali* habet *bona privata*, seu privatorum in haec bona ius strictum; obiectum *formale est aequalitas arithmetica* inter cuiusque ius et id quod alteri tribuitur. — Potest autem persona publica vel communitas sive perfecta sive imperfecta agere *qua persona privata* et consequenter cum ea qua persona privata agi.

Quo vero haec iustitia, de qua in sequentibus tantum non solum agitur, penitus intelligatur, eam cum aliis iustitiae speciebus accuratius etiam comparemus, sc. cum respectu ad tres conditiones, quas iustitia requirit (n. 4).

---

(1) S. Th. 2. 2. q. 58, a. 6. c.

Hae itaque tres iustitiae species inter se *conveniunt* in hoc 7.
quod in unaquaque concurrunt tres illae conditiones ad iustitiam requisitae. — *Differunt* vero iustitia legalis et distributiva a iustitia commutativa in hoc quod in istis minus perfecte, in hac perfecte tres illae conditiones adsunt, unde *sola* commutativa est iustitia stricte sumpta.

Nimirum *in duabus prioribus minus perfecta sunt* 1° *diversitas personarum;* non enim omnino altera sunt totum et partes; 2° *debitum,* hoc sensu quod neque communitas in bona membrorum, neque privatus ullus in bona communia ius strictum habet (n. sq.); 3° *aequalitas;* attendunt enim aequalitatem necessitatis respective et geometricam; sed harum neutra ita accurate determinari potest.

Quod vero *in iustitia commutativa haec tria perfecta sunt,* quoad 1^{m} per se patet, cum sit privati ad privatum; quoad 2^{m} vero et 3^{m} patebit ex dicendis de iure stricto quod, ut dictum, est obiectum huius virtutis. Scilicet:

Ius distinguitur in strictum et late dictum. 8.

Ius strictum, active et proprie sumptum, illud est quod cui in aliquam rem *exclusis ceteris* competit *in proprium commodum propter peculiarem connexionem,* quam res habet cum eo (1).

Ius late dictum est omne aliud ius, quod sc. non fundatur in *tali* connexione rei cum aliquo.

Ex notione iuris stricti, ex peculiari illa connexione, et ex 9.
illius — in hoc — ab omni alio iure differentia pronum est deducere:

1° Passive sumptum *ius strictum, idque solum, deberi cum aequalitate arithmetica,* seu rei ad rem. Tota enim et sola res quae — et in tantum, quantum — tali ratione cum aliquo connectitur, huic ita rigorose debetur.

2° *Ex solius iuris stricti violatione oriri obligationem restitutionis.* Eadem enim *illa connexio* postulat, ut iure violato res in pristinum statum restituantur. Aliis verbis: *bonum aequa-*

(1) Cfr. De Lugo. D. I. n. 5 sq.

litatis strictae servandae, quod est obiectum formale iustitiae commutativae, *aeque perseverat post ac ante* ius laesum; sicut *vetat ante* laesionem ne laedatur, ita *post eam iubet* ut reparetur, seu *urget donec* ius laesum est reparatum.

3° Ius strictum natura sua *conferre facultatem cogendi alterum* ad ius tribuendum. In societate tamen rite constituta illa facultas *ordinarie* non est facultas cogendi vi et propria auctoritate sed implorato iudicis officio. Ceterum quia et huius facultatis exercitio variae causae obstare possunt, v. gr. si legitima iuris probatio deficiat, si legislator cuidam iuri stricto actionem neget; quia praeterea legislator etiam iuri late dicto quandoque actionem civilem tribuit; ideo plerumque quidem, *non tamen semper* ius strictum et late dictum ex data vel negata actione civili *dignosci* possunt.

10. Ius iurisdictionis, — quo nomine hic complectimur ius tum paternum, tum herile, tum iurisdictionis proprie dictae — est, ut pariter ex dictis deducitur, ius *late dictum,* si consideretur cum respectu ad obligationem subditorum obediendi. Hoc enim debitum non est in commodum superiorum, sed subditorum.

Est tamen inter superiores et subditos obligatio *strictae* iustitiae, si considerentur non qua tales, sed *qua personae distinctae* sua singulae jura habentes. Quocirca sit

Observatio practica. Quoad iniustam laesionem vitae, famae et honoris delicta inter subdictos et superiores sunt peccata qualificata. Econtra furtum et similia peccata sunt tantum contra iustitiam; imo, ordinarie saltem, minora quam quae fiunt in damnum extraneorum, praecipue ea quae a filiis in damnum parentum committuntur. — Fieri tamen potest, ut etiam haec peccata sint qualificata, adeoque graviora.

Ius strictum — in bona fortunae — subdistinguitur in ius in re et ius ad rem.

11. *Ius in re* est illud quo rem ipsam directe nobis devinctam habemus, ita ut apud *quemcumque* res illa existat, ab eo reposci et vindicari possit.

Ius ad rem dicitur illud quo directe personam debitoris, non ipsam rem, nobis obligatam habemus in ordine ad aliquam rem, ita ut *a solo debitore,* non ab alio possessore rem il-

lam exigere possimus. Proprietarius v. g. habet ius *in re* sua. Quodsi haec furto auferatur, a quolibet detentore, etiam qui contractu rem obtinuit, eam revindicare potest. Quodsi forte res revindicari nequeat, fur tenetur similem rem substituere; in talem rem damnificatus habet ius *ad rem*.

Omnino itaque utriusque iuris indoli conforme est, quod ius civile iuri in re tribuit *actionem realem*, iuri ad rem *actionem personalem*.

Nota 1. Ius in re dicitur etiam *reale;* ius ad rem aliquando **12.**
personale, sed melius ius *in personam*, quia ius personale ordinarie intelligitur tale quod ad haeredes non transeat, neque aliis cedi possit.

Nota 2. Quaenam iura et quando realia habenda sint, magna parte pendet a dispositionibus iuris civilis.

Nota 3 *circa iuris stricti materiam:* a) haec generatim est quidquid hominis commodo servire potest.

b) Distingui adhuc potest ius universale et particulare.

Ius universale, quod et naturale audit, est quod ex iure naturae *cuilibet homini* competit 1° circa quasdam res usus inexhausti, ut aërem, lucem; in tantum sc. ut nemo alium impedire possit, quominus huiusmodi rebus fruatur; et 2° in necessitate extrema circa res quaslibet, ut rebus necessariis utatur.

Ab hoc differt *ius particulare*, quod alicui competit *exclusis ceteris* propter *peculiarem* connexionem; quod ideo et ius proprietatis dicitur. — De posteriori hic agitur. Cfr. definitio iuris stricti n. 8.

c) *Ius in re*, ut distinctum a iure ad rem, requirit rem existentem et in individuo determinatam.

Iustitia vindicativa, quam vocant, a nonnullis ut quarta **13.**
inter species iustitiae connumeratur; ab aliis ad tres explicatas iam species reducitur; sc. ad legalem, quatenus princeps reos puniendo bonum commune in futurum tuetur; ad distributivam, quatenus condignam pro rata culpa poenam infligit; ad commutativam, quatenus reum non ultra meritum punit. Proprie autem dicenda videtur virtus specialis et pars potentialis iustitiae. — *In personis privatis* haec virtus dicitur *vindicatio* (1).

---

(1) Cfr. S. Th. 2. 2. q. 108, a. 2

14. In sequentibus, nisi aliud exprimatur, dicemus semper de iustitia stricta seu commutativa, quam et plerumque solo iustitiae nomine vocabimus.

Praevie autem tria notamus:

I. *Circa concursum* iustitiae cum aliis virtutibus. – In uno eodemque actu saepe iustitia stricta cum aliis virtutibus, maxime cum aliis iustitiae speciebus concurrit. Quod dependet

1° *ab indole materiae,* circa quam actus versatur; ut in praecedentibus iam notavimus;

2° *a contractu* expresso vel tacito, qui intervenit. Ad quod in pluribus officiis maxime attendendum.

II. Circa ius principis in hac materia. — Quum potestas iurisdictionis civilis necessario tanta sit, seu eatenus extendatur, quatenus fini societatis, bono publico, congruit, resolvendum est: princeps sua suprema auctoritate potest, ita exigente vel suadente bono communi,

1° civium dominium, seu eorum in sua bona iura, quoad *usum* legibus *definire* et coarctare; idque ita ut pro aliis oriatur ius strictum ad hoc ut dominus in usu sui iuris limites lege statutos servet;

2° *bona* seu iura privatorum ab uno in alium *transferre;*

3° cives *bonis suis expropriare,* publicae necessitatis causâ, salvâ tamen compensatione.

Quae leges tum ex stricta iustitia servandae sunt. Ita communiter theologi docuerunt semper (1) et docent.

Verum inter recentiores sunt, pauci tamen, qui hic duplex moveant dubium, iuris nim. et facti.

a) *Quaestio iuris.* Recentiores illi principis potestatem ita *ad casum necessitatis restringunt,* ut legem pro iniusta et proin invalida habeant — ex toto vel ex parte — si id quod disponit non videatur necessarium, vel, quod magis ad praesentem quaestionem spectat, si *talis* lex non sit omnino necessaria, puta in casu, si loco legis *iurium determinativae* sufficeret absolute lex *obligans, sive moralis sive poenalis.*

Sed 1° cum communiter semper theologi requisitam legis necessitatem latius intellexerint, nim. de eius utilitate ad bonum commune; et 2° leges etiam determinativas iurium generatim ut iustas et validas semper habue-

---

(1) « Cum eiusmodi potestas in principe humano *ab omnibus* concedatur ». De Lugo, VII n. 5.

rint; cum praeterea 3° lege semel lata praesumptio stet pro ea, hinc recentiores illi non satisfaciunt negata illa necessitate stricta leges reiiciendo, sed probare debent suam novam opinionem. *Neganti incumbit probatio.*

b) *Quaestio facti. Dubitant* nonnulli 1° num *legislator noster intenderit* leges iurium determinativas aliquas condere, an solum obligantes, morales vel poenales. — Quodsi hoc revera quandoque intenderit, *dubitant* 2° talesne leges, si minus ipsius legislatoris mutata de rebus ad conscientiam spectantibus sentiendi ratione, *saltem consuetudine* mutatae sint, seu ex determinativis obligantes evaserint.

Ad haec, imprimis quod *ex atheismo* legislatoris moderni deducere conantur *omnes* leges hodie in plerisque regionibus esse mere poenales (1), *annoto* 1°, *pro nostra saltem patria* — Deo sit gratia — illud argumentum eiusque suppositum *certo non subsistere.* — *Annoto* 2°, si legislator obligationem in conscientia inducere revera quacumque de causa non intenderit, quoad leges de quibus iam est quaestio haec intentio non requiritur, sed *sufficit intentio statuendi ius,* ex quo iure tunc *sequitur* obligatio conscientiae. Iam ergo

Ad 1^m^, a) Legislatorem nostrum voluisse statuere ius quoad aliquas saltem leges, nemo est, quod sciam, qui in dubium vocet. Quodsi de aliquibus dubitatur, hoc aptius suis locis notabimus.

b) Quoad alias vero leges circa quas solum dubitari potest moralesne an poenales tantum habendae sint, *concedo* hodie *cum ratione praesumi generatim* has leges ex intentione legislatoris moderni haberi *posse* ut *poenales.*

Ad 2^m^. Hoc fieri potuisse vel posse, facile concesserim (2); sed hoc *factum esse* quoad leges de quibus sermo est, nemo quod sciam hucusque testatus est.

Plures quidem monent, idque merito certe, attendendum esse in casibus occurrentibus *ad bonam fidem* agentium. — Sed aliud est, quandoque vel etiam saepius agentes excusari ob bonam fidem, aliud legem abrogari vel ei derogari ob contrariam consuetudinem.

Concludo in *nostro* iure *etiamnum* esse *aliquas saltem* leges iulium *determinativas,* easque *iustas et validas.* — Dubia sive quoad intentionem legislatoris sive quoad iustitiam nonnullarum legum in particulari suis locis notabimus.

III. Circa ius patrium nostrum. — Ad initium usque saeculi XIX non existebat in patria nostra legislatio communis; sed varia in variis tum provinciis tum etiam provinciarum partibus vigebant iura sive scripta sive non-scripta; et vim saltem subsidiariam habebat jus Romanum.

Anno 1809 inductus est Codex Napoleonticus pro Hollandia mutatus, simulque abrogatum ius Romanum.

---

(1) Cfr. Konings. I n. 178, qui tamen *dubitanter* loquitur: « Non immerito forte quis contenderet » etc.

(2) Notaverim tamen *penes nos* consuetudinem non creare ius, nisi lex ipsa hoc declaret. Wet houdende algemeene bepalingen der wetgeving, art. 3.

Ab anno 1804 respective vel anni 1811 die 1ª Ianuarii aut 1ª Martii, prout variae provinciae harumve partes imperio Gallico subiectae fuere, viguit Codex Gallicus, qui primo « *Code civil des Français* », dein ab anno 1807 « *Code Napoléon* » audiebat.

Etiam post Regni recuperatam libertatem retentum est ius Gallicum, quod nonnisi 1ª Octobris 1838, pro Limburgia 1ª Ianuarii 1842 abrogatum est inducto Codice Neerlandico iuris civilis et mercatorii.

TRACTATUS I.

DE IURE IN RE.

Iura in re in nostro iure sunt: ius possessionis, domi- 15.
nii, hereditatis, ususfructus, servitutis, pignoris, hypothecae. Art. 584. — Praeterea ius superficiei, emphyteusis, census realis et decimae, usus et habitationis, debiti privilegiati. — De quorum plerisque in hoc, de reliquis in sequenti vel tertio Tractatu dicemus.

SECTIO I. DE DOMINIO.

CAPUT PRIMUM.

NOTIO ET OBIECTUM (1).

(*Art.* 625 *sqq.*).

I. **Dominium** — ut iurisdictioni oppositum etiam proprietas 16.
dicta — *late* dicitur de omni iure reali; *proprie* sumptum ab omni alio iure differt non solum ut maius a minori, sed

1° Ut principale ab accessoriis. Est nim. caput et fons omnium aliorum iurium, quae omnia per se illud consequuntur seu comitantur; vel — si ab eo seiuncta — ab eo derivant eique subordinantur.

2° Obiecto; alia iura pro obiecto habent usum, fructus vel commoda rei; dominium vero semper et saltem ipsam rei

(1) Sporer, Tr. VI, n. 7 sqq. et n. 116 sqq.

substantiam. Ideo et *proprietas* dicitur, quia vere facit rem alicuius propriam. Ut iam insinuatum:

II. Distinguitur *plenum*, quod de facto omnia iura complectitur; et *non-plenum*, quod est uno vel pluribus iuribus per se ei annexis diminutum. Posterius itaque variis modis occurrere potest.

Dominium plenum breviter definiri posset: ius in re plenum. Longius plerumque describitur; uti in Cod. Nl. art. 625: ius re fruendi et de ea modo maxime absoluto disponendi; excepto tamen usu legibus vel publicis edictis contrario, vel quo iura aliorum laederentur. — Eodem sensu describit Ius Rom.: ius utendi et abutendi re sua, quatenus iuris ratio patitur.

Dominium non-plenum, quatenus ipsam saltem rei substantiam afficit, dicitur dominium *directum* vel *radicale;* si est in solam substantiam rei, *nudum* audit.

Ut iam dictum, alia etiam iura in re, praesertim autem usus-fructus, quandoque dicuntur dominium, sed minus proprie, et plerumque addito: *indirectum* vel *utile.*

Nomine dominii sine addito modo dominium plenum, modo dominium radicale tantum intelligitur.

III. Regulae per se pro dominio valentes sunt: 1. res domino stat aut perit: — 2. res clamat domino; — 3. res fructificat domino: — 4. ex re aliena nemo, invito domino, locupletari debet.

17. **Condominium** proprie dictum, i. e. pro indiviso habetur, quando plures eiusdem rei indivisae pro sua quisque parte dominium habent. Quale v. gr. est dominium plurium heredum respectu hereditatis nondum divisae. — Pro quo per se valent sequentes Regulae: 1° Singuli consortes omnibus et singulis communionis *bonis* uti et frui possunt, non vero abuti, neque sine consortium consensu alienare, obligare, vel pro suo cuiusque lucro aut commodo frui.

2° Possunt tamen tum *ius* partiale suum alienare; tum communionis solutionem petere, nisi obstet specialis contractus, qui pro quinquennio tantum iniri, sed eo finito semper renovari potest.

Divisione bonorum facta, si domini rebus suis communiter uti et frui pergant, habetur *condominium* pro diviso et improprie dictum.

NB. Etiam ius principis, de quo n. 14, II, dicitur *dominium, altum* sc. vel eminens, sed *valde improprie.*

Res, quae dominii vel saltem iuris stricti obiectum constituere 18.
possunt, distinguuntur

a) *A Theologis* I. *Interiores* sc. 1° bona animae, 2° bona corporis, 3° bona famae et honoris; et

II. *Exteriores,* sc. bona fortunae.

b) *In lege,* ubi rerum nomine veniunt etiam iura in bona fortunae, I. *corporeae* et *incorporeae;*

II. *mobiles* et *immobiles.*

III. *Mobiles subdistinguuntur*: aliarum enim usus (proprius) est ipsa earum consumptio, ut tritici; aliarum non est, uti instrumentorum artium: *(verbruikbare en onverbruikbare)* seu *consumptibiles et inconsumptibiles.*

Non habet codex divisionem in res *fungibiles,* quarum sc. una alterius eiusdem speciei vice fungi potest, (eo quod non refert, quaenam in individuo res, modo eiusdem speciei, habeatur) qualis praecipue est pecunia; et *non-fungibiles.* Quam divisionem cum praecedente confundere videtur. Cfr. artt. 1463 et 1791.

I. Immobiles sunt res 1° aliae *naturâ suâ,* ad quam clas- 19.
sem codex refert generatim quidquid fundo vel aedificio radicibus adhaeret vel clavis affixum est *(aard-of nagelvast).*

2° Aliae *destinatione,* eae sc. generatim quae rei immobili ad stabilem usum sunt adiunctae.

3° Aliae *relatione,* quam habent cum re immobili. Sc. non solum ipsa iura realia in re immobili, sed etiam iura ad rem immobilem.

II. Mobiles sunt res 1° aliae *naturâ suâ.*

2° Aliae *dispositione legis,* qua praecipue tales habentur iura in re mobili vel ad rem mobilem. Praeterea partes *(actiën of aandeelen)* in societatibus quarum finis est commercium *(geld- of koophandel)* vel industria, etiamsi ad societatem pertineant et immobilia; — sed quoad haec solum quamdiu durat societas; cessante societate cuiusque socii ius partiale quantum ad immobilia iterum res immobilis habetur.

NB. Quoad iura, quae lege rebus mobilibus accensentur, nihil facit quod iure hypothecae munita sint. Ceterum codex magis di-

stinctam tradit mobilium et immobilium notionem, artt. 562-567; item determinatam quarumdam locutionum significationem, (inboedel — meubelen of huisraad — een huis met al hetgeen zich daarin bevindt — stoffeering — een gemeubileerd huis of een huis met zijne meubelen) artt. 570-574.

Quae omnes codicis dispositiones, cum strictum ius circumscribant, in foro conscientiae servari respective possunt vel debent. Cfr. n. 14, II.

20. I. Obiectum dominii proprie dicti constituunt *bona fortunae,* sc. res exteriores omnes, modo 1° res sit capax occupationis, seu hominis potestati subiici possit; 2° possit esse utilis; 3° non sit usus inexhausti. Cfr. n. 12, nota 3. — Porro homini naturaliter competere ut harum rerum dominium habere possit, hoc probatum supponimus in ethica.

II. *Non dominium* proprie dictum, sed *ius strictum* tamen habet, vel habere potest

1° quisque *in bona propria animae et corporis,* seu in vitam et corporis membra; a quibus distinguas actus humanos de quibus Tom. I, Tr. I diximus.

2° homo *in hominem.* Haberi potest ius in opera alterius, idque perpetuum etiam ex lege naturae, temporaneum solum ex iure civili nostro. Cfr. Tr. sq.

3° De *fama et honore* alii aliter loquuntur. Sed dissensus est vèl mere apparens et in verbis, vèl certe mere speculativus. Omnes nim. concedunt haberi ius strictum. — Astruentes autem dominium

a) Dominium proprie dictum non ita clare distinguunt a iure stricto generatim sumpto.

b) Non afferunt argumenta nisi ius strictum in genere probantia.

c) Confundere videntur duas res diversas, sc. dominium *rei* cum dominio *iuris* i. e. libera potestate eo utendi vel non utendi etc.

Advertunt etiam omnes hoc ius esse pluribus charitatis praesertim et iustitiae officiis ligatum.

21. Quaer. quod sit ius auctorum (scriptorum et inventorum) in fructus sui ingenii?

Resp. I. Ex iure naturae scriptor et inventor

1° *certe ius strictum* habent, a) ne quis ipsorum *arcanum* aut invadat, aut quod forte ex communicatione auctoris vel fraude cognoverit, palam faciat; — b) *ad restitutionem, si* praedicto iure violato damnum inde sequatur, puta: privatio lucri ex vulgatione sperati.

2° *Si ipse* auctor opus suum *palam fecit,* num ipsi ius strictum maneat, ne eo invito ulterius divulgetur, *controvertitur.*

Alii affirmant, quia ex una parte sicut auctor ius habet in ipsum opus tanquam fructum sui ingenii, ita et in fructus sui operis seu in mercedem; ex altera vero parte vulgando non consentit nisi in usus, qui sibi non praeiudicent (1).

Alii negant, tum quia opus vulgatum eo ipso fit publici iuris, seu cedit in usum communem; tum quia fit acquirentium proprietas, qui proin de eo ad libitum disponere possunt.

Ceterum etsi concedatur in hypothesi auctori aliquod ius strictum ex iure naturae, vix aut ne vix quidem illius iuris limites definiri possunt (2). Quare et omnes consentiunt, tantum non necessarium fuisse, ut ius positivum hos limites statueret.

II. Ex iure civili in plerisque regnis auctores privilegia quaedam habent, vel, modo conditionibus lege statutis satisfaciant, obtinere possunt, sc.

A. — Inventor artis vel industriae habet

1° *Ius ut solus* artem vel industriam a se inventam *exerceat,* resque confectas *in commercium inducat (Brevet, octrooi).* Praeterea

2° Quisque obtinere potest *ius sigilli mercatorii,* quo sc. ipse solus res a se confectas, vel quas vendit, signet (3).

Pro patria nostra nota:

a) Privilegium, de quo sub 1°, lege 15 Iulii 1869 est abrogatum. Antea tributa prorogari tamen possunt.

b) Adhaesit gubernium nostrum pacto quo inter plura regna convenit, ut in iis omnibus omnes eorumdem cives fruantur iisdem iuribus, quae respectiva gubernia suis civibus concedunt (4).

---

(1) Cfr. Lehmkuhl, I. n. 905.

(2) Waffelaert restringit ad fructus primae publicationis. I. n. 173.

(3) Wet v. 25 Mei 1880, Stsbl. n. 85, houdende bepalingen op de handelsen fabrieksmerken.

(4) Vide Wet v. 23 April 1884. Stabl. 53.

B. Pro scriptoribus apud nos distinguendum est inter opera inedita et alia iam typis vulgata.

1° Ius typis vulgandi a) *manuscripta* quibus aequiparantur vivae vocis orationes, lex *absolute* tribuit *soli* auctori eiusque causam habentibus ius, ut ipsi *soli* opus *typis vulgent* (1).

Quod ius extenditur *ad versiones edendas*. Id autem quoad opera typis vulgata restringitur ad versiones in eas linguas, quas in editionis principalis pagina initiali vel involucro nominatim reservat; atque cessat si intra triennium post principalem editionem suam ipsius versionem non edat.

b) *In opus typis vulgatum* ut ius illud servetur, satisfaciendum est conditionibus art. 10 statutis.

2° Perdurat ius auctoris *(auteursrecht)* a) *in libros typis vulgatos* per 50 annos a prima editione (2) computandos: pro ipso tamen scriptore, qui ius suum non alienavit, ad vitam;

b) *In opera non vulgata* per 30 annos post obitum scriptoris;

c. *In versiones operum typis non vulgatorum* tamdiu durat, quandiu ius in ipsum opus; *vulgatorum* per 5 annos.

3° Munitum est ius auctoris tum actione civili tum poena statuta.

Nota 1° Satis conveniunt AA. has iuris civilis dispositiones ligare in conscientia, idque *ex stricta iustitia,* poenis tamen exceptis usque ad iudicis sententiam latam.

2° Vi pacti inter plura regna initi ius scriptoris in suo regno obtentum in aliis quoque regnis tutum est. Nostrum autem regnum hodiedum nonnisi cum Belgio tali pacto ligatur. (28 Dec. 1858).

CAPUT SECUNDUM.

DOMINII SUBIECTUM (3).

22. Omnis homo est dominii capax tum iure naturali, tum iure civili nostro, ex quo imo *sufficit conceptum esse;* attamen mortuus editus censetur numquam extitisse. Art. 3; cfr. 4.

(1) Wet v. 28 Iunii 1881, Stsbl. 124.
(2) Vide art. 13.
(3) Sporer, Tr. VI, n. 34 sqq.

ARTICULUS I.

De filiis familias minorennibus.

(*Art.* 362 sqq.; 385 sqq.; secundum legem 6 Febr. 1901, Stbl. n. 62; quae vigere coepit 1 Dec. 1905).

Praevia. I. In nostro iure filii sunt minorennes usque ad annum 21^{m} (1) completum, nisi ante emancipati vel coniugati sunt. Art. 385, 473 sqq. (2). 23.

II. Ex art. 354 sqq. 1° durante matrimonio parentum minorennis usque ad suam maiorennitatem manet sub eorum potestate in quantum ab hac non sunt liberati vel depositi (*ontheven of ontzet*).

2° Excepto casu liberationis vel depositionis, et salvis statutis pro casu separationis a mensa et thoro, hanc potestatem *solus pater* exercet.

3° Quodsi pater non potest potestatem parentalem (*ouderlijke macht*) (3) exercere, haec, excepto casu separationis a mensa et thoro, exercetur a *matre*.

4° Si hoc neque mater potest vel ei non licet, instituitur *tutor* secundum statuta art, 413.

Et generatim ex art. 385 minorennes illi qui non subsunt potestati parentali, tutelae subsunt.

Praeterea ex art. 385 b. in unaquaque regione *(arrondissement)* est unum saltem concilium tutelare *(voogdijraad)*.

---

(1) Antea: 23^{m}.

(2) Emancipatio est duplex: 1° *maior*, venia aetatis dicta, qua minorennis fit sui iuris seu maiorennis (excepto matrimonio: art. 478), per Summam Curiam (Hooge Raad) a Rege obtineri potest non tamen nisi post annum 20^{m} completum: 2° *minor* qua quaedam solum determinata iura tribuuntur, post 18^{m} annum completum a iudice territorii (*kantourechter*) obtineri potest. Art. 473 sqq. — Matrimonio ante dictam aetatem soluto, non redeunt ad statum minorennium. Art. 385.

(3) Ex lege cit. art. 1: «Overal waar in wetten of wettelijke voorschriften de uitdrukking «de vaderlijke magt» voorkomt, wordt daaronder verstaan «de ouderlijke magt».

Maiorennes sunt sui iuris; si tamen agitur de matrimonio contrahendo ante annum 30^{m} completum, vide art. 99 sqq., et cfr. Tr. de Matrim.

Iam sequuntur eae quae magis speciatim spectant ad dominium minorennium

24. **Regulae iuris.** I. Minorennes habent dominium saltem directum omnium bonorum ipsis legitime obvenientium.

II. Habent plerumque solum nudum dominium plerorumque bonorum suorum, quamdiu nempe et in quantum in eorum bona ius fructuum pertinet ad alterutrum vel utrumque parentem, Cfr. scholion seq.

III. Non habent bonorum suorum administrationem, quae pertinet ad patrem vel matrem, tutorem vel eum aut eos, quos donator vel testator designavit vel designari voluit.

NB. Ius fructuum est strictum, administrationis est late dictum.

25. In res a parentibus (ex horum bonis) filiis concessas *quale ius* his competat, — consequenter *quale* et quantum *peccatum* harum rerum *abusu* committant — dependet a mente parentum expressa vel praesumpta.

Resolves: iustitiam laedere *filius* a) *non censetur* abutendo minutis illis rebus vel etiam parva illa pecunia *(zakgeld)*, quae in recreationem dari illi solent; — b) *censetur*, abutendo rebus ad peculiarem usum concessis, ut vestibus, libris, pecunia studii intuitu ei commissa, vel generatim rebus necessariis comparandis destinata.

26. Quaer. quodnam sit *ius filii, qui* communem cum patre artem *vel industriam exercet?* — Abstrahendo a pacto

Resp. 1. Ius non habet ad ratam partem lucri; non enim est socius *(vennoot)* cum patre.

2. Neque ad mercedem seu stipendium peculiare, *si* eius labor aliunde *compensetur*, ut victu vel etiam aequali fratrum labore indeque hereditatis augmento.

3. *Si non compensetur* labor, certo ius habet ex lege naturae, nisi iuri suo renuntiaverit, — ad quod ex pietate teneri potest; — et ut videtur etiam ex iure civili nostro, quia nullibi

ius ad stipendium in hypothesi filiis aufertur; sed quae filii hoc modo acquirunt, in ea parentibus solum tribuitur ius fructuum vel administrationis.

Nota 1° Filii et patris laborem vel industriam tunc solum communia existimo dicenda, quando filius ea ut mandatarius vel adiutor patris, unacum eo, vel eius loco et nomine exercet. Neque refert, utrum filius in domo paterna an extra eam laboret.

Huc igitur refero quidem casum filii, cuius ut operarii sui (*knecht*) operas pater ut opifex (*baas*) alteri locavit; non vero casum filii qua famuli in alienam familiam adscissi, etiamsi pro filio parentes contractum inierunt; neque casum filii proprio nomine operas suas locantis. Cfr. Marres I n. 29; V. Egeren-n. 219 sq.

2° Compensatio occulta generatim filiis dissuadenda, et saepe ut contraria obedientiae vel pietati prohibenda. Post factum tamen applicentur principia hic tradita et alia tradenda in Tr. III.

3° Potius, quando aequitas postulare videtur, ut filii labor stipendio vel lucri parte compensetur, suaderi quandoque poterit pactum inter patrem et filium ineundum: puta si alii fratres otiantur, vel ipsi sua negotia gerunt etc.

SCHOLION.

De iure parentum in bona filiorum.

(*Art.* 366-374),

I. Ius. Pater vel mater qui vel quae potestatem parentalem 27.
vel tutelam exercet, habet ius fructuum (1) in bona filiorum (legitimorum: art. 374).

Casu quo uterque parentum a potestate parentali vel tutela est liberatus (*ontheven*), uterque hoc ius habet.

Liberatio patris vel matris potestatem parentalem vel tutelam exercentis, dum alter parentum defunctus vel a potestate parentali aut tutela est depositus (*ontzet*), non influit in ius fructuum. Art. 366 (2).

---

(1) Consulto abstineo a voce *ususfructus;* tum quia nec codex unquam hoc ius vocat *vruchtgebruik* verum semper *vruchtgenot*; tum maxime quia revera, ut nonnulli iurisperiti diserte docent, ius quod hic parentibus tribuitur, non est proprie dictum ius *reale* ususfructus, sed cum eo solum convenit quoad facultatem utendi et fruendi bonis filiorum. Vid. Diephuis N. B. R., V pag. 188 sqq. Aliter Opzoomer II pag. 272. Nota 3.

(2) Ante 1 Dec. 1905 hoc ius fructuum durabat tantum ad minorennium annum 20^{m} completum, horumve matrimonium initum, atque solus pater durante matrimonio, et solummodo hoc soluto superstes, sive pater sive mater, hoc iure gaudebat; si tamen matrimonium divortio (quasi) solutum erat, hoc ius ad matrem non transibat nisi post mortem patris.

II. Onera annexa sunt: 1° ea generatim quae usufructuariis incumbunt.

2° Sustentatio et educatio filiorum iuxta *horum* fortunam.

3° Solutio censuum (*renten*) et fenerum sortium (*interessen van hoofdsommen*).

4° Sumptus funerarii filii. Sumptus ultimi morbi comprehensi intelliguntur sub 2°.

III. Excluduntur ab hoc iure 1° bona *spuriorum,* etsi legitime agniti sint.

2° Bona, quae filii *privato* labore vel industria acquirunt. Cfr. n. pr. Quo referri potest pecunia parsimonia congesta et instituto publico (*Rijkspostspaarbank*) credita (1).

3° Quae accipiunt ea *conditione expressa,* ut parentes iis non fruantur.

4° Quae obtinent ex hereditate, a qua parentes ut *indigni exclusi* sunt. Art. 887; cfr. n. 99, 2, II.

IV. a) Cessat ius parentum 1° ipso iure secundum dicta; praeterea

2° Morte filiorum in quo differt ab usufructu proprie dicto.

b) Amittitur a superstite coniugum, qui post mortem compartis conficere intra tres menses *negligit inventarium* bonorum (2).

Nota. Amisso iure fructuum iudex territorii (*kantonrechter*) potest tribuere parenti superstiti annuum stipendium ex filiorum reditibus quod horum educationi impendat.

28. Quaer. num iustitiam laedat parens, qui continuat ius fructuum, quod ex lege cessavit vel amissum est?

Resp. 1° Certe affirmandum videtur pro casibus, quibus ius cessavit (n. pr. IV a); quia arrogaretur ius tempore pro quo non est, nec unquam fuit concessum.

2° Pro casu quo amittitur, puto probabiliter negari *usque* ad iudicis sententiam latam, quia agitur de poena. Cfr. Marres, n. 32; V. Egeren. n. 214; Tract. Busc. pag. 20.

---

(1) Wet van 25 Mei 1880 (Stsbl. n. 88) art. 9.

(2) Antea amittebatur quoque tum a *matre,* quae ad secundas nuptias transibat, tum a *coniuge,* contra quem divortii sententia erat lata.

Ob eamdem rationem censet cl. Marres obligationem parentum *etiam post* sententiam latam esse obedientiae, non strictae iustitiae. Quod videri potest *probabile*. *Verum* quia latâ sententiâ filii restitui videntur in suo iure pleno, quod sola lege civili restrictum erat, potius dico esse obligationem strictae iustitiae. — Aliud foret, si inde sequeretur, ut parentes ex solis suis bonis filios propria bona habentes alere et educare cogerentur. Sed enim hoc neque ex dispositione legis necessario sequi, neque a legislatore intendi patet ex dicto in Nota post n. pr.

Nota pro praxi. In omni hypothesi attendatur semper ad *bonam fidem* parentum, necnon ad *remissionem* tacitam forte rationabiliter praesumendam ex parte filiorum.

ARTICULUS II.

DE CONIUGIBUS.

Duplex generatim in nostro iure quoad bonorum dominium aliave iura coniugum distingui potest regimen: *legale*, quod ipso iure seu lege, et *conventionale*, quod pacto nuptiali *(huwelijksche voorwaarden)* inducitur et determinatur.

§ 1. — *De Regimine Legali.*

Notio regiminis legalis. I. Est universalis communio et bonorum et onerum, tum praesentium cum acquirendorum (etiam gratis, nisi testator vel donator aliud diserte stipulatus sit) vel oriundorum. 29.

Hoc regimen, seu haec legalis communio vi legis *per se* inter coniuges viget, nisi sc. ipsi pacto nuptiali aliter expresse convenerint.

II. Maritus solus bona communitatis administrat; quae administratio, extra casus lege (infra III) vel pacto nuptiali (n. 31 V) exceptos, se extendit ad actus dominii, *ac si maritus esset solus dominus*. Potest sc. bona communia vendere, alienare et obligare; idque sine concursu uxoris excepto casu art. 195, al. c. (infra n. 31,

V). Neque umquam sive durante sive soluta communione gestionis suae rationem reddere tenetur.

III. Verum ex ipsa lege non potest donatione inter vivos disponere sive de immobilibus, sive de universis simul mobilibus vel harum parte determinata, nisi ut liberis ex *praesenti* matrimonio natis (1) statum procuret, sive de re mobili singulari reservando sibi usumfructum. Art. 179.

30. **Notio dominii coniugalis** *in regimine legali.*

I. Marres et Aertnys dicunt esse condominium pro indiviso; et ita docere universos iuristas nostrates asserit Marres.

In quantum laudati AA. *negant* solum maritum esse vere dominum bonorum communium, et uxorem quoad ius dominii marito aequiparant, eorum opinio vera et certa dicenda est; vera quoque assertio Marres, nisi forte unus alterve iurisperitus sit excipiendus.

Verum in quantum *dicunt* coniuges pro sua quemque parte esse dominos bonorum communium, eadem opinio sensui legis nostrae minus conformis videtur, certoque non est conformis doctrinae *omnium* iuristarum nostratium.

II. Cum V. Gestel (2) potius sentio sensum tum legis tum praecipuorum iuristarum hunc esse:

Bonorum communium dominii subiectum sunt ambo coniuges, *non tamen per modum consortium sicut in condominio, sed per modum* unius domini. Sc. omnia bona considerantur ut in unum dominium *(vermogen)* coacta, non solum indivisum, sed etiam indivisibile. Art. 174, al. b. Pariter et consequenter maritus et uxor considerantur ut una persona, *unus* rei familiaris *dominus.*

Cogitari itaque in hac sui generis communione *non* debet sive *ius partiale in omnia* bona, sive *ius in partem indivisam* bonorum, *sed omnium et singularum rerum* tam maritus quam uxor dici simpliciter possunt *dominus, neuter sine altero, uterque cum altero,* ut qui velut una persona facti sunt.

---

(1) Quibus aequiparandi et hic videntur filii ante nati sed legitimati, ex art. 332.

(2) In « Studiën » 1891, pag. 405 sqq.

Ita rem exponit Diephuis (1). Idemque videtur sensus Opzoomer (2), cuius haec verba citat ipse Marres: « De echtgenooten zijn de *eigenaar* van het saamgevloeide goed ». Sed enim in sensu Marres dici debuit « *eigenaars* » in plurali.

III. Probatur secunda sententia (II).

Ratio 1ª est art. 183: « *Na de ontbinding der gemeenschap* wordt *de gemeene boedel* bij helfte verdeeld... » seu « *soluta communione* dividuntur ex aequo bona *communia*... ».

Quodsi hic dicatur agi de communione *bonorum*, lex clare distinguit hanc communionem a condominio: *hoc* enim est « *de gemeene boedel* ». Ast si existit differentia, quaenam alia haec erit, nisi quod in priori dominium coniugum non cogitatur ut constans ex partibus indivisis, sicut cogitatur in posteriori.

Sed forte hic intelligitur communio quae *inter coniuges* in ordine ad ipsorum bona existit. Quodsi ita est, communio haec est ipsa coniugum *conditio iuridica (rechtstoestand)*. Eadem proinde erit conclusio. Nam si alia est coniugum conditio iuridica ante quam post solutam communionem, non alia cogitari potest differentia, nisi quod ante ut *unum* dominii subiectum considerantur, post vere ut *duo* consortes.

In utraque itaque hypothesi resolvendum cum Diephuis, l. c.: « Bij de ontbinding *verandert* de gemeenschap in medeëigendom, waarin zij, die *vroeger* een *gemeenschappelijk* recht hadden, *nu* ieder een *aandeel* bezitten ».

Nequaquam vero dicatur etiam in casu societatis *(vennootschap)* — cui legalem bonorum communionem Ærtnijs (3) disertis verbis, Marres modo loquendi aequiparant — prius solvi societatem quam dividi condominium. Est enim manifesta disparitas. In tota sectione qua codex agit de solvenda communione, huius nomine nusquam intelligi potest contractus sive matrimonialis, sive huic accessorius. Neque enim contractu aliquo, sed solum supposito contractu matrimoniali *lege* inducitur haec communio.

---

(1) N. B. R. IV pag. 237 sq.
(2) I pag. 211. Ed. 2ª pag. 268, nota 4.
(3) In prioribus editionibus.

Ratio 2ª petitur ex art. 187, sc. ex effectu quem pro marito habet abdicatio ab uxore facta sui iuris in partem solutae communionis; np. quod omnia tam bona quam debita *eo ipso* transeunt ad maritum. Qui quidem huius abdicationis effectus — quod maxime notandum — in cit. art. non tam statuitur, sed potius ut necessaria sequela *supponitur*. Verum hic effectus in nostra quidem opinione per se sequitur; in alia vero opinione pars repudiata per se *esset vacans*. Ita iterum Diephuis l. c. pag. 271-273.

IV. Paulo diutius huic quaestioni immorati sumus propter diversas, quae ex oppositis sententiis sequuntur pro praxi resolutiones.

1° *In priori sententia* coniuges, sive maritus sive uxor, excedendo in usu bonorum communium limites sui iuris comparte invita, laedunt strictam iustitiam; consequenter erga compartem, huiusve heredes tenentur, suppositis de cetero supponendis, ad restitutionem.

2° *In nostra* vero sententia in eadem hypothesi non stricta iustitia, sed alia virtus, puta pietas, laeditur; consequenter non oritur obligatio restituendi. *Ratio:* quia ex praedictis *deficit perfecta alteritas,* quae est conditio ad strictam iustitiam requisita. Cfr. V. Gestel, l. c. pag. 534-440, et 447 sq.

V. Ante matrimonium nupturientes *certe iustitiam laederent* compartem fraude decipiendo, bona sua exaggerando, debita negando vel minuendo. Et si inde damnum sequatur; puta si fraus causa fuit, cur matrimonium sine pacto nuptiali sit initum, vel saltem legalis communio non sit exclusa, vel cur alias etiam onera matrimonii nimis inaequaliter in compartem refundantur: — *tenentur etiam ad restitutionem.*

Verum quacumque de causa matrimonium sine pacto nuptiali, quod universalem saltem communionem excludat, est initum, cum coniuges nonnisi per accidens (n. pr.) bona sibi propria habeant, *practice vix restitutio fieri poterit, nisi soluta communione. — Sed et tunc, et in quacumque alia hypothesi* non raro aderit causa a restitutione excusans, maxime iniuriae remissio et restitutionis condonatio a parte laesa concessa vel cum ratione praesumenda.

§ II. — *De Pacto Nuptiali.*

I. Pacto nuptiali nupturientes quaslibet conditiones sti- 31.
pulari possunt, *modo* bonis moribus vel ordini publico ne adversentur.

Neque excludere possunt iura, quae competunt 1° *marito* qua tali vel patri vel communitatis capiti — salva tamen facultate uxoris de qua infra sub VI; — 2° *coniugi superstiti;* 3° obventura in descendentium hereditate; 4° neque descendentium hereditatem regere possunt.

II. a) Ut existere reputetur pactum requiritur 1° ut sit initum *ante matrimonium,* atque 2° *coram notario,* et 3° *ut matrimonium sequatur.*

b) Ut firmum sit pro minorennibus insuper requiritur, ut pacto et instrumento *(akte)* conficiendo astiterint illi, quorum licentia ad matrimonium requiritur. Cfr. artt. 92 sqq.

Neque mutari nisi iisdem tempore, modo et conditionibus potest.

III. Vim suam exercet a) *pro ipsis coniugibus* inter se a momento matrimonii contracti. Art. 202.

b) *Pro tertiis,* in quantum a legali communione recedit, a die qua stipulationes istae in tabellam publicam tribunalis regionis *(ter griffie der rechtbank van het arrondissement)* sunt relatae. Art. 207.

IV. Regulae iuris pro interpretatione et executione pacti nuptialis.

1ª *Generatim* statuit art. 208: regulae statutae pro communione *legali* semper applicantur in quantum pacto nuptiali ab iis non est recessum vèl expresse vèl naturà ipsarum stipulationum. Hinc inter alia deducitur:

2ª. *Communio manet* in quantum expresse vel clare ei non derogatur. – Speciatim autem statuit art. 199: exclusio communionis *bonorum* non comprehendit exclusionem communionis *lucri et damni,* nisi et haec diserte excludatur. Hac exclusa, non ideo tamen, ut communius iurisperiti docent, remanet communio *fructuum et redituum.* Cfr. Diephuis, l. c. pag. 334 sq.

3ª *Exclusa communione bonorum* nihilominus in foro externo

a) Res *mobiles ante* matrimonium possessae privatum dominium *non* reputantur, *nisi* de alterutrius iure *constet* aut ex pacto nuptiali, aut ex indice *(beschrijving)* huic annexo, qui sit a notario et partibus signatus. Excipiuntur debita publica *(inschrijvingen op het grootboek der nationale schuld)* aliaque certo nomini inscripta census publici *(effecten)* et debita *(inschulden)*. Art. 205 et 220. Pariter

b) Res *mobiles post* matrimonium hereditate, legato vel donatione acquisitae privatum dominium *non* reputantur, *nisi maritus* indice (1) aliove instrumento *(bescheiden), uxor* saltem testibus aut ex publica notitia privatum suum ius probet. Art. 221.

c) Item in regimine communionis *lucri et damni* res *immobiles* et census publici *stante matrimonio* empta, etsi alterutrius tantum nomine, reputantur lucra, seu communia, nisi contrarium constet. Art. 214.

Nota 1° ad c). a) Num haec iuris praesumptio applicanda pariter sit communioni *fructuum et reddituum*, non convenit inter iurisperitos.

b) Neque consentiunt, num verbum « *effecten* » stricte sit sumendum an late pro omni re mobili.

c) Vox « *empta* » non videtur ita stricte sumenda; idem sc. praesumetur de acquisitis permutatione.

Nota 2° generatim ad regulam 3^m^, has iuris praesumptiones, ut initio iam insinuatum, valere solum pro foro externo, in quo sc. negatur actio, sed in foro interno suum cuique ius manet.

V. Non obstante legali communione ius mariti limitari potest, ita ut immobilia, debita publica aliaque census publici vel debita nomini uxoris inscripta, et vel ab ea allata vel per eam communioni stante matrimonio obventura sine uxoris concursu *(medewerking)* nec alienare nec gravare *(bezwaren)* possit. Art. 195, al. c.

VI. Uxor speciatim stipulari potest:

1° Ut sua bona ipsa administret; cfr. tamen n. 36. 1.

2° Ut suis reditibus libere fruatur. Art. cit. al. b.

(1) Annotat hic Diephuis l. c. pag. 353: « De wet vordert hier geen notariëele beschrijving ».

VII. Exclusa vel limitata communione statui potest pecuniae summa, quam uxor quotannis conferat. Quod si factum non fuerit, fructus et reditus omnes ex uxòris bonis proventuri mariti dispositioni relinquuntur. Art. 200 sq.

§ III. — *De Regimine Conventionali.*

I. Conventionale regimen varium est pro variis quas nup- 32.
turientes stipulantur conditiones. Praeter limitatum administrandi ius mariti, quocum stat regimen legale, quatuor praecipue distingui, ad eaque omnia reduci possunt regimina.

1^m *Partialis* communio bonorum (in pacto nuptiali designatorum);

2^m Communio *lucri et damni;*

3^m Communio *fructuum et redituum;*

4^m *Plena separatio* bonorum.

II. Codex 2^m illud artt. 210 sqq. circumscribit; ubi quaedam etiam habet de 3°. Secundum quae si futuri coniuges regi mutua sua iura intendunt, hoc generalibus verbis indicare sufficit. Quod non admittitur quoad leges extraneas, neque quoad leges, consuetudines etc., quae antea in patria nostra viguerunt. Art. 198.

III. Sub lucro codex comprehendit 1° quidquid ex cuiusque coniugis bonis vel per ea bona, vel cuiusque labore et industria — non quod gratis (1) vel solo casu — acquiritur; etiam 2° ea, ex communiore, quae casu quidem vel alea acquiruntur, in quibus tamen vèl labor aut industria, vèl ipsa bona aliquam saltem partem habent, ut ludo vel loteria. Magis dubitatur de invento thesauro.

IV. Damni nomine veniunt expensae, item debita quae tamen *stante matrimonio* (2) sint contracta et *ad utrumque* coniugem spectent; non quae infortunio, ut incendio etc., aut delicto amittuntur.

Incrementum vel decrementum valoris cuiusque bonorum lucrum vel damnum non habetur.

---

(1) Iis tamen exceptis, de quibus art. 222. Vide infra sub V in fine.

(2) Quod pariter de expensis intelligendum erit.

V. Fructibus et reditibus non accensentur ea, de quibus supra sub III, 2°; num quae alias *alterutrius privato* labore vel industria, ut officio, commercio, acquiruntur, non conveniunt. Cfr. Diephuis l. c. pag. 365 sq.

Nota. In *utraque* communione, tum lucri et damni tum fructuum et redituum, communia ex lege sunt utriusque annui, menstrui, septimani similesque reditus legato vel donatione obvenientes; item census vitalitii. Art. 222.

33. Mariti ius administrationis.

1° *Commuia* quae sunt, administrat aeque ac in legali communione, nisi aliter pactum sit: cfr. n. 29 et 31, IV.

2° *Uxoris bona* item, nisi aliter convenerint, administrat, sed praestat negligentiam admissam. Art. 160. Ast negligentia probanda erit, cum ad rationem suae gestionis reddendam lex maritum non obliget (1). Attamen

3° *Immobilia uxoris* sine eius concursu alienare vel obligare non potest. Ibid.

Nota. Quod *pecuniam uxoris* illius nomine locare debet, non vero ea in commune commodum uti potest, lex non dicit; ex quo silentio in favorem mariti resolvendum videtur (2).

34. Quaeritur, num in conventionali regimine casu, quo alteruter coniugum respectu eorum, quae sunt communia, sui iuris limites invita comparte excedit, idem iudicandum sit de specie peccati, adeoque et de restitutione debita, ac quod dictum est pro hypothesi regiminis legalis? Cfr. n. 30, IV.

Resp. I. *Videtur probabiliter negari.* Ratio: qualemcumque communionem futuri coniuges *contractu* statuunt, haec numquam poterit specialem illam indolem induere, quam *lex* — in nostra opinione — tribuit communioni legali. Quod nim. sola suprema auctorite fieri potuisse putamus.

In hanc conclusionem consentit V. Gestel (3). Qui sibi obiicit *privilegium abdicationis,* de quo supra (n. 30. III *Ratio* 2.) et

---

(1) Cfr. Diephuis l. c. pag. 172 sq. Aliter sentire videtur Marres I n. 62, 4.

(2) Cfr. *Ned. Pas.* Huwelijkgemeenschap, 32, Maastricht 9 Maart 1865.

(3) Op. cit. pag. 440 sqq.

quo l. A. maxime nititur, uxori pariter concedi in communione *lucri et damni.*

Quam difficultatem ut solvat, observat hoc privilegium uxoris extra casum communionis *bonorum* esse valde incertum, cum lex diserte solum loquatur de communione bonorum, iurisperiti vero in tres abeant sententias, aliis privilegium concessum affirmantibus, aliis hoc negantibus, aliis sentientibus concessum quidem sed abdicari posse. Ex qua incertitudine concludit, argumentum efficax inde erui non posse contra id, quod astruxerat de communione legali.

Equidem potius dico, dato legem privilegium uxori art. 187 concessum pro casu communionis *legalis,* extendisse art. 208 ad *quamlibet aliam* communionem, *inde nullatenus sequi,* communionem, qualis vi *contractus* existit, esse eiusdem omnino generis ac illam quae vi legis existit. Ratio supra data est n. 30, III *Ratio* 2ª Aliud est enim naturalis seu *necessaria sequela,* aliud vero *liberum privilegium.*

Resp. II. *Probabiliter etiam affirmari videtur.* Ratio: Ex art. 174 collato art. 190 *qualiscumque communio* cum pacto nuptiali manet, *haec* dicenda est *legalis,* quia aeque ac regimen legale *vi legis existit,* nisi diserte sit exclusa. « Zij mogen even goed als de gemeenschap aller goederen als eene *wettelijke* gemeenschap aangemerkt worden ». Opzoomer l pag. 287 de communione lucri et damni atque fructuum et redituum.

Laeditur alterius ius 35.

I. Ab utroque coniuge: 1° bona communia dilapidando, — 2° dominium privatum cum damno communionis augendo, — 3° sibi distrahendo quod ad alterum solum vel ad communionem pertinet.

II. A marito speciatim: 1° non tribuendo uxori, quae illi ex bonis communibus competunt, 2° excedendo in alienandis bonis communibus limites sui iuris, uxore invita, — 3° male administrando vel dilapidando bona uxoris propria.

Nota. Mariti ius administrandi bona uxoris est ius late dictum, saltem cum respectu ad ipsam uxorem; quae proin contra illud agendo iustitiam non laederet.

§. IV. — *De Uxore speciatim.*

36. I. Quidquid pactum sit, nunquam uxor sine mariti vèl assistentia in ipso instrumento *(akte)* vèl scripta licentia quidquam dare, alienare, oppignorare, aut acquirere sive gratuito sive oneroso titulo potest.

Quandonam consensus mariti *suppleri* possit decreto vèl tribunalis regionis vèl iudicis territorii pro variis casibus vide artt. 167 et 169; et cfr. art. 170.

2. Pro expensis ordinariis rei domesticae lex praesumit uxorem mariti consensum obtinuisse.

3. Uxor publice mercaturam agens cum consensu expresso vel tacito mariti, obligationes pro rebus ad illius commercium spectantibus suscipere potest; et si inter coniuges vigeat communio, etiam maritus illis uxoris obligationibus obstringitur.

4. Casu necessitatis urgentis, si maritus abest, vel alias suam voluntatem manifestare nequit, uxor a iudice territorii facultatem alienandi aut obligandi bona communia obtinere potest. Art. 180.

37. Potest uxor in defectu mariti, vel eo invito — quia irrationabiliter — clam erogare vel etiam sibi surripere ex bonis communibus

1° Quae necessaria sunt, ut *sibi et filiis congruam* statui suo sustentationem comparet.

2° Quibus provideat sustentationi *patris, matris* vel *prolis ex alio matrimonio* susceptae, vel probabiliter etiam *fratris* aut *sororis.*

3° Ut *eleemosynas* secundum consuetudinem mulierum eiusdem conditionis eroget.

4° Quae sibi et familiae *servet, ne* a marito prodigo *dilapidentur.*

5° Quibus a familia vel marito *damnum* spirituale vel temporale avertat.

6° Ea etiam, ut videtur, quibus *decentem ornatum* et *honestam recreationem* sibi comparet.

Cavendum tamen ne uxorum querelis facilius indulgendo nimium illis laxemus habenas. Marres I n. 76.

§ V. — *De Communionis Solutione.*

Codex artt. 181 sqq. diserte solum loquitur de solutione communionis *legalis;* verum ex art. 208 dicta de illa applicantur pariter *cuilibet alii* communioni, nisi aliud pactum fuerit n. 31, IV. Itaque

I. Communio *solvitur ipso iure:* 1° morte; 2° novo 38.
matrimonio inito de licentia iudicis, quae post decem annos (1) absentiae compartis concedi potest; (3° divortio; 4° separatione a mensa et thoro); 5° separatione bonorum, i. e. iudicis sententiâ illam pronuntiantis.

II. *Peti potest* ab uxore separatio bonorum,

1° si maritus hona communia dilapidet;

2° si ipsius bona et iura mariti culpâ periclitentur; Art. 241.

III. *Defuncto alterutro coniugum,* si sint filii minorennes, superstes intra tres menses bonorum communionis inventarium conficiendum curare debet. Quo deficiente ex lege communio *in commodum minorennium,* numquam in eorum damnum, *perdurat.*

I. Divisio bonorum. Soluta communione bona communia 39.
bipartiuntur; utrique coniugi, eiusve heredibus obvenit dimidia pars, neque attenditur ab utro coniugum singula sint allata. Cfr. tamen art. 184, et dicendum infra sub III.

II. Solutio debitorum. Maritus de omnibus debitis communibus appellari *(aangesproken worden)* potest, salvo tamen per se iure suo contra uxorem eiusve heredes pro dimidia parte. — Uxor numquam nisi de dimidia parte appellari potest. — Neuter appellari potest de debitis ab *altera* parte *ante* matrimonium contractis, salvo semper huius iure pro dimidia parte contra alterum coniugem eiusve heredes.

III. Pacto nuptiali aliter quidem statui potest, non tamen ut alterutrius pars maior sit quoad onera, quam quoad commoda communionis. Art. 211 coll. 197.

---

(1) Artt. 549 sqq. Sed cfr. Wet van 9 Iuli 1855; Stsbl. n. 67.

IV. Privilegium abdicationis uxori eiusque heredibus concessum — quod ipsum, saltem si communio legalis viguerit, *abdicari non potest, sed amittitur, nisi* intra mensem eo usi fuerint, art. 188 et 193 — *non impedit, quominus ipsa appellari possit* de debitis contractis vèl qua *publica mercatrix,* vèl *ante matrimonium.* Sed in casu servat suum ius contra maritum huiusve heredes. Art. 187..

Abdicatione facta uxor — non eius heredes — repetere tamen potest lintea sua *(linnengoed)* et vestes; sed nihil aliud.

40. I. Laederet iura heredum defuncti *coniux superstes:*

1° Retinendo sibi quae ad dominium vèl commune vèl defuncti proprium pertinent;

2° Reticendo debita, quae ipse erga communitatem, vel haec erga defunctum contraxit.

II. *Vidua tamen pauper* viri divitis, qui sine liberis et intestatus obiit, si retineret ea, quibus se a certo alias imminente egestate liberet, saltem a restitutione ad tempus *excusaretur;* imo secundum nonnullos probabiliter *non peccaret.* Quae opinio ideo maxime videri potest fundata, quod, cum maritus ipse uxori superstiti providere *debuerit,* heredes *rationabiliter* inviti esse non possunt. Hac tamen in re potius connivendum quam suadendum est (1).

3. Potius consulatur ad plura et magna incommoda praecavenda post alterutrius mortem, ut coniuges *donatione per pactum nuptiale* vel *per testamentum* facta sibi invicem provideant. Ne tamen coniux superstes futurus animum bonorum compartis nimis cupidum prodat (2).

APPENDIX DE BINUBIS ET ALIENIGENIS.

41. I. In secundis et ulterioribus nuptiis viget communio legalis vel conventionalis aut separatio bonorum ut in primis.

---

(1) Cfr. Marres I n. 84. V. Egeren, n. 200. Voit, n. 799. Lehmkuhl I n. 895, 3 et 4. Id. Comp. 405.

(2) Marres I n. 85.

Cautum tamen est in *privilegium prolis* ex anteriori matrimonio:

1° Ne novo coniugi ex bonorum onerumque commixtione maius emolumentum obvenire possit, quam *minima pars quae uni ex liberis* aut illius descendentibus obtingit; *nunquam vero ultra quartam* partem bonorum (*boedel*) in communionem a binubo coniuge allatorum.

2° *Ne etiam donatio nuptialis* dictam quotam excedere queat. Praeterea huiusmodi donationes ficto titulo vel interpositis personis factae irritae sunt. Interpositi autem censentur donatarii tum liberi ex anteriore matrimonio, tum consanguinei quorum ipse donationis tempore praesumebatur futurus heres.

3° *Excessum* ultra definitam quotam liberi ex priori matrimonio post parentis binubi mortem in iudicio repetere possunt. Art. 235-240.

II. Quoad praedicta lex, si moralis habeatur (1), summum obligabit ex obedientia. Quare etiam donatarii ante sententiam iudicis ad restitutionem *non* tenentur.

Reddere tamen *debent* post sententiam: « *ex obedientia* » ait Marres (2); potius sentio *ex iustitia*. Etenim quae propter imminutam communionem reddenda sunt, ea ex ipsis legis verbis redeunt ad hereditatem; art. 236. Donatio autem irrita declarata habenda est ac si facta non fuisset. Ergo semper filii qua heredes, consequenter strictum ius habent in reddenda. Ita, inquam, sentio, sed hoc tunc solum et eatenus, quando et quatenus haec lex ut iusta haberi potest. Cfr. n. 14, II; n. 111. Ceterum facili negotio coniugi superstiti futuro faveri potest, quin contra legem agatur ineundo sc. contractu cum societate assecurante vitam.

Imo *petentibus et iuridice petere paratis,* reddere debent *ante* sententiam *ex charitate,* ut inutiles litis impensae vitentur. Quod pro similibus casibus semel pro semper sit observatum.

Contractus et conditio nuptialis alienigenarum, qui in 42.
nostra patria; vel indigenarum, qui in *alio* regno; vel indige-

(1) Vide n. 111, III.
(2) I. n. 91.

nae unius alienigenae alterius, qui sive in nostro sive in alio regno matrimonium ineunt, reguntur ac definiuntur *legibus illius regionis, ubi* uterque coniux, vel ubi sponsus *post nuptias domicilium constituere intendit;* neque iam mutari possunt, postquam nuptiali domicilio definita fuere (1).

ARTICULUS III.

DE PERSONIS IURIDICIS.

43. I. **Persona iuridica** *(rechtspersoon)* penes nos non opponitur personae iuribus civilibus destitutae, — quales in nostro iure non dantur, artt. 2 et 4 — sed intelligitur persona moralis quae aeque ac persona physice dicta bona, iura et obligationes sibi propria habet, consequenter ea quae sunt iuris civilis gerere potest.

II. A pluribus dicitur quoque *(gemeenschap, algemeenheid),* quam distinguunt in aliam *personarum,* aliam *rerum;* sed hae locutiones non sunt pro omnibus personis iuridicis aeque accuratae, ut patebit ex dicendis. Cfr. art. 575.

Item generatim quandoque dicitur *corpus morale (zedelijk lichaam):* cfr. art. 582. Verum haec locutio parum convenit ei quam dicunt universitatem rerum.

III. Distinguimus potius personam iuridicam 1° in corpus morale et institutum seu fundationem *(stichting).*

Prius illud est consociatio personarum; hoc posterius intelligitur institutum ea intentione conditum ut designatis administris *(bestuur)* propriis bonis (i. e. alium dominum non habentibus) ad hoc ei assignatis vel acquirendis determinatum finem promoveat.

2° Subdistinguimus corpus morale in *publicum* (*publiek rechtelijk*), quod sc. natura et fine suo est obiectum iuris publici sed simul — ut nim. hic spectatur — obiectum iuris privati ut quaelibet alia persona, qualia sunt status *(de staat, het*

(1) Marres I n. 94 sqq.

rijk) eiusque partes ut tales, ut provinciae, municipia *(gemeenten)* etc.; et *privatum.*

Differunt inter se hac ratione, quod corpus morale *privatum* est mera consociatio personarum, quae nim. sive *auctoritate publica sive voluntate propria ad certum finem* in unum convenerunt, et ideo solum corpus morale costituunt. In *publico* vero corpore morali plures personae *potius ratione territorii per domicilium* ad illud pertinent.

Corpus morale differt a societate (vennootschap), quod huius, non illius, *praecipuus* finis est *singulorum* lucrum. Nihil tamen obstat, quominus *quaedam* emolumenta inter corporis moralis membra dividantur.

Neque corpus morale dicimus *consociationem* (civilem) personarum, quae iure personae non gaudet, etsi de cetero in omnibus cum corpore morali conveniat. Cfr. n. 45, 47.

IV. Instituta inter se non differunt nisi solo obiecto seu fine quem prosequuntur. Quo respectu *triplex* distingui potest *classis.*

1° Alia *religionem* respiciunt; ut beneficia, fundationes ad sacra facienda, lumen accendendum etc.

2° Alia *scientiam* vel artes in genere vel in specie promovent; ut studiorum stipendia *(beurzen).*

3° Alia *beneficentiam* intendunt, succurrendo infirmis, senibus, orphanis, uti hospitia, orphanotrophia; vel subveniendo generatim pauperibus *(armenfonds).*

I. Ius personae *(rechtspersoonlijkheid)* generatim est *facultas lege agnita civiliter agendi,* seu actus civiles, etiam iura commercii dicta, exercendi; facultas sc. 1° possidendi et acquirendi, 2° obligationes suscipiendi, 3° standi in iure ad ius suum tuendum sive agendo sive defendendo: Quae omnia iura exercentur ab administris *(bestuur).* 44.

II. Plerique etiam inter iurisconsultos sentiunt ius personae, quamvis lege positiva tribui vel negari vel habitum auferri possit, non tamen primo ea lege esse inductum, sed *iure naturae* per se civibus esse facultatem sese consociandi in corpus morale vel condendi institutum cum iure personae. *Per se,* sc. nisi obstet iusta lex positiva. De quo in sequentibus paragraphis.

Praenotamus autem *ecclesiasticas tum personas tum res regi iure non civili sed ecclesiastico,* ita ut iis defectus iuris ex lege civili obiici numquam possit. Vide de hisce cursum iuris canonici.

§ I. — *De Corporibus Moralibus.* (*Artt.* 1690-1702).

45. I. Consociationem constituendi, dummodo ordini publico ne adversetur, plena civibus est facultas.

Antea, sc. ex quo viguit codex civilis Neerlandicus usque ad latam legem de consociationibus i. e. ad 30^{m} Aprilis anni 1855, omnis consociatio personarum ut corpus morale constituta, qua tale, i. e. qua persona iuridica lege agnoscebatur. Cod. civ. artt. 1690 sq.

Ex dicta lege speciali art. 5 iure personae non gaudet consociatio nisi vèl pacto fundamentali *(Grondwet)* aliave lege sit condita, vèl agnita fuerit aut a) lege speciali si in perpetuum vel ultra annos 30, aut b) decreto regio si brevius 30 annis sit duratura (1). — Attamen art. 15 statuit, ut corpora moralia antea constituta diiudicentur secundum leges, quae vigebant, cum instituerentur.

II. Qua corpora moralia itaque ius personae hodie habent 1° corpora moralia *publica,* 2° constituta *auctoritate publica,* 3° constituta ab anno 1838 (vel 1842) et *ante* 30^{m} Aprilem 1855, 4° constituta *post* illud tempus sed *agnita* iuxta dicta.

Nota circa corpus morale publicum. Codex civilis sicut initio Tituli de corporibus moralibus art. 1690 sat clare solum loquitur de corpore morali quod n. 43 sub III diximus privatum, ut distinctum a publico; ita etiam toto illo Titulo solum corpus morale privatum spectare videtur. Quamobrem et ea quae n. sq. dicturi sumus, per se intellecta tantum volumus de corpore morali privato. Dico: *per se,* propter dicenda n. 49. Cfr. Diephuis I pag. 383 seq., 406 sqq.

(1) Quid si ipsos 30 annos, neque brevius neque diutius sit duratura? Num requiritur lex, an sufficit decretum regium? Hoc lex non definit. Ex ultima art. 5 alinea Diephuis concludit requiri legem.

I. Subiectum dominii aliorumque iurium corporis mo- 46.
ralis, sicut et obligationum, *non sunt membra* sive singula sive universa, sed est ipsa universitas i. e. corpus morale ipsum ut distinctum a personis, quibus constat.

Quare 1° *iura,* quae corpori morali competunt, haec non eius membris qua singulis competunt. Sicut etiam

2° *Debitis* corporis moralis bona ipsius corporis tantum obligantur, nec membra illius ad haec debita solvenda compellari possunt. Art. 1698.

II. Iura membrorum tum mutua inter se tum erga corpus morale, et obligationes definiuntur 1° decretis *(verordeningen)* quibus corpus morale publica auctoritate constitutum vel agnitum est; 2° ipsius corporis statutis, conventionibus et regulis; et hisce deficientibus 3° codicis civilis de corpore morali praescriptis. Art. 1697.

III. Iura haec, quae membra corporis moralis *qua talia* habent, sunt personalia, ita ut ad eorum heredes non transeant, nisi aliud decretum vel statutum sit, iuxta mox dicta sub II, 1° et 2°. Art. 1701.

Quodsi tamen membra, *qua personae a corpore morali distinctae,* cum eo contractum inierint, eorum ius, nisi aliter stipulatum sit, *ad heredes transit.*

IV. Obligationes membrorum — servandi regulas etc. pro corpore morali constitutas, eaque quae ab ipsius rectoribus illis imponuntur — nonnulli deducunt ex contractu saltem tacito, ita ut ex stricta iustitia servandae sint. Alii vero multo probabilius ex lege accedente legitimo hominis facto eas deducunt, ita ut per se, nisi nempe titulus iustitiae ex contractu v. gr. accedat, *ex obedientia* servandae sint. Prior enim opinio repugnans, posterior conformis videtur genuinae corporis moralis notioni. Cfr. artt. 1269, 1388 sq.

V. *Nota:* 1° *Facultas acquirendi* corporum moralium (praesertim ecclesiarum) et institutorum coarctata est artt. 857, 947 et 1717. Cfr. Tr. sq.

2° Ex art. 857 *ususfructus non ultra* 30 *annorum* spatium concedi potest corpori morali. Utrum vero hic comprehensa etiam intelligantur *instituta, non convenit* inter jurisperitos.

3° *Non solvitur* corpus morale *publica auctoritate constitutum,* etsi quandoque morte vel abdicatione omnium membrorum nullum iam supersit; art. 1699.

Quo tacite contrarium dispositum videtur de *aliis* corporibus moralibus. Quoad haec posteriora, quocumque modo soluta fuerint, ea quae supersunt membra ex corporis moralis bonis debita solvere tenentur; quae restant bona inter se dividere, adeoque in heredes transferre possunt; art. 1702.

47. I. Consociatio iure personae destituta hanc ipsam ob rationem a corpore morali differt:

1° Quod *non qua talis civiliter agere potest.* Quare eius nomine celebrati contractus et res acquisitae pro Regno et tertiis — in foro civili, non conscientiae — habentur ut spectantes eos qui contractum inierunt vel res acceptarunt, esto in contractibus vel titulis qua mandatarii vel administratores consociationis designentur. Lex de Consoc. art. 12.

Potest quidem unus qua mandatarius *singulorum* agere, et si de *tali* mandato legitima probatione constet, etiam in foro civili iura et obligationes spectant ad omnes singulosque socios, sed numquam ad universitatem ut distinctam a sociis.

2° Quod *socii erga socios,* non exceptis administratoribus, obligantur ex contractu adeoque *ex stricta justitia.*

Hinc etiam administratores, etsi erga Regnum et tertios actibus suis ipsi obligentur, socios tamen compellere etiam in iure possunt, ut obligationes ex consociationis regulis, utpote per modum contractus susceptas, servent.

II. Quod tamen de membris corporis moralis art. 1701 statutum, et supra n. pr. sub III dictum est, idem eodemque modo valet de membris consociationis ex art. 13 legis de consoc.

48. I. De Ecclesiis ius civile agit 1° in pacto fundamentali cap. VI: 2° speciali lege de Ecclesiis 10 Sept. 1853. Hisce proin in foro *civili* Ecclesiae subiacere, his regi *censentur.* Cfr. n. 44 in fine.

II. Idcirco praecipue observa:

1° *Pactum fundamentale* agendo de Ecclesiis *universalibus (Kerkgenootschappen)* eo ipso legitime eas existere tacite *agnoscit.*

2° *Lex de Ecclesiis* omnibus Ecclesiis universalibus plenam et permanentem *libertatem confirmat* moderandi in suo gremio quidquid ad Religionem eiusque exercitium pertinet. Art. 1, al. 1. Unde ad rem mostram i. a. deducitur:

a) Ecclesia universalis ipsa secundum suas leges constituere potest Ecclesias *particulares*. Quod extendi ad seminaria erigenda nullum est dubium; sed neque dubitandum videtur de facultate Ecclesiae constituendi communitates religiosorum tamquam *ecclesiasticas* personarum universitates (1).

De facto in nostra Provincia ecclesiastica constitutae sunt Ecclesiae dioecesanae, Capitula dioecesana, Ecclesiae parochiales et auxiliatrices, atque seminaria ecclesiastica.

Quoad communitates religiosorum eadem facultas hucusque non videtur in usum deducta.

b) Ecclesiae *cuilibet legitime* constitutae *etiam res suas temporales* secundum proprias leges, statuta et regulas regendi et administrandi plena et libera est facultas.

3° Secundum eamdem legem art. 1, al. 2 *ecclesiastica statuta* circa ecclesiarum constitutionem *(inrichting)* et gubernationem *(bestuur)* Regi nondum nota a rectoribus seu superioribus Regi significari infra mensem a promulgata illa lege debuerunt; itemque *nova* statuta antequam vel quando vigere incipiunt eodem modo *Regi sunt significanda*. Quorcica

Nota a) Hoc non praescribitur, ut statuta a Rege approbentur, sed ponitur solum *conditio sine qua non* in iure existere reputantur statuta, vel Ecclesia particularis si de ea agitur.

b) Exigitur ut significentur statuta circa *constitutionem et gubernationem;* de administratione *(beheer)* bonorum ut distincta a gubernatione lex non loquitur. Iudicavit autem Curia Arnhemensis (2) hanc non intelligi.

Quaeritur. Ecclesiae ut personae iuridicae *quales* censentur in iure nostro civili? **49.**

Resp. I. Ecclesias non tantum universales sed etiam particulares legitime constitutas agnosci ut *personas iuridicas*, idque qua *cor-*

(1) Cfr. J. W. V. d. Biesen, « *Het goed recht van de stichtingen* enz »; pag. 28 sq.

(2) 2 Iun. 1886. *Ned. Pas.* 3e Verv. Kerkbest. n. 197.

pora moralia proprie dicta, eaque ut *publica auctoritate ipso suae legitimae constitutionis facto* agnita, ita ut speciali alia agnitione non egeant, hodie extra dubium est. Contra paucas unius alteriusve iudicis vel Tribunalis in confirmationem adduci possunt plurimae iudicum, Tribunalium, Curiarum et ipsius Summae Curiae sententiae latae. Vid. *Ned. Pas.* Kerkbest. en kerkel. gemeenten; kerkel. goederen en rechten.

II. Quin etiam addo videri Ecclesias haberi ut *corpora moralia publica*. Etenim:

1° Quidni legislator civilis Ecclesias agnosceret tales, quales de facto revera sunt? Sunt autem corpora moralia in suo genere publica aeque ac status, provinciae et municipia civilia.

2° In lege de Ecclesiis art. 4 Ecclesiae universales supponuntur in magis minusve particulares secundum suum cuiusque territorium divisae. Sed hoc corporum moralium publicorum proprium est.

3° Ita iudicavit Tribunal Dordracense 25 Maii 1881 (1).

III. Quodsi ita est, sequitur Ecclesias non comprehendi Titulo quo codex civilis speciatim agit de corporibus moralibus (2); uti et resolvit Tribunal supra citatum. Quod idem sensisse videntur Regis Ministri in sua Responsione ad comitia generalia data cum de lege de Consociationibus ageretur: « Met de kerkgenootschappen als zoodanig heeft deze niets gemeens. De wet van 10 Sept. 1853 met en benevens de artikels 947 en 1717 Burgerl. Wetb. heeft voor deze regelen gesteld ». *Memorie van beantwoording op het voorloopig verslag.* Ubi nota mentionem non fieri Tituli de corporibus moralibus.

IV. Hinc tamen cave concludas praescripta codicis in dicto Titulo nullatenus applicari posse Ecclesiis. Hoc nim. concludendum quidem erit de iis, quae indoli corporis moralis publici non conveniunt: quae vero ei conveniunt per analogiam, vel etiam, quoad favorabilia corpori, a fortiori puto Ecclesiis applicari posse.

Sic v. gr. nihil dubitandum, quin statuta ecclesiastica in foro civili habeant vim legis; quod imo de statutis pro ecclesiasticis institutis beneficentiae iudicavit Summa Curia 17 Iunii 1864 (3); saepius vero eamdem sententiam tulit de statutis pro ipsis Ecclesiis (4).

Pariter Ecclesiis applicari poterit et debebit quod codex art. 1699, al. 1 statuit in favorem corporis moralis publica auctoritate constituti. Vid. n. 46, V. 3°.

Econtra vero pleraque quae in codice dicuntur de membris corporis moralis non puto applicari posse membris Ecclesiae.

Et speciatim credo in sensu iuris nostri subiectum dominii rerum temporalium non esse universitatem membrorum respectivae Ecclesiae; neque — quod eodem redit — hanc universitatem esse illud corpus morale quod ut personam iuridicam ius civile in Ecclesia agnoscit; hoc vero, puto, est institutio religiosa non quidem sine membris suis, sed tamen abstrahendo a membris de facto ad eam pertinentibus.

---

(1) *Ned. Pas.* 2e Verv. Kerkbest. n. 128.

(2) Cfr. n. 45 in fine.

(3) *Ned. Pas.* Armbest. n. 20.

(4) Vide *Ned. Pas.* Kerkbest.

Confirmatur haec nostra opinio ex reiecta petitione irritationis testamenti in quo Ecclesia Venlonensis nomine « Parochiae » indicabatur (1).

---

(1) I. « Parochie beteekent zoowel eene zekere territoriale indeeling van *geloovigen* als de parochiale kerk.

In eerstgemelden zin zijn de parochies in het roomsch-katholiek kerkgenootschap, als missende het karakter van zedelijk lichaam volgens Nederlandsch recht, *niet te beschouwen als rechtspersonen.*

In laatstgemelden zin zijn de parochies blijkens hare wordensgeschiedenis, de bedoeling harer oprichters en de bepalingen daaromtrent voorkomende in het kanonieke recht stichtingen, wier rechtspersoonlijkheid in het geldende Nederlandsche recht moet worden aangenomen.

In casu werd in het testament, waarvan de vernietiging gevraagd is, parochie gebezigd in den zin van parochiale kerk, en is deze, wat wettig kon geschieden, als erfgename ingesteld. Roermond 10 Nov. 1892, bev. bij 's Hertogenbosch Hof 20 Juni 1893, waartegen de cass. is verw. bij H. R. 30 Maart 1894, Concl. conf. » *Ned. Pas.* 4e verv. Rechtspersoonlijkheid, n. 7 Vgl. n. 5 et 6.

Nihilominus ad difficultates praecavendas utile et *practicum monitum* est, quod Quaestionibus Conferentiarum pro Dioecesi Ruraemundensi a° 1895 adjungebatur: « Ofschoon het rechtsgeding in zake LAMPE, ook in het hoogste ressort, ten gunste der parochie [= parochiale kerk] van den H. MARTINUS te Venlo beslist werd, is toch te vreezen dat door dit arrest het verschil van meening, onder de rechtsgeleerden bestaande omtrent de natuur en de wettelijke benaming van den rechtspersoon, wien het toekomt de kerkelijke goederen te bezitten, niet volkomen is weggenomen. Aanbevelenswaardig is het derhalve bij akten van schenking, testamenten, enz, door het samenvatten der twee hierbij betrokken benamingen, beide meeningen te bevredigen, en te schrijven bijv.: « de kerk en parochie van den H. CHRISTOPHORUS te Roermond », « de kerk en rectoraat van O. L. VR. MUNSTER te Roermond ».

II. Inter ea, quae hoc n. dixi nonnulla sunt in quibus non sentio cum doctissimo Marres. — 1. Cl. Professor non distinguit inter corpus morale publica auctoritate constitutum et publicum, quae ipsi unum idemque sunt. Ed. 2ª I n. 109. — 2. Ecclesiam in foro civili censet subiacere praescriptis codicis civilis in Titulo de corporibus moralibus; n. 141. I. — 3. Opinatur fidelium universitatem tamquam corpus morale esse subiectum dominii bonorum Ecclesiae. Quare etiam nisi per errorem calami non factum esse putat, quod in « *Ned. Pas.* » *Kerkel. goederen* n. 18 hanc rationem iuris a Summa Curia comprobatam fuisse memoratur: « kerkelijke goederen behooren niet aan de *algemeenheid* der geloovigen, maar aan de kerkfabrieken of kerken »; n. 150.

In nostra autem opinione hic nullum errorem sive calami sive ipsius interpretationis et relationis sententiae a Summa Curia latae admittere necesse est. Quinimo quod saepius tum in codice tum in sententiis iudicialibus Ecclesia promiscue institutum *(stichting, instelling)* et corpus morale, vel etiam utrumque simul dicitur, hoc puto in nostra opinione facile explicatur.

Utrum vero *in iure canonico* fidelium universitas censeatur subiectum dominii bonorum ecclesiasticorum, quaeras a Canonistis.

50. De communitatibus religiosorum et de laicorum confraternitatibus.

I. Tempore Imperii Gallici omnia instituta *ecclesiastica* ut talia et velut personae iuridicae etiam in patria nostra suppressa sunt, exceptis Ecclesiis, Capitulis, Seminariis et institutis beneficentiae; Religiosis vero singulatim eadem ac ceteris civibus iura concessa sunt. Paulo post hanc suppressionem rursus concessum est ecclesiasticas consociationes constituere, sub conditione tamen approbationis ab Imperio civili, statutis perspectis, obtentae. Secundum quas leges etiam gubernium nostrum quasdam religiosorum communitates qua religiosas congregationes approbavit.

II. Codex civilis Neerlandicus omnibus civibus plenam tribuit, vel potius agnoscit, facultatem civiles consociationes constituendi, constitutas autem qua corpora moralia, i. e. qua personas iuridicas agnoscit. Illae igitur religiosorum communitates, quae a tempore promulgati huius codicis usque ad latam legem de Consociationibus qua corpora moralia sese constituerunt, qua talia ius personae eo ipso acquisiverunt, et ex art. 14 dictae legis retinuerunt: cfr. n. 45. Eadem autem lex legibus et decretis contrariis, de quibus supra sub I, tacite derogavit, uti declaravit Minister Iustitiae; lex vero de Ecclesiis eadem expresse abrogavit.

III. Post latam legem de Consociationibus ius personae communitatibus religiosorum summum in 30 annos tribui solet (1). Cumque eo tempore elapso negari possit, inde detrimentum communitati imminere potest. Cfr. n. 46 in fine.

Communitates extra patriam nostram ut personae iuridicae legitime existentes, cum dicta lex nostra eas non respiciat (2) etiam apud nos qua tales agnoscuntur.

IV. Praeter modos iam indicatos quibus bona religiosorum civiliter possideri possunt;

1° Potest dominium bonorum esse penes aliam personam iuridicam perpetuam, puta Ecclesiam parochialem vel institutum caritatis.

---

(1) Cfr. n. 45, I.

(2) Summa Curia 23 Mart. 1866.

2° Possunt ipsi religiosi condere institutum — universitatem rerum quam dicunt — sed cfr. n. sq. III, 3°.

3° Possunt tandem religiosi qua singuli bona sua possidere, cum vel sine societatis contractu. De quibus omnibus fusius et optime Marres, quem vide praecipue n. 168 sq.

V. *Confraternitates* seu pia laicorum sodalitia quamquam « pari modo et iisdem conditionibus ac caeterae civiles consociationes ius personae obtinere possunt, de facto passim civiliter existunt temquam consociationes iure personae destitutae ». Cfr. n. 47.

« Quod testamento igitur confraternitati cuiusdam ecclesiae relinquitur, aut res immobiles, quae donatione inter vivos illi dantur, in foro civili a collegio aedituorum illius ecclesiae acceptandae sunt ».

« Suadendum tamen est ad omnem praecavendam difficultatem, ut res ecclesiae ipsi sub modo seu addito onere ad mentem donatoris aut testatoris donentur aut legentur ». Marres I. n. 160 sq.

§ II. *De Institutis.*

I. Constitutio et ius personae iuridicae. Hodie 51.
satis certum est, instituta legitime qua personas iuridicas constitui etiam a personis privatis, quin specialis approbatio vel agnitio civilis potestatis requiratur.

Attamen lex 28 Junii 1854 *de Cura pauperum* art. 7 praescribit quoad instituta quae et in quantum *curam pauperum* intendunt, ut intra sex menses a die qua illa lex vigere coepit, institutorum iam tum existentium statuta de eorum constitutione et regimine collegio moderatorum municipii loci significarentur; utque idem fieret tum quoad statutorum mutationes, tum quoad statuta recens constitutorum intra mensem a mutatione facta vel a constitutione instituti. Statuitque ut quae instituta huic praescripto infra dictum tempus non satisfecerint, ab eo tempore elapso usque ad factam significationem iure personae careant.

Quoad *studiorum stipendia* decreto regio anni 1818 art. 9 statutum est, ut recens constituta actis Coetus provincialis *(ter griffie der provinciale Staten)* insinuentur.

II. Constituuntur actu authentico, sive inter vivos sive etiam, ut satis communiter admittunt, testamento; quo quis sc. fini determinato bona quaedam vel reditus assignet, indicetque a quibusnam curatoribus institutum a se conditum sit gubernandum. Hinc

III. Tria essentialiter requiruntur: bona, finis et curatores (1).

Nota 1°. Quoad bona (vermogen) duo dubitantur:

a) Num necesse sit pro constitutione instituti, ut *ipsa bona* iam adsint — seu ad hunc finem cedantur aut legentur —, an vero sufficiat ut *media* ea acquirendi assignata sint. Hoc posterius pro certo affirmat Diephuis (2). Plerique tamen illud prius sentire vel saltem supponere videntur. Quibus favere videtur sententia Tribunalis Arnhemensis (3) confirmata a Summa Curia (4); in qua sc. dicitur quod « aanwijzing van vermogen zoozeer behoort tot het wezen der instelling dat deze zonder dat is ondenkbaar ». Dubiun tamen relinquitur, tum ex eo quod in casu non quaerebatur, num adesset institutum legitime constitutum; sed num haec constitutio censenda esset vera donatio pro qua exigi posset tributum successionis; quod posterius negatum est; — tum ex eo quod verba: « aanwijzing van vermogen » non omnino excludunt sententiam priorem.

b) Dubitatur num bonorum seu *rerum universitas* ipsa dicenda sit persona iuridica seu *subiectum iuris*. Multi quidem saltem in modo loquendi ita sentire videntur. Cfr. n. 43, II. Non immerito tamen, opinor, negat Diephuis (5): sic enim aliquo saltem modo ipsa bona, horum sc. universitas, dicuntur suus ipsorum dominus; quod pugnat. Quare potius personam seu subiectum dominii dico ipsum *institutum* seu fundationem, per *cuius* bona curatores propositum instituti assequi intendunt.

Nota 2°. Ut Institutum revera sit persona iuridica distincta, oportet ut bonorum dominium non sit penes aliam personam sive physicam, puta heredem, sive iuridicam, puta Ecclesiam.

Nota 3°. Quamvis iuxta sententiam ipsius Summae Curiae, de qua supra, institutum actu inter vivos vel testamento conditum dici nequeat donatarius vel heres aut legatarius qui bona eodem illo actu cessa vel relicta acquirat, nihilominus ex lege 24 Maii 1897 (Stsbl. n. 154) art. 13 sq. tributum successionis debetur, ac si bona illa per donationem inter vivos vel per testamentum essent acquisita.

IV. Regimen. *Regulae iuris speciales* de institutis generatim *non dantur*. Per analogiam, ut ait Marres (6), comprehendun-

---

(1) Concl. Off. v. Just. ad Arnhem 18 Iuni 1885. *Ned. Pas.* 2e Verv. Stichting n. 11.

(2) I pag. 414; ubi contra se citat solum Unger.

(3) 18 Iun. 1885 *Ned. Pas.* 2e Verv. Successierecht n. 236.

(4) 18 Iun. 1886. Ibid. Vid. *Weekblad voor Notarisambt,* 21 Nov. 1886 apud Marres IV n. 65 I.

(5) I pag. 412 sq.

(6) I n. 179, II.

tur iis de corpore morali iuris placitis, quae par illorum conditio necessario requirit: itaque ex art. 1692 administri pro instituto civiliter agere possunt, idque in quantum illorum facultas non lege aut legitimis ipsius instituti statutis, regulis aut conventionibus coarctetur.

Sola instituta ad *pauperes* sublevandos et *studiorum* stipendia insuper *specialibus* reguntur legibus. Vid. Marres I. n. 194 sqq. et 207 sqq.

V. Finem capiente instituto — puta tempore elapso, causa finali cessante, deficientibus curatoribus vel bonis ita ut neque suppleri possint, etc. — bona quae restant, si fundator nihil hac de re statuerit, habebuntur saltem in foro civili ut vacantia, adeoque ut cedentia Regno (1). Caveant itaque fundatores.

VI. Fundationes mere religiosae ad Missas celebrandas etc. quamvis — lege Gallica 18 Germinal. an. X per legem nostratem de Ecclesiis abrogatà — hodie nulla iam lex obstet, quominus in personam iuridicam et distinctam constituantur, hoc tamen fieri iam non solet.

Generatim, ad omne periculum praecavendum, suadendum est ut bona, quae quis fini religioso destinet, Ecclesiae potius quam aliis donet aut leget sub modo seu addito, quod intendit, onere. Marres I. n. 184.

N. B. Plura eaque valde utilia de personis iuridicis vide apud Marres I Cap. III sect. II tota; necnon in opusculo « *Het goed recht van de stichtingen enz.* » auctore Iac. W. v. d. Biezen.

APPENDIX DE REGNO.

Res, quae ad Regnum pertinere dicuntur, in duplicem distingui 52.
possunt classem.

1° Alia sunt *in usu publico*, quo perdurante *extra commercium* constituta censentur, atque a privatis acquiri vel possideri nequeunt, salvis tamen iuribus acquisitis. De quibus art. 577 sqq. Haec dicuntur *dominium publicum*.

2° Alia a Regno possidentur et distrahuntur ut a privatis dominis. *Dominium privatum status (staatsvermogen)* dicitur. Qua huius dominus Regnum saepius nomine *fisci* vocatur. Vid. art. 576.

(1) Vid. Diephuis I pag. 415.

Pari modo dici et distingui potest dominium publicum et privatum singularum provinciarum et municipiorum.

SECTIO II. DE ALIIS IURIBUS REALIBUS.

CAPUT PRIMUM.

DE POSSESSIONE.

(Artt. 585 — 624).

53. I. **Notio.** Possessio est detentio vel fruitio rei, quam quis *qua suam* per se aut per alium in sua potestate habet. Art. 585. — Dicitur:

« *Rei* » corporeae vel incorporeae v. gr. alicuius iuris.

« *Qua suam* » i. e. *animo domini.* Indicat non iudicium intellectus sed tantum actum voluntatis.

II. Haec possessio civilis dicitur, ad quam

Tria requiruntur: 1° res quae *possideri possit;* cfr. n. 12, 3; 20; 52, 1. et artt. 593 et 609, — 2° rei *detentio,* — 3° *animus domini.*

Nuda rei detentio vel fruitio absque animo domini vel alieno nomine dicitur possessio naturalis.

Possessio in nostro iure primario consideratur ut factum, ex quo iura vi legis consequuntur. Ius possessionis, de quo art. 584, sequitur itaque ex facto possessionis.

54. **Distinguitur** possessio bonae — malae — et theologice, non civiliter, dubiae fidei.

I. Bona fides *theologica* habetur, quando possessor ex quacumque ratione prudenter iudicat rem, quam detinet, esse suam. — Impeditur vel tollitur ignorantia graviter culpabili.

Bona fides *iuridica* ex art. 587 habetur, quando possessor rem possidet vi modi dominium acquirendi, cuius modi vitia ignorat. Quocirca duo controvertuntur.

Controversia 1ª. Verba « *vi modi etc.* » alii interpretantur rigidius, ita ut *modus saltem coloratus* dominii translativus, v. gr. testamentum defuncti sed invalidum, omnino requiratur; nec

sufficiat titulus vel modus putativus, v. gr. testamentum viventis, neque titulus sine traditione, ut contractus.

Alii accipiunt benignius, ita ut etiam iuridice sufficiat *prudens iudicium ex qualicumque* causa. *Ratio* 1ª: quia omnis possessio ex iure est vèl bonae vèl malae fidei. Dicitur autem tunc solum malae fidei, quando quis *scit* rem non esse suam. Ergo. — 2ª: quia secus conditio, quae *speciatim* ad praescriptionem requiritur, pro omni etiam possessione bonae fidei requireretur.

Posterior haec opinio videtur satis probabilis et tuta.

Controversia 2ª est, num ignorantiâ etiam *iuris* niti possit bona fides iuridica. Sed saltem nostrates iurisperiti communiter affirmant. Cfr. tamen n. 89, II. Aliter sentiunt V. Egeren (1) et Auct. Tr. Busc. (2).

II. Dubiae fidei in iure *civili non* fit mentio; quia in foro bona fides praesumitur, mala est probanda; sed dubia probatio nihil efficit.

I. Acquiritur possessio *occupatione* rei *animo* eam sibi habendi. Etiam minores et uxores, non vero amentes, per seipsos possessionem acquirere possunt. 55.

II. Acquiri potest *per nosmetipsos, aut per alium,* qui nostro nomine, etsi nobis insciis, possidere incipit. — Ad hoc ut quis pro alio inscio possessionem acquirat, communiter docent requiri ut mandatum habeat sibi aut a persona aut a iure collatum. Contrarium tamen docet Diephuis (3) et probat ex silentio legis. Sic minores et interdicti per tutores vel curatores; personae iuridicae per administros possessionem acquirunt.

III. Ad heredes transit possessio defuncti cum omnibus suis qualitatibus et vitiis. Art. 597.

IV. Causa vel fundamentum mutatae possessionis nunquam potest esse merus *voluntatis* actus aut solus decursus *temporis*. Art. 592, Sed supervenire potest titulus, qui naturam possessionis mutet. Sic locatarius non potest incipere ut dominus pos-

---

(1) n. 54, 61, 80.
(2) n. 46, 3°.
(3) VI, pag. 332 sqq.

sidere, nisi titulus v. g. emptionis, vel saltem actus iuri domini contrarius accedat: cfr. n. 85, V.

56. Amittit possessionem

I *voluntarie,* qui illam alteri confert;

II *praeter voluntatem,* qui rem aperte derelinquit;

III *contra voluntatem* amittitur possessio

a) agri, fundi vel aedificii, tum etiam universitatis *bonorum mobilium,*

1° quando alter illa occupat, esto possessore positive invito, et dein per annum pacifice possidet;

2° quando fundus continua, non si transeunte submersione periit.

b) rei mobilis,

1° quando furto vel etiam aliter ablata est;

2° quando est amissa et iam ignoratur ubi sit.

c) rei incorporeae, quando alter per annum ea pacifice fruatur. Artt. 599-603.

57. Iura possessoris

I. bonae fidei ex lege civili sunt:

1. Ius ut *rei dominus reputetur* usque ad iuridicam repetitionem, ita ut petitore ius suum non probante, possessor in hoc suo iure confirmetur; petitore causam obtinente possessor rem reddere debeat in eo statu quo erat, quando actio contra ipsum incepta est.

2. Ius rei *dominium* praescriptione *acquirendi.*

3. Ius *in fructus* usque ad iuridicam rei repetitionem perceptos, quos sc., etiamsi sententia contra ipsum feratur, reddere non tenetur. Quae iuris dispositio non videtur dubitandum, quin et valeat pro conscientia Cfr. dicenda de praescriptione.

4. Ius et actio possessionis retinendae et recuperandae. Quae tamen *actio possessoria* 1° *non admittitur* pro re mobili singulari; 2° *incipi debet* intra annum computandum a die quo possessio est violata. Hisce tamen non excluditur actio *petitoria.* Cfr. n. 90, III, 2° et codex actionis civilis art. 130-132 et 250.

II. Etiam malae fidei possessori lex tribuit iura *primum* et *quartum* ex mox allatis, et *tertium* quoque sed sub obligatione *omnes* fructus perceptos reddendi.

Quoad *primum* vero *post* sententiam contra ipsum latam tenetur de impensis, damno et lucro cessante. Quare legitimus dominus generatim non debet privata auctoritate contra ipsum agere, ne certo periculo causâ cadendi in foro se exponat. Artt. 604-624 coll. artt. 630-634. Cfr. dicenda in Tr. III de obligatione possessoris malae fidei.

CAPUT SECUNDUM.

DE USUFRUCTU (1).

(*Artt.* 803-864).

I. **Notio.** Usus fructus est ius reale percipiendi fructus rei alienae more domini salvâ tamen rei substantia. 58.

II. Dividuntur fructus.

a) *a Theologis* in 1° mere naturales, 2° mere industriales, 3° mixtos et 4° civiles;

b) *in codice* in 1° naturales, 2° industriales, quibus comprehenduntur etiam mixti, et 3° civiles, qui sunt pretia locationis, pecuniarum fenera et census. Art. 558.

III. Acquiritur usus fructus 1° ex *voluntate domini,* puta testamento, contractu; — 2° *praescriptione.*

Priore modo ut ius reale nascatur, accedere debet *traditio.* Cfr. n. 122.

Nota: Quod codex 1. dicit acquiri usumfructum ex lege — quod de facto non contingit — hoc nisi nimis fideli imitationi Codicis Nap. art. 579 tribuendum non videtur. Cfr. n. 62 et art. 865 ex quo usus — qui certo lege non acquiritur — nihilominus eisdem modis acquiri dicitur ut usus fructus.

Quod 2. codex non meminit praescriptionis, non est ratio hunc modum excludendi. Cfr. dicenda de ea.

IV. Constitui potest *in gratiam plurium,* qui aut coniunctim aut alter post alterum usufructu gaudere possunt. In posteriori hypothesi restringitur ad illos qui iam vivunt cum primi usufructuarii ius incipit.

---

(1) Sporer, tr. VI, n. 18 sqq.

59. Iura usufructuarii I. Percipit *omnes fructus* cuiuscumque generis. — Hoc significat illud « *more domini* » in definitione, et hoc differt ab usu. — Quocirca nota:

1° *Fructus naturales et industriales,* qui ramis aut radicibus adhaerent, percipit qui frui inchoat; eosdem vero non percipit, sed domino vel successori cedit, qui frui desinit; neque solvenda est ulla compensatio pro labore et sumptibus agro colendo impensis. — Colonus tamen particeps *(deelhebbend pachter)* suo iure ad partem fructuum initio vel in fine usufructus existentium privari nequit.

2° *Fructus civiles* per dies percipi censentur, ita ut usufructuario obtingant pro ratione temporis per quod usufructus durat.

3° Qui *census vitalitii (lijfrente)* usumfructum habet, censum iam perceptum integre retinere potest, nec obligatur ad quidquam reddendum.

4° *Fodinis* fruitur, *dummodo* iam effoderentur, quando frui incepit; eas vero inchoare non potest, nisi contrarium ex titulo pateat.

5° *Ad thesaurum* ius *non* habet, *nisi* ad dimidiam partem si ipse invenit.

II. Fruitur *omnibus iuribus,* quibus frui potest dominus; ut iure servitutis, venationis, piscationis, alluvionis etc.

III. Iure suo uti potest *sive per se sive per alium;* unde etiam aliis rem locare, vel iuris sui usum vendere etc. potest. Debet tamen in hisce vigentem locorum usum et proprietariorum consuetudinem servare; quae si non dantur, domum non ultra 4, agrum non ultra 7 annos locare potest.

IV. Ius habet *in partem lignorum,* si qua usufructus continet; quod ius circumscribunt artt. 813 sqq.

V. Ipsi competunt omnes *actiones reales,* quas lex domino tribuit. De rei vindicatione tamen controvertitur (1).

60. Obligationes usufructuarii. I. Debet, antequam iure suo frui incipiat, *inventarium (beschrijving)* rerum mobilium et *descriptionem (staat)* immobilium suis impensis conficienda

(1) Affirmat Diephuis VII pag. 181.

curare coram proprietario vel eo rite vocato. Qui si adest, instrumento privato *(onderhands)* confici possunt. Ab hac obligatione nemo instrumento, quo usufructus tribuitur — neque alio modo, ut communiter sentiunt — liberari potest.

II. Tenetur *cautionem* praestare realem vel personalem, se rebus usurum more boni patris familias, easque earumve pretium restituturum. Cfr. VI. — *Exceptiones* vide art. 832.

III. Praestat *modicas refectiones,* quibus res integra servetur; non vero maiores, nisi res ipsius incuriâ deperierit. Quae vetustate aut casu collabuntur, neque dominus reficere tenetur.

IV. Solvit *annua onera,* eaque omnia quae ex rei fructibus solvi solent, ut tributa, census realis; item impensas litis omnes si de solo usufructu, pro rata si simul de dominio agitur.

Insolita onera, quibus res tempore usufructus gravatur, fert *dominus; sed* usufructuarius fenera pecuniae ad hoc erogatae domino compensat. Quodsi ipse loco domini solvit, ius habet repetendi sortem sine feneribus cessante usufructu.

Eodem modo ad *aes alienum solvendum* concurrit usufructuarius *universalis vel titulo universali* — quod cum Opzoomer (1) intelligendum videtur de usufructuario iure hereditario — non vero usufructuarius titulo particulari. Vide art. 845; cfr. n. 94, II.

Item si testator legaverit *censum vitalitium vel pensionem alimentariam,* praestari debent ab usufructuario integre vel pro rata, prout totali vel partiali usufructu gaudet, idque sine ullo quidquam repetendi iure.

V. Debet *monere dominum,* si quis illius ius laedere conatur; quod si negligit, ipse illatum damnum praestat, aeque ac alia damna rei illata a se vel ab iis quibus invigilare debet.

VI. Cessante usufructu rem domino *reddere debet eo statu, quo ipsi tradita est.* Si rei valorem auxit, nihil sibi petere potest, nisi ut ex hisce damnum rei illatum compensetur. — Specula vero, tabulas pictas ceteraque ornamenta, quae ipse apposuit, sibi auferre potest, ea tamen conditione, ut hisce ablatis res in pristinum statum restituatur. — Res quae *usu lente depereunt,* reddit, in eo

(1) Ed. 2ª IV pag. 116 sqq.

statu quo sese habent, modo ipsius culpa non deperierint. — Res quae *primo usu consumuntur* reddit in eadem quantitate et qualitate, vel solvit earum pretium.

Nota: 1° Iura et obligationes domini intelliguntur ex praedictis. — 2° Utriusque iura et onera instrumento, quo usufructus conceditur, generatim limitari vel definiri possunt.

61. Extinguitur usufructus:

1° *Morte usufructuarii.* Usufructus corpori morali collatus *post* 30 *annorum* spatium extinguitur, nisi iam antea fuerit solutum corpus morale. Cfr. n. 46, V, 2°.

2° *Expleto tempore* in quod, *vel impleta conditione resolutoria* sub qua tributus fuerit. Usufructus collatus usque dum determinata persona ad aetatem determinatam pervenit, perdurat usque ad constitutum tempus, etiamsi antea moriatur illa persona. Cfr. n. 27. IV, 3°.

3° Quando usufructuarius *fit rei dominus.*

4° Quando usufructuarius ius suum *domino cedit.* Renuntiationis tamen cuicumque factae sed in praeiudicium creditorum hi annullationem petere possunt. Art. 1377.

5° Praescriptione seu *non-usu* 30 *annorum spatio.*

6° *Totali rei interitu.* Quando pars rei perit, usufructus reliquae partis perdurat. Hoc tamen modo non extinguitur usufructus rei, quae primo usu consumitur. Neque cessat usufructus census vel pecuniae creditae, quando debitor sortem solvendo se liberat; usufructuarius tum ius habet ut pecunia iterum feneri detur.

7° *Propter usufructus abusum* usufructuarius iure suo *privari potest,* interveniente tamen *iudice,* cuius officium exponit art. 863.

CAPUT TERTIUM.

DE USU ET HABITATIONE (1).

(*Artt.* 865-876).

62. I. Acquiruntur et extinguuntur ut usufructus: cfr. n. 58, III et 61.

(1) Sporer. Tr. VI, n. 25 sqq.

II. Onera cautionem praestandi, res describendi, iis more boni patris familias utendi, easque domino reddendi item eaedem sunt ac pro usufructu n. 60.

III. Regulae iuris praecipuae usui propriae, nisi instrumento quo constituitur aliter stipulatur:

1ª Qui praedii usum habet *eos tantum fructus* percipit, qui *sibi suaeque familiae sunt necessarii.* — Quoad animalia non habet ius in fetus neque in lanam.

Vox « *familiae* », hic et infra integrum patris familias comitatum comprehendit; inquilinus excluditur.

2ª Ius suum aliis *cedere vel locare non potest.*

3ª *Fruitur rei servitutibus,* non autem iure venationis vel piscationis.

4ª *Domum ipse cum familia sua* inhabitare potest, etiamsi tempore concessi iuris non erat coniugatus.

5ª Qui *omnes* praedii fructus percipit, vel *integram* domum occupat, eadem fert onera ac usufructuarius; qui *partem* tantum fructuum percipit, vel domus partem inhabitat, pro rata portione fert rei onera.

6ª Usus rei, quae *primo usu consumitur,* non datur, sed semper reputatur ususfructus.

CAPUT QUARTUM.

DE SERVITUTE (1).

(*Artt.* 721-755).

63. I. **Servitus** *passive* sumpta est onus, quod praedium unius domini in gratiam et utilitatem praedii alterius domini ferre debet; *active* est ius reale, quod quis habet, ut res aliena rei suae serviat. — *Servitus personalis,* qua persona *iure reali* obligaretur ad opera quaedam in alterius gratiam praestanda, ita ut iuris remedio cogi possit, in nostro iure *non admittitur.*

II. Dividuntur 1° in *continuas,* quae absque hominis facto exercentur, ut aquae ductus; et *discontinuas* ut aquae haustus;

(1) Sporer, Tr. VI, n. 30 sqq.

2° in *apparentes*, de quibus externo indicio, portâ v. gr. vel fenestrâ constat, et *non-apparentes*, ut servitus aedificium non altius attollendi.

III. Acquiruntur titulo vel praescriptione. — Discontinuae et continuae non-apparentes titulo tantum, non praescriptione acquiri possunt. Sed cfr. art. 747.

IV. Probantur in iure servitutes a) *non-apparentes*, b) *discontinuae* solo instrumento, quo acquisitae sunt; *continuae simul et apparentes* etiam per externum eorum indicium seu usum et per testes. Cfr. III.

V. Regulae iuris praecipuae pro usu servitutum:

1ª. Habens ius servitutis eo secundum tituli stipulationem vel secundum usum in loco vigentem uti potest, idque eo semper modo, quo *praedium serviens quam minime gravetur*.

2ª. Dominus praedii dominantis neque in praedio serviente *neque in suo* quidquam mutare potest, quo servitus aggravetur.

3ª Idem omnia peragere potest opera, quae necessaria sunt ut iure suo fruatur, suis tamen impensis.

4ª. Dominus praedii servientis nihil peragere potest, quo servitutis usus minuatur vel impediatur.

VI. Extinguuntur servitutes:

1° Libera *conventione*.

2° Quando rerum conditio ita *mutatur*, ut servitutis usus totaliter et in perpetuum cesset; secus vero partialiter tantum vel ad tempus cessat servitus. Cfr. infra 4°, c), et art. 726.

3° *Dominii confusione*. Quando tamen praedia iterum diversis obtingunt dominis, reviviscunt — nisi aliter sit conventum — servitutes, quas per conspicuum indicium constat extitisse antequam idem dominus utrumque praedium acquisivit. Neque hic requiritur — ut in casu art. 747 — ut servitus sit continua.

4° *Praescriptione*. Quocirca nota:

a) Hae quoque servitutes, quae praescriptione *acquiri* nequeunt, *extingui* eâ possunt.

b) Etiam *modus* servitute fruendi praescriptione mutari potest.

c) Servitutes *reviviscunt*, quando praedia, praescriptione nondum completâ, in eamdem conditionem restituuntur.

d) Quando praedium *plures habet dominos,* horum *unus* servitute fruendo praescriptionem in omnium gratiam sistit, vel interrumpit. Pariter — ut praecedenti dispositione subintelligitur — si contra unum dominorum, v. gr. minorem, praescribi non potest, hic omnium ius conservat. Asser § 389.

e) Praescriptio incipit a die, qua *actio* servitutis usum impediens *palam* est peracta; unde merus non-usus generatim non sufficit (1). Cfr. art. 755.

f) Si actio illa ponitur ab *ipso* praescribente, requiritur ut ponatur *bona fide;* si ab alio, bona fides non videtur requiri, modo praescribens alterum in usu sui iuris non impediat (1). Cfr. n. 92, I.

VII. *Nota* 1. Servitutes, quae in iure Gallico dicuntur *naturales,* quia ex ipso locorum situ nascuntur, et *legales,* quia lege constituuntur, in nostro iure potius dicuntur iura et obligationes inter vicinorum praediorum dominos.

2. Quae legislator quoad servitutes sive proprie tales — artt. 726-741 — sive improprie dictas — artt. 672-720 — ad mutuam civium pacem sapienter statuit, etiam in conscientia sunt servanda. Quia praeterea de hisce saepius a vicinis litigatur; quia insuper lites huiusmodi intricatae et obscurae esse solent; et proin, maxime si coram iudice agantur, facile tum familiarum ruinae tum inexpiabili civium odio ansam praebent, hinc parochi et confessarii muneris sui esse reputent, data occasione fideles monere ut iuris regulas servent, lites potius amice componant quam coram iudice agant. Ad hoc autem multum iuvabit ut ipsi parochi et confessarii iuris hac de re statuta norint. Cfr. Marres I n. 447 et 460.

CAPUT QUINTUM.

DE IURE SUPERFICIEI.

(*Artt.* 758-766).

64. I. Ius superficiei (*recht van opstal*) est ius reale habendi aedificia (2) vel plantationes in solo alieno.

(1) Cfr. V. Egeren Fasc. XI pag. 271.

(2) *Gebouwen, werken.*

II. Iura superficiarii ex lege, nisi contractu aliter est conventum, sunt:

1. Aedificiis et plantationibus *utitur et fruitur more domini.*

2. Res superficiei iure obstrictas i. e. tum solum tum ipsas superficies *pro tempore,* quo ipsius ius durat, *servitutis onere gravare potest.*

3. Per idem tempus aedificia *destruere,* plantationes *eradicare potest, dummodo* a) vel pretium superficiei domino solverit, vel ipse superficiei sit auctor, *et* b) solum in pristinum statum restituatur.

4. Ius suum *alienare et hypotheca obligare potest.*

III. Ius domini, nisi aliter est conventum: cessante iure superficiarii acquirit dominium superficiei; idque absque ulla compensatione, si superficies iam supra solum existebat, quando ius superficiarii incipiebat, et hic pretium illius domino non solvit; secus vero dominus superficiario pretium superficiei solvit.

IV. Acquiritur titulo, et secundum nonnullos iurisperitos etiam praescriptione (1).

V. Extinguitur praeterquam conventione: 1° confusione iurium, 2° interitu soli, 3° praescriptione tricenaria, 4° expleto tempore, de quo convenere. Quodsi de tempore nihil sit statutum, dominus soli ius superficiei revocare quidem potest, sed tricesimo tantum anno impleto, et dummodo scriptura legali (2) ante annum hoc superficiario intimaverit.

CAPUT SEXTUM.

DE EMPHYTEUSI.

(*Artt.* 767-783).

65. I. **Emphyteusis** est ius reale plene fruendi (3) re immobili (a) aliena sub onere (a) solvendi domino annuam pensionem (canonem) sive pecuniâ sive fructibus.

(1) Vid. Diephuis VII. pag. 9 sqq.

(2) *Behoorlijk exploit.*

(3) *Het volle genot te hebben.*

(a) Hisce maxime emphyteusis differt ab usufructu. Ceterum transit etiam ad heredes.

II. Iura emphyteutae ex lege, nisi aliter sit conventum:

1. Exercet omnia iura dominio annexa.

2. Ius suum alienare (a) vel hypothecâ obligare potest.

3. In solo plantare et aedificare potest. De plantationibus, quarum ipse est auctor, pro arbitrio statuere potest. Arbores quas in solo invenit illi cedunt, quando moriuntur vel caso pereunt, modo pro iis alias plantet. Quid iuris sit circa aedificia et plantationes cessante emphyteusi, vide art. 772 sq.

III. Obligationes emphyteutae ex lege, nisi aliter sit conventum:

1. Canonem solvere, quae obligatio non est inter plures divisibilis, ita ut dominus integrum canonem ex singulis soli partibus sibi vindicare possit.

2. Solvere tributa quaecumque, etiam extraordinaria vel semel tantum solvenda.

3. Refectiones modicas praestare. Quod si negligat vel iura domini praescriptione extingui sinat, praestat damnum.

4. Nihil peragere, quo soli pretium minuatur; et hinc speciatim non inchoare fodinas.

IV. Acquiritur ut ius superficiei.

V. Extinguitur item ut ius superficiei, et insuper iudicis sententiâ, quae duobus in casibus peti potest. Art. 780 sq.

CAPUT SEPTIMUM.

DE CENSU REALI ET DECIMIS.

(*Artt.* 784-802).

I. **Census realis** est ius reale percipiendi annuum 66.
reditum (sive pecuniâ sive fructibus) ex fundo alieno.

II. Oritur triplici modo, sc. dominus vèl

1° *retinendo dominium* contractu stipulatur, ut ex re sua annuus reditus alteri solvatur; vèl

2° *cedendo dominium* stipulatur, ut ex re illa aliena sibi vel aliis reditus solvatur; vèl

3° *testamento* alicui censum legat, cuius onere praedium alteri relictum obligat (1).

III. **Decimae** sunt species census realis. Si nim. reditus solvendus consistit in *parte proportionata*, 10ª v. gr. 8ª vel 4ª fractuum praedii obligati, habentur decimae.

Nota 1. *Census realis* onere obligatur *fundus, non persona neque alia bona* debitoris, ita ut hic alienando fundum etiam onus solvendi in *secundum* dominum transferat. — *Decimae* vero non tam debentur a fundi domino quam ab eo qui quocumque titulo *fructus* percipit, qui si debito modo non solvat, creditor actione personali compensationem ab eo petere potest.

2. Si fundus decimarum onere gravatus dividitur, etiam onus solvendi dividitur (2).

IV. Redimi semper ex lege possunt a debitore census realis et decimae; contractu solum conveniri potest de redemptionis conditionibus, et stipulari onus solvendi redimi tantum posse post definitum temporis spatium, quod tamen 30 annos non excedat. Quod redimendi ius quoad decimas aliasque proportionatas fructuum praestationes sive in naturâ sive pecuniâ debitas extensum est etiam ad constitutas in perpetuum ante inductum codicem nostrum civilem (3).

SECTIO III. DE MODIS ACQUIRENDI.

DOMINIUM ALIAQUE IURA REALIA (4).

67. I. Duo sunt generales modi dominium acquirendi, *occupatio* (originarius) et *translatio* (derivatus), prout agitur de acquirenda re quae antea aut nullius fuit aut alicuius. — *Translatio* autem fit vèl *auctoritate publica,* ut praescritione, confiscatione etc. vèl auctoritate *privata* domini, ut successione hereditaria et contractibus cum vel sine traditione prout varia iura particularia disponunt.

---

(1) Cfr. Diephuis VII pag. 100 sq.
(2) Id. ib. pag. 112 sq.
(3) Wet van 12 April 1872. Stsbl. n. 25.
(4) Sporer, Tr. VI. n. 130 sqq.

Ad *occupationem* vel potius magis generatim ad modos naturales reducuntur *labor* et *accessio* cum suis speciebus.

Distinguuntur etiam in modos *iuris naturalis* (et gentium) (1) seu naturales, *iuris publici* (civilis vel canonici) seu legales, et *iuris seu auctoritatis privatae* seu conventionales. — Quoad omnes autem iustae leges positivae sunt attendendae. Quibus positis nonnulli modi partim sunt iuris naturalis partim iuris positivi.

II. Enumerantur art. 639 quinque modi: 1° *occupatio (toeëigening)*, 2° *accessio (natrekking)*, 3° *praescriptio (verjaring)*, 4° *successio hereditaria (erfopvolging)*, 5° *traditio (levering)* facta ex titulo iuridico dominii translativo (2) ab eo qui de dominio disponendi iure pollebat. Ast, quamquam hi modi tamquam soli l. c. assignantur, revera tamen hisce *alii modi non excluduntur*, ut perceptio fructuum pro usufructuario, communio legalis pro coniugatis etc. Pro re tamen nostra hos quinque modos exposuisse sufficiet.

CAPUT PRIMUM.

DE OCCUPATIONE (3).

I. **Occupatio** est apprehensio rei animo eam *suam* faciendi. Est ex iure naturae et gentium modus acquirendi dominium rerum corporearum quae sunt *nullius*, sive dominum nunquam habuerunt, sive habuerunt quidem, sed dominus seu voluntarie seu non voluntarie dominium dereliquit vel amisit. 68.

II. *Ex iure civili nostro* rebus nullius non sunt accensendae, vel saltem a iure occupandi excipiendae sunt:

1° *omnes res immobiles*, quae domino carent;

2° res sive mobiles sive immobiles *hereditatis vacantis*.

---

(1) Quid sit jus gentium, vid. V. Gestel. De Just. et Lege Civ. ed. 2ª, pag. 78 sqq.

(2) Id est: dominii translationem — non perficiente sed — poscente.

(3) Sporer, Tr. VI, n. 136.

Quae sc. art. 576 declarantur esse reipublicae *(behooren aan den Staat)* Cfr. n. 99 I. — Restrictum ergo est ius occupandi ad bona *mobilia non vacantia.*

Dicendum praecipue est de occupatione animalium, de thesauro et de rebus amissis.

ARTICULUS I.

DE ANIMALIUM OCCUPATIONE (1).

69. 1. **Animalia** 1° alia sunt natura sua *mansueta* et domestica ut oves, canes, equi; 2° alia sunt *cicurata,* seu usu et educatione mansuefacta, ut columbae in columbario; 3° alia natura sua vel de facto *fera.*

2. Resolutiones: I. Animalia natura sua mansueta semper manent in proprietate sui domini, etiamsi aberrent. Quare nec ea capere nec ea eorumve fructus retinere licet, nisi forte damni avertendi vel compensandi causa.

II. Animalia cicurata vel alia per occupationem propria facta manent in proprietate domini, quandiu in custodia eius coërcentur, vel ad eam redire solent. Quare et peccat, qui ea fraude vel arte allicit. — Ceterum huiusmodi animalia, si, cum semel custodiam evaserint, redire non soleant, *statim,* nisi forte dominus ipsa prosequatur, libera censentur, et fiunt primi capientis. — Item si custodia eiusmodi ferarum sit magnae vastitatis et magis naturà loci quam hominum industrià constituta, ut cervi in magnis saltibus, pisces in stagnis, ita ut eorum captura difficilis sit et dubia, ea capiendo non tam contra ius *dominii* quam contra ius *venandi* vel *piscandi* agitur, de quo infra.

III. Animalia fera iure naturae fiunt primi capientis; et fas est cuivis ea capere, venari etc. — Occupasse autem censetur qui ea ita vulneravit vel intricavit, ut eorum captura sit moraliter certa. At saepe bona fide capitur fera ab alio intricata sed nondum ablata. Is vero, in cuius fundo sine eius consensu laqueus positus est, pro libitu feram illaqueatam capere vel dimittere potest.

---

(1) Sporer, Tr.VI, n. 142.

3. **Ius venandi et piscandi** hodiedum ex art. 641 ad solum dominum fundi pertinet: estque strictum ac pretio dignum; quare illud laedens per se ad damnum compensandum tenetur.

Attamen contraveniendo *regulariter* non plus quam *venialiter* peccatur; secluso sc. notabili damno, ut si capiantur ferae valde multae et pretiosae, si aliae ferae reddantur pavidae aut omnino aufugiant ex territorio non amplo. Peccatur scilicet et restituendum est domino non pro *re* amissa, in quam nondum habuit ius strictum, sed pro amissa *spe* capiendi.

Ceterum *leges civiles,* quae iuris venandi et piscandi usum tantum regunt et coarctant, saltem universali consuetudine et interpretatione *mere poenales* censentur (1).

ARTICULUS II.

DE THESAURO INVENTO (2).

Notio. I. Thesaurus definitur art. 642: res abscondita vel suffossa, quam nemo suam esse probare potest — et quae casu detegitur. — Quae postrema verba proprie ad notionem thesauri non pertinent, sed potius addita sunt cum respectu ad ius inventori lege concessum. **70.**

II. Ad notionem thesauri, *ut ab aliis, quae inveniri dicuntur, rebus,* differt, pertinet 1° ut sit res *abscondita,* idque 2° *ab homine,* non a natura, saltem praesumptive; et 3° ut non habeat, vel rectius, ut *praesumatur non habere dominum.*

Per 2^m^ speciatim differt a venis auri, metalli et similibus sub terra latentibus, de quibus art. 626, si quidem art. cit. de rebus sub solo absconditis intelligi debeat, de quo dubitatur. Vid. Diephuis VI, pag. 31 sqq.

Nota. Codex supponit rem absconditam *in fundo.* Satis communiter tamen hac voce intelligi putant generatim rem immobilem

(1) Vide Wetten tot regeling der Jacht en Visscherij; 13 Juni 1857, Stsbl. 87; 14 April 1886, Stsbl. 61; 13 Juli 1896, Stsbl. 105; 14 Iuli 1904, Stsbl. 148.

(2) Sporer, Tr. VI, n. 169 sqq.

cum fundo coniunctam. Sed num ita saltem restrictus sit illius vocis sensus, et consequenter res abscondita *in re mobili* in iure nostro numquam veniat nomine thesauri, non conveniunt (1). Pro iure communi Sporer cum De Lugo (2) aliisque affirmat.

III. Invenisse thesaurum dicitur qui primus rem abditam in conspectum dedit: non requiritur ut iam prehenderit, neque, probabilius saltem, ut rem viderit. Imo secundum Diephuis (3) sufficeret, ut quis existentiam thesauri aliquo modo animadverterit, v. gr. inter laborem offendendo in rem instrumento laboris resistentem, quam ex sono aliisve indiciis cognoscit esse thesaurum. Solum tamen scire in tali loco rem pretiosam esse absconditam, non sufficit.

71. **Regulae.** Ex iure naturae thesaurus *totus semper esset inventoris*, vi sc. occupationis: sed

Ius civile de thesauri inventi dominio disponit *abstrahendo ab occupatione*. Inventio namque cogitari potest sine occupatione (4).

Favet partim domino, in cuius fundo thesaurus est inventus, *partim inventori*. — *Motiva* autem legis aequitatem conciliantia afferuntur: 1° *quoad dominum* fundi tum aliqua saltem, quae plerumque existit, *praesumptio* rem a quodam ex maioribus praesentis proprietarii fuisse absconditam; tum aliqualis *relatio* inter fundum et rem quam continet; 2° *quoad inventorem*, quod per eum res abscondita *hominum usui* est reddita (5). — Porro statuitur:

I. *Totus est* inventoris, qui iltum *in suo fundo* invenit.

II. Si *in alieno fundo* invenitur — casu, ut supponit lex — *dimidia* pars est inventoris, *altera* vero domini fundi.

Quae iuris constitutio, quia non est poenalis sed determinativa dominii secundum communem sententiam obligat *ante* sententiam iudicis; nisi forte agatur de re parvi pretii. — Advertatur autem ad bonam fidem inventoris. Cfr. n. 14, II.

---

(1) Vide Diephuis, VI, pag. 53 sq. Opzoomer, III, pag. 272, nota 1.
(2) Disp. VI, sect. XI, n. 129.
(3) VI, pag. 48.
(4) Vid. Opzoomer III, pag. 270 sqq.
(5) Cfr. Opzoomer, III pag. 269; Diephuis VI pag. 47.

III. Si vero in alieno fundo de industria et sine consensu domini est quaesitus et inventus *totus* cedit domino fundi.

Ita magis diserte statuebat Ius Romanum, quocum de cetero in hoc ius nostrum convenit; ita etiam communiter nostrates tum iuristae tum theologi ius nostrum interpretantur, nixi praeterea definitione thesauri collato art. 626, ex quo vèl domini fundi per se sunt res omnes sub fundo latentes, vèl saltem illi soli ius fodiendi competit.

Verum quia in poenam videtur ita tacite constitutum, hoc pro altera dimidia parte inventorem *non* obligare *ante* iudicis sententiam, etiam communiter sentiunt.

Quoad *usufructuarium* autem *et similes* fundi alieni possessores sunt tum iurisperiti tum theologi, qui hanc poenam ad tales non spectare putant. Nequaquam tamen ad eosdem, sive solos sive una cum domino, saltem generatim, pertinet ius domino fundi tributum in thesaurum eiusve dimidiam partem, ut de usufructuario diserte statuit codex noster. At sunt graves AA. qui *hic excipiunt emphyteutam;* et consentit pro nostro iure Diephuis, eo quod emphyteuta dicitur plene frui *(het volle genot te hebben)* re aliena, neque ei positive ut usufructuario hoc ius negatur (1).

Scholia. I. Quid de eo qui in alieno fundo, cum expresso 72.
domini consensu thesaurum quaesivit et invenit?

Hic casus videtur a iure praetermissus; ex silentio autem legis in favorem alii domini fundi, alii inventoris resolvunt, et alterutri respective integrum thesaurum attribuunt. Practice, si praevie pactum de dividendo thesauro non est initum, post sententiam iudicis huic stare sufficiet et oportebit.

II. Thesaurus inventus in loco omnino communi, ad nullius sc. dominium proprietatis pertinente, totus probabiliter est inventoris. Secus, si locus quidem publicus sit, sed ad communitatem iure proprietatis spectet. Cfr. n. 52.

III. Qui agrum, sciens in eo latere thesaurum et reticens, communi pretio emit, venditori ignoranti nullam facit iniu-

(1) VI. pag. 52. et VII. pag. 37, ubi: « valt het regt op den schat, zeker niet onder het begrip van *vruchten*, maar wel degelijk onder dat van *genot* ».

riam — quia pretium rei iustum non sumitur ex privata alicuius scientia, sed ex communi aestimatione hominum — et reperti postea thesauri integrum dominium sibi comparat. — Secus resolvendum de eo, qui thesaurum *iam inventum* rursus infoderet, et tum agrum emeret.

IV. In re mobili si res pretiosa reperiatur, non quidem ita facile domino carens adeoque thesaurus reputari potest, quia plerumque praesumptio stabit pro actuali vel antecedenti possessore. — Quodsi tamen revera per circumstantias haec praesumptio omnino evanescit, puta si illa res non hereditatis sed alio titulo ad plures successive possessores transiit, attento iure communi resolvendum ut de thesauro.

Eodemque modo *pro nostro iure* resolvunt Marres (1) et V. Egeren (2). Equidem propter dubium, de quo supra n. 70, II nota, puto magis faveri posse inventori.

ARTICULUS III.

DE REBUS AMISSIS (3).

73. Haec *dominum* habere praesumuntur, sed *ignotum*.

I. Potest adesse obligatio *charitatis* rem inventam *apprehendendi* etc.

II. *Rem apprehensam custodiendi,* eius curam habendi, dominum inquirendi morali diligentia eo maiore et diuturniore, quo maioris momenti est res arrepta, obligatio adest saltem charitatis, imo, secundum communiorem et probabiliorem, iustitiae sc. ex quasi-contractu. — *Saltem vero ex iustitia* rem tollens cavere debet, ne res ipsius apprehensione in deteriorem pro domino conditionem veniat.

III. Domino certo cognito res *reddi* debet ex iustitia, idque gratis. — Possunt tamen deduci *expensae* ad inquirendum dominum factae; item ex communiori promissum inventori *praemium,* si certa et definita re constat, exigi vel etiam deduci.

---

(1) I, n. 235.
(2) n. 258.
(3) Sporer, Tr. VI, n. 180 sqq.

IV. Si *morali* diligentia adhibita spes dominum inveniendi non amplius datur, *inventor* 1° secundum alios, praesertim antiquos, rem eiusve pretium *pauperibus vel in pium usum erogare debet,* secundum et propter praesumptam domini (adhuc dominium retinentis) voluntatem; 2° secundum alios rem *sibi retinere potest,* vèl secundum aliter praesumptam domini voluntatem, vèl quia rei dominium in hypothesi est potius involuntarie amissum quam voluntarie derelictum.

I. Ius civile art. 2014 cum supponat possessionem civilem, 74.
quam inventor habere non potest nisi mediante occupatione, iura inventoris legi naturali determinanda reliquisse videtur. Imo iis derogasse videri potest, tribuendo domino contra quemlibet detentorem actionem realem per triennium a die quo res est amissa. *Quare penes nos nonnisi post triennium* rei inventae dominium ab inventore occupatione — non praescriptione — acquiri potest: cfr. n. 90.

II. *Nonnulli hic censent* omnino oportere, ut inventor de re notabili nunquam absolute disponat ante elapsum triennium, quia hoc magis conforme est dispositioni iuris. *Verum regula ista nimis rigorosa videtur.* Quis enim damnaverit inventorem, qui ante elapsum triennium de re inventa disponat, si iam omnis spes rationabilis dominum recognoscendi evanuerit. Cf. V. Egeren. n. 265.

III. Res parvi momenti, quasque dominus non amplius pro suis agnoscere potest, ut nummos ordinarios, *iam ab inventore retineri possunt, postquam morali diligentia* dominus frustra inquisitus fuit; cum nec obstare possit domini voluntas, nec iuris dispositio; minima enim non curat praetor.

IV. *Post tres annos* si dominus comparet, inventor ad restitutionem obligari nequit. *Ante triennium* elapsum, tenetur inventor de re eiusque fructibus, inquantum ea in se vel in aequivalente possidet.

Qui culpabiliter inquisitionem omittendo, vel rem de in- 75.
dustria abscondendo causa fuit, cur dominus rem suam recuperare non potuerit,

1° *Rem retinere non potest,* sed restituere vel pauperibus aut in pium usum erogare eam debet.

2° Domino quocumque tempore comparenti insuper *omne damnum secutum compensare debet.* Cfr. dicenda de possessore malae fidei.

Nota. De rebus naufragantium speciatim disposita vide Cod. comm. artt. 545-568, coll. art. 313.

CAPUT SECUNDUM.

DE ACCESSIONE (1).

76. **Accessio** est ius quo nostrum fit quidquid cum re nostra unitur.

Generale principium iuris nostri hoc est: quidquid cum re coniunctum est, aut cum illa unum corpus efficit, est domini illius rei: art. 643; servatis tamen regulis quae sequuntur artt. 644-664. Quarum en praecipuae:

I. De Alluvione.

77. I. Insula, quae emergit ex fluvio navium non capaci, a domino ripae cui adhaeret, acquiritur; quando vero nulli ripae adhaeret, dominis utriusque ripae obvenit, ita ut medium flumen sit utriusque agri terminus.

II. Quidquid adiacenti ripae maris, fluvii aut lacus navium capacis *paulatim* accedit, a domino fundi, qui ripae adiacet, acquiritur. — Pro stagnis non datur alluvio.

III. Si pars agri *repentina* vi avulsa ad alteram ripam deiicitur, dominus agri huius per triennium ius suum vindicare potest; elapso autem hoc tempore etiam haec a domino fundi, cui accessit, acquiritur.

IV. Quando fluvius novo cursu alveum derelinquit, derelictus alveus non obvenit dominis ripae, sed dominis immersorum agrorum, ut ex eo pro rata damni parte compensentur.

---

(1) Sporer, Tr. VI, 219 sqq.

II. De Plantatione et Aedificatione.

Quidquid in fundo plantatur, seritur aut aedificatur, fit domino 78.
huius fundi, hisce tamen conditionibus:

1. Si quis in alieno fundo *mala fide* rem suam plantavit, sevit aut *materiâ suâ* aedificavit, dominus fundi plantationem etc. sibi retinere potest, dummodo solvat expensas factas. Quodsi retinere nolit, potest exigere, ut auferantur expensis illius qui plantaverit etc.

2. Si haec a possessore *bonae fidei* fuerint plantata etc., dominus fundi exigere nequit, ut illa auferantur; sed tantum ei datur optio, ut solvat vèl expensas factas, vèl quantum res pretio aucta fuerit.

3. Fundi dominus, qui rem non suam in agro suo plantavit, aut materia non sua in fundo suo aedificavit, plantationem etc. acquirit quidem, sed rei adhibitae pretium solvere debet, et insuper praestat damnum emergens domino, quem re sua spoliavit.

III. De Specificatione.

Qui ex aliena materia rem novae speciei conficit, fit dominus 79.
rei confectae, dummodo materiae pretium solvat, et damnum illatum resarciat.

Dominus materiae potest rem sibi vindicare solvendo pretium operae; quodsi tamen opera multum superet pretio materiam, artifex rem retinere potest solvendo valorem materiae.

IV. De Commixtione.

1. Si plurimorum materiae fortuito fuerint commixtae, res fit 80.
commune omnium dominium pro rato pretio cuiusque materiae commixtae.

2. Si commixtio de industria a domino cuiusdam ex materiis fuerit facta, hic rei dominium acquirit, ceteris tamen dominis pretium illarum materiarum solvere debet, et illatum damnum resarcire.

3. In utroque casu, si res commixtae commode disiungi possunt, quilibet rei commixtae dominus rem sum repetere potest.

CAPUT TERTIUM.

DE PRAESCRIPTIONE (1).

(*Artt.* 1983-2030).

81. I. **Praescriptio** *(veriaring)* est modus *aliquid acquirendi* vel *obligationem tollendi* per determinatum temporis lapsum et sub conditionibus lege statutis.

II. Distinguitur itaque duplex: *acquisitiva,* quae vocatur proprie *usucapio* — et *liberativa* seu extinctiva, quae presse audit *praescriptio.*

III. Principium: praescriptio, licet iuri naturali valde conformis, attamen dominium aliaque iura transferendi vim habet ex solo iure positivo, civili pro rebus profanis, canonico pro rebus ecclesiasticis, — idque etiam in foro conscientiae.

Probatur: legislator potuit et voluit hanc ei vim tribuere. — *Potuit,* quia revera dantur graves rationes, uti: ne possessores immortali timore teneantur; ut aliquis sit litium finis; ne debitores in perpetuum testimonia factae solutionis servare cogantur, neve debitis accumulatis ad paupertatem redigantur. Cfr. n. 14, II. — *Voluit,* ut patet ex artt. 639, 1983, 2000.

Est communis theologorum et canonistarum.

82. **Regulae iuris generales:**

I. Regula. Nemo iuri praescribendi renuntiare potest. Iuri tamen per praescriptionem acquisito quisque, modo alienandi sit capax, renuntiare etiam tacite potest.

II. Regula. Renuntiationi obsistere possunt ii, quorum per eam iura *fraude* laederentur.

III. Regula. Praescriptio a litigantibus invocari potest in omni statu litis; iudex vero eam in causis civilibus vi officii sui applicare nequit.

IV. Regula. Regnum, municipia et instituta ae-

---

(1) Sporer, Tr. VI, n. 188 sqq.

que ac personae privatae praescriptionem subeunt, eâque uti possunt.

V. Regula. Non praescribitur:

1° *Contra minores et interdictos; excipe* tamen praescriptiones liberativas breviores 30 annis. Art. 2013; cfr. n. 91.

2° *A coniuge contra coniugem.*

3° *Contra uxores* in casibus art. 2026.

4° *Contra creditores* in casibus art. 2027.

5° *Contra heredem* pro sibi debitis ex hereditate, quam *cum beneficio inventarii* suscepit.

Contra praedictos *praescriptio* non incipi nec procedere potest; *incepta suspenditur,* seu dormire dicitur: cfr. n. 85, II, nota.

Nota. Sunt qui regulam generalem valere putent: *contra agere non valentem non currit praescriptio.* Cfr. V. Egeren n. 299. — Sed contradicunt alii. Vid. Diephuis, II, pag. 259 sq. — Favere *illis* aliquatenus videtur Summa Curia (1).

VI. Regula. Computatur tempus praescriptionis per dies et non per horas; i. e. dies quo completur praeteriisse debet.

ARTICULUS I.

DE PRAESCRIPTIONE ACQUISITIVA.

§ I. — *De Re immobili, Censu, Debito creditori inscripto.*

Conditiones requisitae ad praescriptionem rei *immobilis* 83.
census vel *debiti creditori inscripti* sunt: 1° res apta: 2° possessio, qualem lex requirit: 3° bona fides; 4° *quandoque* titulus legitimus; 5° temporis spatium lege definitum.

Conditio I. ***De re praescriptioni apta.***

Aptae sunt quaecunque res, exceptis quae declarantur *ine-* 84.
ptae vél 1° *ratione sui,* nim. a) res extra commercium constitutae; cfr. n. 52, et ex iure canonico pro laicis loca sacra; et b) servitutes non-apparentes aut discontinuae; et c) res mobiles de quibus art. 2014: cfr. n. 90; vél 2° *ratione personarum,* contra quas praescribi deberet; cfr. n. 82, V Regula.

(1) 21 Jan. 1842, quoad absentes reipublicae causa etc. *Ned. Pas.* n. 186.

Conditio II. ***De Possessione.***

85. Requiritur possessio 1° *continua* et non intermissa: 2° *tranquilla* seu non turbata *(ongestoord);* 3° *publica* seu palam habita, ita ut ab iis, quorum interest, cognosci et sisti possit; 4° *non aequivoca,* ita ut dubium non sit, num quis suo an alterius nomine possideat; 5° *animo domini.* Circa quae nota:

I. Ad 1m et 3m. 1° Ex art. 1994 possessor qui se iam olim possedisse probat, *etiam interlapso tempore* possedisse praesumitur, donec contrarium probetur.

2° Ex art. 590 quilibet praesumitur *suo nomine* possidere, *nisi* probetur possessionem alieno nomine esse *inchoatam.*

3° Ex art. 591 qui possessionem *alieno* nomine *incepit,* eodem adhuc titulo possidere praesumitur donec contrarium probetur.

Quae regulae *in dubio* etiam in foro conscientiae applicari possunt. Secus enim praesumptio cedat veritati oportet.

II. Ad 1m Interrumpitur praescriptio *(wordt gestuit)*

1° Si possessor *ultra anni spatium* re vel eius fruitione privetur sive a proprietario sive a tertio; cfr. n. 56.

2° Si possessor *in ius vocetur* (1): etsi coram iudice incompetente, exceptis tamen casibus art. 2018.

3° Si possessor — item pro praescritione liberativa debitor — verbis vel factis *agnoscat ius alterius* contra quem praescribitur. Artt. 2015-2019; cfr. artt. 2020-2022.

4° *Pro foro interno* insuper *mala fide.*

b) Suspenditur *(wordt geschorst)* ut dictum est n. 82, *V. Reg.*

Nota. Differunt inter se interruptio et suspensio, quod *interrupta praescriptio de novo inchoari debet;* si vero suspensa solum fuerit, tempus quidem quo suspensa fuit non computatur, cessante autem inpedimento tempus quod suspensionem praecessit cum eam subsequente computatur ad complendam praescriptionem. seu *suspensa de novo compleri potest.*

---

(1) Door aanmaning, dagvaarding en elke daad van rechtsvervolging, alle in den vereischten vorm beteekend door een daartoe bevoegden ambtenaar, uit naam van den rechthebbende. Art. 2016.

III. Ad 2m. 1° Quid sibi velit haec tranquillitatis conditio non convenit inter iurisperitos. *Probabilius* tamen videtur *non sufficere ut possessio non fuerit interrupta* — sic enim haec conditio coincideret cum praecedenti. — Quanta autem vel quoties repetita turbatio praescriptionem impediat, casu occurrente iudex decernat (1).

2° Ex art. 1993 actibus *violentiae* acquiri *nequit* possessio ad praescriptionem utilis. Addit Cod. Nap. *cessante violentia incipit* possessio utilis. Quod et pro nostro iure tacite admissum censent Asser § 908 et Diephuis l. c. contra alios. — *Pro foro conscientiae* hic maxime attendendum erit ad requisitam *bonam fidem.*

IV. Ad 4m. Quod de actibus violentiae quoad tranquillam possessionem, idem illud quoad *non-aequivocam* statuitur l. c. de actibus *mere arbitrariis (van zuivere willekeur)* vel *simplicis tolerantiae.* Hic tamen Carrière (n. 433) merito excipiendas putat servitutes *apparentes et continuas.*

V. Ad 5m Qui alieno nomine possident atque eorum heredes numquam rem usucapere possunt, per quodcumque temporis spatium possideant; *etiamsi postea* se rei dominium habere *existiment.*

Poterunt tamen quando eorum possessionis *titulus immutatus* fuit, aut 1° actione *aliena,* ex. gr. cuiusdam tertii se dicentis proprietarium rei eamque vendentis possessori, puta locatario, qui sit bonae fidei; aut 2° actione *sua,* sc. contradictione bona fide iuri domini opposita; si v. gr. locatarius positive recusat locationis pretium solvere. Artt. 1996 sq.; cfr. n. 55, IV.

Conditio III. ***De bona fide.***

I. Ex iure civili 1° *requiritur* bona fides pro *omni* prae- 86.
scriptione acquisitiva; art 2000.

2° Bona fides semper *praesumitur,* mala est probanda.

3° *Sufficit* bonam fidem adfuisse *initio,* cum sc. rei possessio fuit acquisita, ita ut mala fides superveniens non noceat.

II. Ex iure naturae adeoque pro foro conscientiae *requi-*

(1) Cfr. Diephuis VI, pag. 449 sqq.; V. d. Sluis II. p. 260.

ritur bona fides *per totum temporis spatium,* quo praescribitur. Hinc:

1° Qui primum bona dein mala fide possedit, quam iterum bona fides est subsecuta, hac *secunda* bonae fidei possessione *tantum* praescribere potest; quia prima possessio fuit interrupta.

2° Possessor malae fidei illam *tantum* rei partem vel illud ius usucapere nequit, *quod mala* fide detinet. Unde qui partem agri mala fide, alteram vero bona fide; vel praedii dominium mala fide, usumfructum bona fide, possidet, illa usucapere nequit, haec potest. Idemque resolvendum de possidente alieno nomine seu titulo precario, secundum axioma: *tantum praescriptum quantum possessum,* proprio sc. nomine.

Non refert utrum mala fides seu conscientia rei alienae *vera* an *falsa* ratione nitatur. Quod contra Molinam videtur omnino tenendum cum De Lugo et aliis (1).

Possessor *dubiae fidei* in tantum tuta conscientia praescribere potest, in quantum dubium suum prudenter deponere et rem iuste retinere potest, secundum dicenda in Tr. III.

87. Possessor possessioni suae addere *potest* temporis spatium, per quod eius antecessor possedit; quocumque modo sive titulo universali sive particulari, sive oneroso sive gratuito illi successit. Art. 1995. *Potest,* si hoc illi favet; *non debet,* si forte noceret. Quoad heredem tamen attendatur ad art. 597. Vid. n. 55, III (2).

Hinc ille quoque qui possessori bonae fidei succedit, quamvis ab initio *suae* possessionis dubitet, aequiparandus etiam quoad praescriptionem videtur possessori, cui, possessione bona fide incepta, dubium supervenit (3).

88. Quaestio I. Num res a) mala fide, vel b) alieno nomine possessa ab antecessore, praescribi possit a successore bona fide et suo nomine possidente?

Resp. I. Si res transiit hereditate:

---

(1) Cfr. V. Egeren, n. 336.

(2) Cfr. Diephuis VI, pag. 464, sq. Opzoomer III. pag. 186; qui diserte docet heredem *debere* computare tempus antecessoris.

(3) Cfr. v. Egeren, n. 112 et n. 340; Tr. Busc. 45, 3°; Carrière, n. 472. Aliter sentire videtur Marres cum S. Alph. et aliis. Vid. Tract. III.

Ad a) *Negandum videtur* quoad omnem praescriptionem, quia deficit bona fides *iuridica* ex art. 597. — Quo non obstante vel non attento.

Affirmant quoad praescriptionem tricenariam v. Egeren (1) et Verhoeven (2), quosdam inter antiquos — qui secundum ius commune quaestionem dirimebant — et Gallos secuti. Nituntur art. 2004; *sed ex eo* secundum communem iurisperitorum erui solum potest praescriptione tricenaria *extinctam* esse pro domino *exceptionem*, quam possessori propter huius malam fidem antea obiicere potuisset (3).

Excipiendus videtur casus, quo antecessor *bona* fide *incepit*, mala fide continuavit possessionem propter dictum n. 86, I, 3°.

Ad b) *Item negandum* quoad omnem praescriptionem, ex art. 1996; cfr. n. 85, V.

Resp. II. Si res transit alio titulo iusto, etiam legati, *ad utrumque affirmatur*, modo ne computetur possessio antecessoris.

Quaestio II. Quid si dum *antecessor*, v. gr. pater, *bona fide* praescriptionem *complebat*, eius futurus heres, v. gr. filius fuit mala fide, sed tacuit?

Resp. Quamvis filius peccaverit contra charitatem, dum currebat praescriptio, *hac tamen completa* absque novo peccato sive iniustitiae sive contra charitatem rem accipere et retinere potest. Ei tamen ratione laesae charitatis et naturalis aequitatis *rei redditio suadenda*.

Quaestio III. Quid si *currente* praescriptione *tutor* erat *mala*, minor vero bona fide?

Resp. Minor *bona* fide *completa* praescritione videtur uti posse. Tutor vero praestabit damnum tertio illatum (4).

Conditio IV et V. ***De titulo et temporis spatio.***

89. I. Titulus generatim est ratio qua possessio nititur.

Distinguitur 1° in *translativum* et *non-translativum* dominii. — Posterior *precarius, vitiosus* audit.

---

(1) N. 354.

(2) Resp. ad Confer. Quaest. pro D. Ruraem. anni 1874, pag. 201 sqq.

(3) Vid. Diephuis VI, pag. 464 sq. coll. pag. 452 sq. et II pag. 240; Marres II, n. 409.

(4) Vid. Gousset n. 724 sq.

2° Translativus dominii iterum in a) *verum,* qui reipsa et valide existit; b) *coloratum,* qui existit sed invalidus est; c) *putativum,* qui adesse creditur sed revera non adest; et d) legaliter *praesumptum* ob temporis sc. diuturnitatem. Putativus et praesumptus dicuntur *nulli,* eo sensu qui mox indicabitur.

II. Ad praescribendum *bonum immobile, censum vel debitum creditori inscriptum* requiritur et sufficit:

Vèl 1° possessio 20 annorum cum titulo iusto *(wettig)* i. e. colorato: qui tamen non sit et manserit nullus ob defectum in forma. — Hic, ut patet, *non admittitur ignorantia iuris;* quia titulus iustus requiritur absolute, non tantum ut fundamentum bonae fidei. Cfr, n. 54.

Vèl 2° possessio 30 annorum cum titulo putativo vel praesumpto; i. e. nullus qui exhiberi possit titulus requiritur.

Titulus *verus* numquam requiritur, ut liquet; *vitiosus* numquam sufficit, imo impedit omnem praescriptionem — in quantum sc. est talis; cfr. n. 86, II, 2°. — Hinc illud: *melius est non habere titulum quam habere vitiosum.*

§ II. — *De Rebus Mobilibus.*

(*Art.* 2014).

90. I. **Regula iuris:** quoad res mobiles, exceptis censibus et debitis inscripto tantum creditori solvendis, possessio valet pro titulo *perfecto.*

II. Restrictio regulae. Quoad res amissas et ablatas *(ontvreemd)* domino *per triennium* a die amissae vel ablatae rei conceditur *actio realis* contra quemlibet detentorem.

III. Explicatio regulae. 1° Res mobiles intelliguntur *corporeae,* comprehensis hoc nomine debitis cuicumque exhibenti chirographum solvendis *(aan toonder betaalbaar),* seu res quae *de manu ad manum* tradi possunt; eaeque *singulares* tantum, non vero universitas mobilium, ut communiter theologi et communius, contra Diephuis (1), etiam iurisperiti sentiunt, quam sententiam

(1) VI. pag. 431 sq.

confirmavit Summa Curia (1). — Unde alii concludunt pro universitate rerum mobilium nullam dari praescriptionem; alii tamen admittunt praescriptionem 30 annorum vi art. 2004 (2).

2° Possessio intelligitur non nuda detentio, sed possessio *civilis* seu animo domini et, ex iure naturae atque ex mente legislatoris civilis, *bona fide* habita (3). Non ergo reiicitur vindicatio rei mobilis, dummodo dominus qua actor probet reum esse vèl iniustum vèl nudum rei detentorem; contra quem, si rem detinet *ex contractu*, datur actio *personalis*, quae 30 annorum tantum spatio praescribitur; si *ex delicto*, praeter actionem *criminalem* tribuitur actio *civilis* petendi damni compensationem, quae eodem temporis spatio ac criminalis actio praescribitur.

3° Titulus secundum plerosque iurisperitos et Neerlandos (4) et Gallos intelligitur translativus *dominii;* uti et iudicavit Summa Curia (5).

Conclusio. Ex iure civili itaque: 1° generatim dominium rei mobilis corporeae et singularis acquiritur *ipso actu, quo* quis bona fide civilem illius possessionem acquirit. Quia autem talem possessionem habere non potest qui rem titulo non vero ab ipso domino accepit, ideo art. 2014 applicari non poterit nisi possessori, qui rem *non a domino sed a tertia persona* accepit.

2° Dominium rei amissae vel ablatae *elapso triennio,* ut supra, a secundo possessore per possessionem civilem bona fide habitam acquiritur. — De ipso inventore vide n. 74.

Pro foro conscientiae etiam haec dispositio iuris vim habere videtur, quia gravibus revera nititur rationibus, sc.: ut

---

(1) 15 Febr. 1855. Een jaag- of schuitenveer met toebehoor is een algemeenheid van goederen,waarop *om die reden* art. 2014 B. W. alle toepassing mist. *Ned. Pas.* Bezit, n. 72. Vgl. H. R. 13 Mei 1870; *Ned. Pas.* Eigendom n. 42 en 64.

(2) Cfr. V. Egeren, n. 360; Tr. Busc. n. 53, 2°; et pro jure Belgico Waffelaert I, n. 244 sq. Quoad sensum art. 2004 applica dictum n. 88 ad a). Res mihi omnino dubia videtur.

(3) . . . Art. 2014 B. W. moet in dien zin worden opgevat, dat een bezit *te goeder trouw*, als eigenaar enz. H. R. 29 Juni 1855. *Ned. Pas.* Bezit, n. 63.

(4) Vide Diephuis VI, pag. 375 sqq. Marres I n. 422.

(5) 29 Junii 1855. Vid. supra sub 2° nota (3).

commercium mobilium, quae tam facile transferuntur, sit securum; et pactiones bona fide peractae sint stabiles. Praeterea legislator concedendo domino actionem, quandoque realem, quandoque personalem, illius ius sufficienter est tuitus (1).

ARTICULUS II.

DE PRAESCRIPTIONE LIBERATIVA.

91. Distingui potest I *attento tempore* definito — quae est unica conditio, quam ius civile requirit — *triplex:*

1° *Tricenaria,* qua quaelibet actio sive realis sive personalis praescribi dicitur: — quamlibet obligationem extingui subintelligitur, secundum mox dicenda.

2° *Quinquennalis,* qua debita periodice, singulis annis vel brevioribus statutis temporibus, solvenda praescribuntur. Art. 2012.

3° *Brevis,* qua actiones artt. 2005-2008 enumeratae praescribuntur spatio 1, 2, vel 5 annorum.

II, *Ratione efficaciae,* quam habet ex mente legislatoris, est *duplex:*

1° Praescriptio *obligationum,* qua debitoris obligatio *etiam naturalis,* et consequenter creditoris actio extinguitur.

Tales videntur praescriptiones *tricenaria et quinquennalis;* uti patet ex artt, 1417, 1983 et 2012. Ita communius sentiunt iurisperit (2).

2° Praescriptio *actionum* qua sola creditoris facultas petendi *in iure* extinguitur. Talis, saltem generatim, est praescriptio *brevis;* ut patet ex eo, quod creditores a debitoribus, hanc praescriptionem opponentibus, exigere possunt iuramentum de praestita debiti solutione; art, 2010.

92. Pro foro conscientiae — supposita bona fide per totum temporis spatium lege requisitum — ex theologorum satis communi sententia:

I. *Valet* praescriptio obligationum, seu *tricenaria* et *quinquennalis* quoad debita periodice solvenda; pro ratione cfr. n. 81. III.

(1) Auctores pro et contra vide citatos apud Marres I n. 423.

(2) Vid. Diephuis, X, pag. 772 sqq:; Marres, II, n. 379.

Bona fides autem ex communiori stare vix potest cum conscientia debiti; sed practice plerumque sola inculpabili debiti ignorantia niti potest, quandoque errore invincibili, quo quis putat se debitum solvisse. Unde concludunt ipsos debitores ut plurimum haud licite uti praescriptione liberativa; aliud vero esse de eorum successoribus.

Attamen a necessitate ignorantiae debiti excipiunt

1° communius casum quo praescribitur debitum *poenale,* quod sc. quis solvere non tenetur, nisi exigatur;

2° aliqui probabiliter etiam praescriptionem contra servitutem passivam; cfr. n. 63, VI.

II. *Non vero valet* ad extinguendam obligationem solvendi, saltem *pro ipsis debitoribus,* praescriptio *actionum* seu *brevis.* — Haec itaque eo solum prodest et subvenit debitori, quod ipsum ab onere probandi solutionem factam liberat. Prodesse etiam potest casu, quo debitum vere quidem non solvit, sed iustam habet causam differendi vel omittendi solutionem; tum sc. opponere potest praescriptionem; ast si revera iuramentum exigatur de facta solutione, hoc emittere non poterit (1). Quo eodem modo prodesse possunt praescriptio tricenaria et quinquennalis debitori, qui nondum solvit.

Aliter forte resolvi potest quoad debitoris *viduam* et *heredes,* a quibus solum exigi potest iuramentum de debiti ignorantia. Hi ergo, modo vèl revera bona fide ignorent debita, vèl haec sive soluta sive alia ratione deleta praesumant aut credant, certo tuta conscientia petitum iuramentum emittere possunt. Imo non improbabiliter docet v. Egeren (2), eos si forte post emissum bona fide iuramentum certiores fiant debitum non esse solutum, tamen stricte loquendo solvere non teneri, quia ex mente legislatoris debitum extinctum haberi potest.

Nota 1° Dicta de praescriptione actionum seu brevi non im- 93.
pediunt, ut patet, quominus credita ei subiecta vere extinguantur praescriptione *tricenaria.*

(1) Cfr. Diephuis X, pag. 508 sqq.; qui hanc praescriptionem improprie talem esse dicit; et Marres II, n. 378.

(2) N. 385.

2° Eadem praescriptio tunc solum *currere cessat,* quando vèl syngrapha (*schriftelijke schuldbekentenis)* — non confundenda cum contractu scripto inito — confecta, vèl debitor in ius vocatus est (1). Sed neque postea rursus currere incipit; art. 2009 (2), salvo tamen dicto nota pr.

3° Praescriptio, de qua art. 2011 (3), secundum Diephuis (4) vere extinguit obligationem; cfr. tamen V. Egeren (5).

4° Praeterquam in Titulo de praescriptione plures aliae tum in eodem tum in aliis codicibus vel legibus occurrunt statutae praescriptiones. Sic v. gr. artt. 754, 765, 783, 801, 854 et 865, ubi agitur de iuribus realibus, inter quae sunt, quae solo non-usu per 30 annos dicuntur praescribi. — Verum

5° A praescriptione proprie dicta distinguenda est mera cessatio iuris vel facultatis propter elapsum tempus pro quo fuere concessa; quae cessatio saepius ab AA. imo in ipsa lege praescriptio dicitur; cfr. i. a. artt. 1490 et 1556 cum 1085 et 1162 (6).

CAPUT QUARTUM.

DE SUCCESSIONE HEREDITARIA (7).

(*Artt.* 877-1176).

94 I. **Successio hereditaria** est modus acquirendi dominium bonorum defuncti.

Dividitur in legalem seu ab intestato, qua defuncti bona et iura ex lege, et testamentariam, qua ex ipsius defuncti ultima voluntate seu testamento ab heredibus acquiruntur.

II. Heres in nostro iure dicitur quicumque sive ex lege sive ex testamento vèl integram hereditatem, vèl quotam aliquam, v. gr. dimidiam, tertiam partem accipit.

(1) Cfr. n. 85. II, 2°.

(2) Cfr. Diephuis X, pag. 522 sq.

(3) In favorem iudicum, procuratorum et apparitorum.

(4) X, pag. 778.

(5) N. 383 in nota.

(6) Vid. Diephuis II, pag. 226 sq.; X, pag. 775. Et pro confusione V. d. Sluis II, pag. 272 sqq.

(7) Sporer, Tr. VI, n. 455 sqq.

Legatarius est, qui ex testamento rem aliquam vel res quasdam peculiares acquirit; v. gr. domum, omnia mobilia, omnia immobilia, usumfructum omnium bonorum vel partis eorum.

Heres succedit titulo *universali*, legatarius autem titulo *particulari*.

III. Heredes distinguuuntur 1° *legales* et *testamentarii*; 2° *necessarii*, qui pro parte bonorum, quam legitimam portionem dicunt, praeteriri nequeunt, et *voluntarii*.

IV. Controvertitur utrum successio sive ab intestato sive per testamentum vim haberet ex sola lege naturali; an tantum habeat ex solo iure positivo; an tandem fundetur quidem in iure naturali, vim completam et ultimam tamen hauriat ex iure positivo.

Certum vero est in conscientia et ex stricta iustitia standum esse legibus positivis *iustis* hanc materiam regentibus, civilibus quidem in causis civilibus, ecclesiasticis in causis ecclesiasticis (1).

ARTICULUS I.

DE SUCCESSIONE GENERATIM.

§ I. — *De Hereditate adeunda.*

I. Secundum illud: «nemo heres nisi velit», quisque potest aut 1° hereditatem *acceptare*, idque vel a) *nude* et simpliciter, vel b) *sub beneficio inventarii*, aut 2° illam *repudiare*. 95.

Hinc heredibus tribuitur *ius deliberandi per quatuor menses*, num vel quomodo hereditatem acceptare velint. Quod tempus etiam a iudice prolongari potest. Se deliberare velle, item a se acceptari hereditatem sub beneficio inventarii, heres tabellà in tabellaria *(ter griffie)* Tribunalis regionis deponendà profiteri debet; et a tempore huius declarationis factae computantur, quatuor menses deliberationis.

---

(1) Cfr. n. 14, II. Marres, I n. 260 sq. Carrière, n. 502 sqq. Id. de Contr. n. 286. V. d. Velden I, n. 107.

II. Acceptatur hereditas aut *explicite,* quando quis in instrumento autentico vel privato heredis titulum vel qualitatem assumit; vel *tacite* per actum sc. qui intentionem acceptandi necessario manifestat, et cuius ponendi ius non habuisset nisi heres; art. 1094, cfr. seq.

Nonnisi sub beneficio inventarii acceptari potest hereditas pro minoribus, interdictis, corporationibus publicis vel religiosis, et ab heredibus inter se dissentientibus num hereditatem simpliciter adeant necne (1).

Facultas acceptandi *expirat* per 30 annos si ante vel post elapsum illud tempus alii acceptaverint, salvo in utroque casu iure aliorum (2).

III. Repudiatur hereditas *explicita tantum* professione in tabellaria Tribunalis regionis, idque *nonnisi defuncto testatore.*

Item omnes *conventiones,* quibus iura in hereditatem personae viventis forte obventura alienarentur, iure *irritae* sunt.

Pars repudiata *obvenit aliis heredibus.* — Creditores tamen heredis repudiatam ab eo in ipsorum damnum hereditatem sibi vindicare possunt, ut debita ex illa solvantur.

Facultas repudiandi numquam praescriptione amittitur. *Amittitur* per fraudem, per tacitam acceptationem; et elapso deliberationis tempore heres constringi potest, ut acceptet vel repudiet, imo pro herede habebitur nisi repudiet.

Nota. De restitutione in integrum post acceptatam hereditatem vide art. 1099, post repudiatam hereditatem art. 1111.

§ II. — *Iura Heredum.*

96. Non requiritur apprehensio rerum defuncti, sed

1° Ex mera lege sine ullo voluntatis actu heres ita defuncto *statim succedit,* ut cum eo pro omnibus illius iuribus una persona habeatur, fiatque proin eo ipso quod heres est, a) *dominus,* b) *possessor,* c) *creditor* et d) *actor.* Et en sensus axiomatis: « *le mort saisit le vif* ».

(1) Artt. 459, 506, 1092, 1096.

(2) Cfr. Diephuis IX, pag. 48.

Quo privilegio non gaudent, 1° legatarius, 2° respublica (1).

Attamen haec possessio ex mera lege, quandiu non accedit hereditatis susceptio, non est possessio civilis de qua n. 53, sqq.

2° Heres habet actionem, quae dicitur petitio hereditatis, contra omnes qui aut a) *titulo heredis,* aut b) *sine ullo titulo* integram hereditatem vel partem (2) illius detinent (3), aut c) *dolo (met arglist)* possidere desierunt.

Nota. De herede *deliberante* vide artt. 1072 sqq.

§ III. — *Onera Heredum.*

1. Primum onus; *solvere* debent a) omnia a defuncto 97.
debita, b) *legata,* c) *expensas* pro hereditate iacente factas; sed:

I. *Pro rata* tantum parte quam quisque ex hereditate obtinet; id autem:

II. *Ex suiipsius bonis* qui *simpliciter* adiit, non qui sub beneficio inventarii, qui praeterea et ipse petere potest, ut sibi debita ex hereditate solvantur.

2. Quaeritur ad I. Num haec restrictio valeat etiam in conscientia, ita ut unus in defecto alterius huius partem supplere non teneatur?

Resp. Affirmative, seu *non tenetur supplere.* Iusta est enim lex, cum onera iuste inter heredes partiatur.

Creditores praeterea 1° sibi cavere possunt vèl debiti solutionem petendo ante hereditatis partitionem, art. 1147; vèl impediendo quominus res defuncti cum heredum rebus permisceantur, art. 1153. — 2° In casu simplicis acceptationis lex illis favet contra heredes. — 3° Retinent ius suum contra solvere renuentem. Est communissima.

NB. Heres qui propter hypothecam ultra suam partem solvit, coheredes convenire potest pro parte quam singuli solvere debuissent; art. 1149.

---

(1) Artt. 880, 1002.

(2) Cfr. Diephuis, VIII, pag. 32.

(3) Id. ibid. pag. 37 sqq. Sunt alii qui putent actionem non tribui nisi contra *possessores,* sc. animo domini,

3. Quaeritur ad II. Num hoc legis praescriptum solvendi ultra hereditatis vires obliget heredes in conscientia?

Resp. Probabilius et communius recentiores negant, quia lex nititur *falsa praesumptione facti*, vèl a) *fraudis*, ut plerique arguunt, vèl b) *intentionis* heredis ratam habendi integram defuncti voluntatem tum quoad debita tum quoad legata.

Haec proinde lex tantum regula iuris pro foro *externo* habenda est (1).

Imo neque post *sententiam* iudicis heredes obligati videntur, nisi maiora mala uti scandalum vitanda sint; quia sententia iudicis *eadem falsa praesumptione* nititur.

Nihilominus creditores et legatarii tuta conscientia iudicis officium implorare possunt; quia certo ex lege illud ius iis competit, incertum vero est num heredes ius habeant legem non servandi. Quare nec obligari possunt, ut acceptam iam solutionem reddant; praeterea in dubio melior est conditio possidentis (2).

Nota 1. *De hereditatis partitione* vide artt. 931, 935, 1112 sqq., et cfr. n. 17.

2. *De partitione a parentibus* facienda vide artt. 1167-1171, et cfr. n. sq. in fine.

98. I. Alterum onus heredum est *collatio* (*inbreng*); i. e. obligatio referendi, *in gratiam* tamen *coheredum* tantum, non creditorum vel legatariorum, donationes inter vivos a defuncto acceptas (3).

Solis autem heredibus, i. e. qui hereditatem *de facto suscipiunt*, non iis qui repudiant, hoc onus incumbit. Pro casu tamen laesae portionis legitimae cfr. n. 111.

II. Descendentes tantum defuncti per se seu ex ipsa lege hac obligatione tenentur, *nisi* defunctus eos *expresse* (4) *liberavit* hoc onere. — Alii econtra non tenentur, *nisi* defunctus hoc onus *diserte imposuerit*.

---

(1) Auctores citat Marres I, n. 271, III.

(2) Marres. I n. 272.

(3) Intelliguntur donationes proprie et stricte non v. gr. condonatio debiti vel liberalitas ficto contractu oneroso tecta. Cfr. Diephuis IX, pag. 258 sqq.

(4) Pro conscientia sufficere videtur, ut de intentione defuncti satis certo constet.

III. Nepotes referunt quae eorum parentes receperunt, *si* eos representant, *etiamsi* parentum hereditatem repudiant; non *vero si proprio nomine* ad hereditatem veniunt; art. 1135.

Coniuges referunt *dimidium* eorum quae *ambo simul* acceperunt a patre vel matre alterutrius; *secus* vèl totum — si a proprio parente, — vèl nihil — si a parente compartis — art. 1136.

IV. Sub donis speciatim comprehensa declarantur, quae defunctus dedit,

1° ut heredi vitae statum vel officium procuraret;

2° ut illius debita solveret;

3° ut dotem constitueret: art. 1142.

Exempta econtra declarantur

1° quaecumque expensa fuere a) ad sustentationem vel educationem, b) ad mercaturam, artem vel opificium addiscendum, c) ad studia absolvenda, d) ad liberationem ab onere militiae obtinendam, e) in nuptiarum epulas, vestes et gemmas *(kleinoodiën)* occasione nuptiarum. — Non tamen negatur parentibus facultas praedicta collationi subiiciendi; cfr. nota infra.

2° Fructus et fenera rei donatae, exceptis quae fuerunt percepta a die successionis apertae.

3° Res quae sine culpa donatarii casu perierunt. Artt. 1143 sqq.

4° Dona manualia et pro conditione defuncti minoris pretii; quia praetor non curat minima, et legitima consuetudo ita legem interpretatur.

5° Si donationes excedant partem hereditariam, *excessus* hic non est referendus excepto casu n. 111.

V. Collatio fit quoad modum pro libitu heredis vel 1° res acceptas *in natura* referendo; vèl 2° *deducendo* earum *valorem* a parte hereditatis donatario obveniente; vèl 3° *refundendo* earum *pretium;* artt. 1138-1142.

Nota. 1. Quamvis generatim suadendum sit, ut parentes aequalitatem inter filios servent, non tamen constringendi imo nec inducendi videntur, ut quae in educatione unius prae aliis expenderunt, collationi subiiciant; nisi forte excessus sit ingens, vel praecipue nisi per negligentiam excessivae expensae fuerint causatae (1).

(1) Tr. Busc. n. 65.

2. Nonnumquam suadenda partitio a parentibus facienda, ut praecaveantur lites et familiarum discordia, aut molestae illae solemnitates circa partitionem praescriptae, quando minores vel interdicti inter heredes habentur (1).

ARTICULUS II.

DE SUCCESSIONE LEGALI.

§ I. — *Quinam heredes ab intestato.*

99. 1. *Primo* loco ex lege vocantur consanguinei tum legitimi tum naturales; quibus deficientibus

Secundo superstes coniux; quo etiam deficiente

Tertio fiscus. — Respublica tamen per iudicis sententiam possessionem adipiscitur. Ex quo Marres (2) concludit — sed perperam ut videtur — eum qui ante illam sententiam res hereditatis occuparet, non strictam iustitiam sed obedientiam tantum laedere. Verum nimis clarus videtur sensus art. 576, ex quo abstrahendo a sententia iudicis bona vacantia *sunt* Status (*behooren* aan den Staat). Quare potius dicendum reipublicae tribui verum dominium, hoc autem *sub conditione* — si deficiant heredes — de cuius verificatione per iudicis sententiam constare debet, quà latâ respublica simul mittitur in possessionem (3).

2. Excluditur I. qua inhabilis, qui eo momento, quo defunctus obiit, neque natus neque conceptus est (4).

II. Qua indignus, de quo per iudicis sententiam constat quod

a) defunctum occidit vel occidere conatus est;

---

(1) Marres. I n. 280.

(2) n. 281.

(3) Cfr. V. Gestel, De Iust. n. LXI 4°.

(4) Cfr. n. 22. Quae codex artt. 881 et 957 statuebat de alienigenis (iuxta principium reciprocitatis), lege 7 Aprilis 1869 revocata sunt, ita ut hodiedum in patria nostra peregrini aeque ac incolae hereditatem adire possint. Statutum autem praeterea fuit: « Indien eene nalatenschap, waartoe zoowel goederen in Nederland als buiten 's lands behooren, gedeeld wordt tusschen vreemdelingen en Nederlanders, nemen de laatstgenoemden eene waarde vooruit, evenredig naar de mate van hun erfdeel met de waarde der goederen, van welker eigendomsverkrijging zij door buitenlandsche wetten of gewoonten zijn uitgesloten ».

« De waarde wordt vooruitgenomen op de goederen der nalatenschap ten aanzien waarvan de uitsluiting niet bestaat.

b) defunctum *per calumniam* accusavit facinoris, « waartegen een vrijheidsstraf met een maximum van ten minste vier iaren is bedreigd »;

c) qui defunctum *violentia aut vi* impedivit, quominus testamentum conderet vel rumperet;

d) qui testamentum defuncti celavit, destruxit vel adulteravit.

Nota. Indignitas tamen *parentis non nocet filio* nomine proprio ad hereditatem vocato: cfr. n. 27, III, 4°.

3. Differentia inter inhabilem et indignum haec datur, quod ille *numquam hereditatem consequitur*, hic vero eam obtinet quidem, sed dein *ea privatur per iudicis sententiam*, quae vim retroactivam habet ad diem obtentae hereditatis. Quam sententiam iurisperiti communiter requiri dicunt (1).

Quare indignus modo ne iniustitiae delicto hereditatem occupaverit, ante sententiam iudicis eam dimittere non tenetur.

§ II. — *Quo modo heredes legales ad hereditatem vocantur.*

100. I. Vocantur 1° *per capita (bij hoofden)*, quando singuli heredes aequali gradu a defuncto distant, adeoque hereditas aequaliter inter eos dividitur.

2° *Per stirpes (bij staken)*, quando unus vel alter ex heredibus est defunctus, et eius descendentes per repraesentationem ad hereditatem vocantur.

3° *Per lineas (bij liniën of stammen)*, quando hereditas dividenda est in duas partes, quarum altera paternis, altera maternis consanguineis obvenit: cfr. n. sq.

II. Repraesentatio conceditur

1° in linea recta *descendentibus legitimis*, etiam illegitimorum naturalium, sine ulla limitatione, — *non vero illegitimis;* cfr. n. 102: *neque ascendentibus.*

2° in linea collaterali in duplici casu:

a) *Posteri fratrum et sororum defuncti* suos parentes sine limitatione repraesentant, sive adhuc fratres et sorores defuncti supersunt, sive non.

---

(1) Contra Diephuis VIII, pag. 58 sqq.

b) *Proximior heres* semper per repraesentationem secum admittit descendentes defunctorum *suorum* fratrum vel sororum.

N. B. *Viventes,* v. gr. indigni vel qui hereditatem repudiarunt, *numquam repraesentantur.*

§ III. — *Quo ordine ex lege ad hereditatem veniunt consanguinei.*

101. I. Descendentes excludunt omnes alios, et succedunt per capita, si omnes aequalis gradus sint, secus per stirpes; cfr. n. pr.

II. *Quando deficiunt descendentes,* vocantur fratres et sorores *defuncti* — nomine fratrum et sororum hac § veniunt semper etiam horum descendentes; cfr. n. pr. II, 2°, b) — cum *eiusdem* patre ac matre, sc.;

1° *Si pater et mater supersunt,* horum singulis obtingit $^1/_3$ si unus, $^1/_4$ si plures fratres vel sorores supersunt,

2° *Si alteruter tantum parens superest,* huic obvenit $^1/_2$ si unus, $^1/_3$ si duo, $^1/_4$ si plures fratres vel sorores supersunt.

3° *Si deficiunt fratres et sorores,* parens aut parentes superstites integram hereditatem acquirunt.

4° *Si deficiunt parentes,* fratres et sorores integram hereditatem inter se dividunt:

a) *per capita,* si omnes ex eodem matrimonio,

b) *per lineas,* si ex diversis matrimoniis nati sunt. In posteriori hac hypothesi *bilaterales* in *utraque* linea, unilaterales in una tantum linea partem suam obtinent.

III. *Si deficiunt èt descendentes, èt fratres sororesque, èt parentes,* hereditas dividitur per lineas, hoc modo:

1° Ante ceteros consanguinei ascendentes in linea sua ad hereditatem vocantur; ita ut proximior totam partem suae lineae assignatam acquirat.

2° *Si ascendentes* in aliqua linea *deficiunt,* huius lineae pars obtingit proximioribus consanguineis collateralibus eiusdem lineae; cfr. n. 100, II, 2° b).

3° Haec dimidia hereditatis pars ab una ad alteram lineam transit tantum, quando in illa linea deficiunt consanguinei usque ad 12 gradum inclusive.

N. B. Ius civile in determinando consanguinitatis gradu in linea collaterali computat generationes in *utraque* linea; in quo differt a iure canonico.

Pro casu — a quo n. pr. abstraximus — quo cum vel sine heredibus legitimis adsunt illegitimi, nota: **102.**

1° *Illegitimi naturales* succedunt parenti, vel utriquè *parenti qui agnovit* (1); non vero parentum suorum consanguineis, nisi hereditas secus fisco adiudicaretur.

2° *Adulterini et incestuosi* — in sensu artt. 87 sq. — nihil praeter alimenta consequuntur; art. 914 sqq. Quibus *aequiparandi videntur naturales non agniti,* modo *certi* sint, de quibus nihil in codice (2).

3° *Non agniti — neque certi* — nihil omnino consequuntur; cfr. n. 109, II, 6°.

4° *Naturalium legitimi* descendentes parentes suos repraesentant; cfr. n. 111.

N. B. *Legitimati* gaudent iuribus legitimorum; art. 327 sq.

De agnitione naturalium vide artt. 335 sqq. — Quoad agnoscentis coniugem filiosque legitimos attende art. 340.

Quaeritur, num parentes in conscientia teneantur prolem spuriam agnoscere vel legitimare? **103.**

Resp. Modo ne desint officio naturali procurandi proli vitae sustentationem, christianam educationem et decentem statum, stricta obligatio sive ex iustitia sive ex charitate probari nequit. *Suadendum* tamen per se ut fiat (3).

---

(1) I. *Si defunctus reliquit descendentes legitimos,* illegitimus naturalis succedit pro $^1/_3$ illius partis, quam obtinuisset si legitimus foret.

II. *Secus* obtinet vel 1° *dimidiam* hereditatem, vel 2° *dodrantem* ($^3/_4$) hereditatis, vel 3° *integram* hereditatem, prout adsunt in 1° casu patris vel matris *ascendentes aut fratres vel sorores* horumve descendentes; vel in 2° casu alii eorum consanguinei *remotiores;* vel in 3° casu *nullus* eorum consanguineus, qui ad hereditatem vocetur.

N. B. Itaque *tantum* in I casu pars, quae naturali obtingit, accrescit si descendentes legitimi hereditatem repudiant vel ab ea ut indigni excluduntur. Artt. 910 sqq.

(2) Praedictis omnibus ex iure naturae, ut patet, debetur insuper, quatenus indigent, cura educationis.

(3) Cfr. V, d. Velden, I. n. 157. Qu. 2.

104. Naturali agnito ex lege succedunt:

1° *Descendentes,* ita ut filii *etiam naturales* excludant quoslibet alios.

2° Parentum alteruter vel uterque *qui eum agnovit.*

3° *Fratres et sorores naturales* eorumve descendentes legitimi. Exceptionem in favorem fratrum etc. legitimorum vide articulo 918 (1).

4° *Coniux.*

5° *Consanguinei* alterutrius vel utriusque *parentis, qui eum agnovit.*

6° *Fiscus.*

ARTICULUS III.

DE SUCCESSIONE TESTAMENTARIA.

§ I. — *Testamenti Notio et Divisio.*

105. I. **Testamentum** est actus quo quis declarat, quid velit post mortem fieri, et *qui revocari potest:* art 922.

Distinguitur formâ quadruplex:

I. Holographum, quod oportet 1° ut integrum scriptum et subscriptum sit manu testatoris: 2° vèl apertum vèl obsignatum pro libitu testatoris tradatur notario conservandum; a quo 3° de traditione facta confici debet instrumentum authenticum. Art. 979.

II. Publicum, quod conditur per notarium secundum articulos 985 sq.

III. Mysticum seu clausum quod notario coram 4 testibus clausum traditur, vel saltem coram iis claudendum est; artt. 987 sqq.

IV. Privilegiatum, quod militibus tempore belli, navigantibus atque existentibus in loco morbo contagioso infecto conceditur, sed temporaneam tantum vim habet; artt. 993 sqq.

Testes quales esse debeant; vide art. 991.

2. Tabella privata *(onderhandsch stuk)* modo *ab ipso testatore scripta* et, *apposita die, subscripta, valet* quin sit apud

(1) Cfr. V. d. Sluis, I pag. 231.

notarium deposita, sed *solum* 1° ad designandos testamenti executores, — 2° ad ordinanda funeralia, — 3° ad leganda « kleederen, lijfstoebehooren, bepaalde lijfsieraden en bijzondere meubelen ». — Quae tabella mortuo testatore iudici territorii offerri debet. — Quo modo conditur, eodem revocari potest.

3. Clausula testamenti dicitur stipulatio de peculiari quadam re. — Legatum dicitur tum clausula, qua alicui peculiaris quaedam res legatur, tum ipsa res legata.

4. Testamentum dicitur 1° solemne vel minus solemne (seu informe), prout solemnitates iure ad valorem praescriptae fuerunt servatae vel omissae; 2° ratum (seu firmum) vel irritum (seu infirmum), prout gaudet vel non gaudet omnibus conditionibus requisitis, ut effectum suum sortiatur. De quibus §§ sqq. Praevie vero.

De causis piis notanda veniunt sequentia. 106.

1. Hae utpote respicientes finem supernaturalem (1), non civili sed ecclesiasticae potestati sunt subiectae. Ecclesia autem nedum approbaverit, aperte *reiecit praescripta iuris civilis* circa pias causas.

2. Ut itaque testamenta vel clausulae ad pias causas in foro conscientiae sint rata, sufficiunt conditiones iure canonico requisitae, etiamsi lege civili irrita esse declarentur. — Est certa et communis contra paucos; constat praeterea ex Resp. S. Poen. 23 Iunii 1844 (2).

3. Conditiones autem iure canonico requisitae ex communi eaedem prorsus sunt, ac quas ius naturale postulat.

Requiritur ergo et sufficit, ut de testatoris *deliberata* (a vi et dolo immuni) ac *non revocata* pia *dispositione* — non enim sufficeret v. gr. propositum aliquando legandi — *certo* constet argumento quocumque iure naturali probato: ut per *duos testes,* per verba et nutus quae ipse *heres* vel testamenti *executor* exceperunt, per *schedulam* scriptam vel subscriptam a defunto (3).

---

(1) Nomine causae piae veniunt Ecclesia, monasteria, pauperes, divinus cultus, suffragia, vel quidquid praecipue fit Dei intuitu et finis supernaturalis. De Lugo, Disp. XXII. n. 265.

(2) Gury *Cas. Consc.* II, n. 861; Marres, I, n. 301, II.

(3) Cfr. V. d. Burgt. *De Eccl.* n. 318 sqq.

Quodsi autem aliunde non constat de voluntate testatoris, *non* tenetur heres in suum praeiudicium credere *uni testi* quamvis probatissimo, puta soli parocho.

4. Orta circa dispositiones ad causas pias dubia, *si* ad forum externum deducantur, ad Episcopum, non ad iudicem civilem, sunt deferenda.

Pro commutatione autem voluntatis testatoris *certo* cognitae, si iuste et honeste impleri potest, recurrendum ad Summum Pontificem; quod tamen facilius et certius fit *per Episcopum, nisi* sigillum sacramentale obstet. *Excipe:* nisi iusta causa praeignorata a testatore vel de novo incidens subsit, quam si testator cognovisset vel praevidisset, aliter disposuisset, et tunc quoque, si viveret, contentus esset in illum alium usum converti; quod secundum *epikeiam* interpretari ad executores et maxime Episcopum pertinet. Sporer, Tr. VI, n. 497.

§ II. — *Conditiones requisitae ex iure civili.*

I. Facultas testandi.

107. Ex iure naturae testari possunt omnes, qui rationis usu gaudent et de bonis suis ex *propriae* rationis iudicio statuere possunt. Cfr. art. 942.

Ex iure civili testari *non possunt* 1° *Minores* ante annum 18^{m} completum; 2° ex sententia communi (1), cui favet Summa Curia (2), *sub curatela constituti, nisi* ob prodigalitatem sunt interdicti; ex art. 500.

II. Consensus liber.

108. Requiritur iure tam naturali quam civili. In foro autem externo factum violentiae, fraudis vel doli probari debet: art. 940.

III. Habilitas acquirendi ex testamento.

109. I. *Absolute* inhabiles sunt, i. e. a *nullo* testatore acquirere possunt:

(1) Contra Diephuis negantem, quia in codice *hoc loco* nullatenus declarantur inhabiles, et *alio loco*, ubi de alia materia agitur, non satis diserte inhabiles declarantur. VIII, pag. 206 sqq.

(2) 9 Maart 1855. *Ned. Pas.* Testament. n. 16.

1° *Nondum existentes* (concepti, cfr. n. 22) tempore quo testator *moritur; exceptis* qui ex institutis *(stichtingen)* emolumentum sunt capturi; art. 946. — Quocirca

Quaeritur, quid *si institutum* nondum existit, sed *ipso testamento conditur?*

Resp. In nostro iure quum instituta qua personae iuridicae etiam a privatis constitui possint, et non distinguatur art. 946 inter institutum iam existens et ipso testamento condendum, *talis clausula* plerisque iurisperitis *existere videtur,* imo ideo ut consisteret, hanc exceptionem art. cit. additam censent (1).

Quia tamen non desunt qui aliter censeant, ideo testator, ut pia sua voluntas certo consistat, *vèl* bona sua personae iuridicae iam existenti leget, *vèl* antea donatione inter vivos pium institutum constituat, cui postea cetera bona testamento relinquat. Cfr. n. 51.

2° Testamentum, quo *instituto publico vel pio,* Ecclesiae vel instituto pauperum bona relinquuntur, non reputatur efficax, *nisi in quantum Rex* eorum administris facultatem concesserit legata acceptandi; art. 947.

Attamen pecuniae summa stipulata vel erogata ad sacra facienda *(kerkelijke diensten)* pro requie defuncti, dummodo fiant ante primum anniversarium, sc. per annum elapsum post defuncti obitum, non reputatur esse legatum stricte dictum sed pertinere ad exequias (2). Unde cum ratione inferri potest etiam clausulas de huiusmodi Sacris faciendis effectum suum absque regia auctoritate obtinere. Cfr. n. 106.

II. *Respective* inhabiles sunt, i. e. a *quibusdam* tantum personis ex testamento acquirere non possunt:

1° *Coniux a coniuge,* a) si matrimonium tempore, quo testator obiit, adhuc impugnari potest ob defectum consensus lege requisiti; art. 948. — b) Confer et testamento applica dictum n. 41 de communione bonorum in secundis et ulterioribus nuptiis.

2° *Tutor,* nisi sit consanguineus in linea ascendente, *a pupillo minori;* imo *nec maiori, si* nondum gestionis suae rationem dedit.

(1) Aliter iudicatur, ubi viget Cod. Nap. Pro hac sententia Marres I. n. 313 citat Tribunal Ruraem., Curiam Buscod. et Summam Curiam 30 Iunii 1882.

(2) Wet op het recht van successie, art. 27.

3° *Ludi magistri*, educatores et educatrices, praeceptores et praeceptrices *a minori contubernali.* — *Excipiuntur* legata, quibus pro conditione testatoris officia praestita remunerentur.

4° *Medici*, chirurgi, pharmacopolae aliique artem medicinalem exercentes, et *ministri sacri, quando* hae tres conditiones concurrunt, sc. a) testamentum *a testatore iam aegrotante* factum est; testator *hoc morbo obiit;* c) heres vel legatarius aegrotum in *hoc* morbo auxilio sui muneris *adiuvit.*

Excipiuntur: 1° legata ut supra; — 2° clausulae etiam universales in gratiam consanguineorum, etiam collateralium, usque ad 4^m^ gradum, quando heredes in linea recta desunt; — 3° clausulae in gratiam coniugis testatoris.

N.B. In patria nostra, secus ac alibi, hic art. 953 propter aequalitatem cum Protestantibus servandam ex mente legislatoris non tantum de confessione sacramentali intelligendus, sed latius patere videtur; attamen intelligi nequit nisi de auxilio spirituali ex munere aegrotis ita praestito, ut minister sacer aegrotum saepius inviserit (1).

5° *Notarii*, qui testamentum publicum condiderunt, et testes in hunc finem adhibiti ex *hoc* testamento nihil acquirere possunt (2).

6° Illegitimi *naturales agniti*, si etiam liberi legitimi adsunt, a parentibus nihil acquirere possunt nisi quae eis ab intestato obveniunt; art. 955. — *Probabilius* non censentur exclusi adulterini et incestuosi (3), quorum hoc loco mentio non fit; *certo* non excluduntur illegitimi *incerti* vel non agniti, ut qui in iure alieni reputentur.

7° *Adulteri et adulterae* (eorumque *complices?* (4)) *ab invicem* nihil acquirere possunt, modo ante mortem testatoris de adulterio per iudicis sententiam constet.

8° *Indignus* ut ab intestato succedat, eius *coniux et liberi;* exceptis tamen qui conati sunt testatori mortem inferre, et qui calumniose illum accusarunt. Cfr. n. 99. 2, II.

(1) Marres, I, n. 320, citans Diephuis ed. 3ª, IV, n. 752; qui in ed. 2ª VIII, pag. 384 illud « ut saepius inviserit » (een gedurigen omgang) non requirit.

(2) Cfr. Wet op het Notarisambt, art. 22.

(3) Cfr. Diephuis VIII, pag. 368, sq. Opzoomer, IV. pag. 300 sqq.

(4) Opzoomer. IV, pag. 231 putat non alios complices intelligi quam ipsos adulteros.

Nota. Dispositiones in gratiam *inhabilium* irritae sunt, etiam si *interpositis personis* factae fuerint. Tales habentur in iure parentes, liberi, descendentes atque coniux inhabilium; alii non praesumuntur tales nisi probetur (1).

IV. Ut testamentum substitutionem prohibitam non contineat.

110. I. Substitutio *(erfstelling over de hand)* dicitur clausula, qua quis ad hereditatem vel legatum post alterum vocatur. Est duplex:

1° Vulgaris, qua quis ad hereditatem vel legatum vocatur pro casu quo alter non vult vel non potest ea suscipere. Haec licita est. Artt. 1036 sqq.

2° Altera fidei-commissum: habetur quando heres vel legatarius a) *obligatur,* b) hereditatem vel legatum *servare,* c) eaque vel eorum partem *alteri tradere.* Haec est prohibita et irrita, imo et ipsam dispositionem in favorem heredis vel legatarii primo loco vocati reddit irritam, modo *tres* illae *conditiones* concurrant. Art. 926.

II. Non ergo prohibita, neque irrita sunt:

1° Substitutio *de residuo;* art. 928.

2° Clausula, qua dominium uni, *ususfructus alteri* legatur; art. 930.

3° *Dispositio conditionata,* qua v. gr. Petro legatur villa, quam tradet Paulo, si hic nuptias ineat (2). Vid. art. 1044. — Supponitur onus posita conditione implendum non respicere tempus mortis (3). — Neque prohibita secundum Diephuis (4)

4° Dispositio, qua quis heres instituitur cum onere totam hereditatem designato sibi modo tradendi (5); vel

5° Substitutio *de rebus fungibilibus,* v. gr. pecunia, tantum.

III. Controvertitur num prohibita et irrita sit substitutio,

---

(1) Cfr. n. 41, II «Ceterum etc.».
(2) De Pinto § 583.
(3) Carrière, De Contr. Ed. Belg. n. 350.
(4) VIII. pag. 311 sqq.
(5) Cfr. Summa Curia 19 Mai 1882, *Ned. Pas.* Fideicommis, n. 62.

quando imponitur obligatio tradendi non post mortem, sed post definitum tempus v. gr. post decennium.

Plerique iurisperiti Galli censent esse licitam; item inter Neerlandos De Pinto l. c. et Opzoomer (1). Fundantur 1° art. 928 ubi etiam substitutio de residuo intelligitur de eo, quod post mortem residuum erit; — 2° art. 1020; vide infra sub IV; — 3° eo quod absque dubio admittuntur in iure legata tum conditionata tum determinato tempore exequenda *(met tijdsbepaling)*; cfr. art. 1005 cum 1044 sq.

Contradicit Diephuis (2), quia verba « tempore mortis » consulto in art. 926 sunt omissa. Ipse tamen tum a communi opinione se recedere testatur, tum supradicta legata admittit.

N. B. Clausula, qua solum declaratur hereditatem, legatum eorumve partem non posse alienari (3), ut non scripta habetur; ceterum autem dispositio consistit: art. 931.

IV. Excipitur et licita est substitutio,

1° qua *parentes* bona, quorum liberam habent dispositionem, legant uni vel pluribus ex filiis suis adiecto onere ea servandi *omnibus* suis liberis *natis et nascituris* in 1° gradu tantum, aut qua *avus* et *avia* idem onus imponunt nepoti suo, cuius parentes sunt defunti. Art 1020.

2° qua quis bona sua legat uni vel pluribus *fratribus aut sororibus* horumve defunctorum uni vel pluribus liberis adiecto onere ut supra.

Quodsi unus vel plures ex liberis 2° loco vocatis vel etiam omnes ante heredem vel legatarium gravatum defuncti sunt, et descendentes reliquerunt, hi suum parentem repraesentant: art. 1022.

Plura huc spectantia vide artt. 1024 sqq.

V. Ut legitima portio sit incolumis.

111. I. **Legitima portio** est ea bonorum pars, quae a) consanguineis b) in linea recta c) ex lege ab intestato ad hereditatem vocatis competit; et de qua defuncto *neque per dona-*

(1) IV. pag. 280 sqq.

(2) VIII, pag. 309 sq.

(3) Sive ad tempus sive absque determinatione temporis; Diephuis, VIII, pag. 314 sq; qui praeterea concludit prohiberi clausulâ testamentariâ valide posse, ne determinato modo v. gr. per testamentum de hereditate etc. disponatur.

tionem inter vivos *neque per testamentum* disponere licuit. — Numquam ergo competit fratribus vel coniugi.

II. Reservatur a) descendentibus 1° si superstes est unicus filius legitimus, dimidia pars; 2° si duo, bes ($^2/_3$); 3° si tres vel plures, dodrans ($^3/_4$) totius hereditatis

Nomine filiorum intelliguntur etiam nepotes et alii posteri quocumque gradu, ita tamen ut numerentur tantum pro filio, quem repraesentant, art. 961.

b) Ascendentibus in defectu descendentium legitimorum etc.; cfr. n. 101; item naturalibus agnitis reservatur dimidia pars eorum, quae ab intestato illis obveniunt; cfr. art. 968. — Naturalium descendentes legitimi num per repraesentationem ius habeant in portionem legitimam parentum defunctorum, controvertitur. Affirmat Diephuis (1), negant alii (2).

Ad II. Iustitiam huius legis plures tum iurisperiti catholici tum theologi in dubium vocant, nonnulli etiam negant. *Rationes:* parentum libertatem de rebus suis disponendi absque sufficiente causa nimis coarctat, adeoque eorum ius dominii laedit; — obest familiarum, imo communi societatis bono; — ipsorum, quibus lex favere intendit, bono promovendo minus servit, imo de facto plus semel iis nocet (3).

Satis communiter tamen concedunt iustam eam quidem esse, *sed solum si vel in quantum* eam supponas magis restrictam; consentiuntque Antiquioribus qui ius Romanum interpretati sunt, atque communiter ut iustam admittunt dicti iuris dispositionem, qua filiis reservatur *tertia* vel *dimidia* bonorum pars prout *non plures* vel *plures quatuor* supersunt.

Quare et ea quae de obligatione sive obedientiae sive iustitiae, quae ex lege nostra orta supponitur, dicemus, *ea hoc restricto sensu intellecta volumus.*

III. Quoad donatorem vel testatorem quod de portione legitima disponere non licet (4), satis certo non est obli-

(1) VIII, pag. 434 sqq.

(2) Cfr. V. d. Sluis, I, pag. 248.

(3) Vide V. Gestel, *Ons Erfrecht,* in *Studiën,* jrg. 7 et 17.

(4) « Waarover de overledene noch bij gifte... heeft *mogen* beschikken ». Art. 960.

gatio strictae iustitiae; quia heres ad quamcumque hereditatis partem ius strictum non acquirit nisi post ipsius domini mortem. Videri potest vera obligatio obedientiae, sed neque haec ita certa est. Etenim recte, opinor, dicit V. Gestel: « Verba « *het is niet geoorloofd... het mag niet* » etc., quae in codice civili, saepius occurrunt, significant aliquem haec vel illa facere non posse, si frui velit iure a lege concesso (1)». Cfr. Marres (2) qui hanc obligationem obedientiae saltem per se, seu ratione obiecti, pro levi tantum habet.

IV. Donationes sive inter vivos sive testamentariae, quibus laesa fuit portio legitima, non sunt iure irritae, sed aperta hereditate minui possunt (3), idque solum si legitimarii vel qui in eorum iura succedunt illud petant. Art. 967.

Quodsi *intra annum* facta sit petitio, rei tradendae etiam reddendi sunt fructus percepti a die quo donator obiit; *secus* a die petitionis. Art. 974.

Quae non petuntur, tuta conscientia retineri possunt; neque datur obligatio monendi legitimarios.

Quae petuntur reddenda sunt ex stricta iustitia, quia ius legitimariorum utpote hereditarium est strictum. Ita absolute resolvit Marres (4). Equidem ex eo quod donationes ex iure sunt *validae*, et *minui* tantum *possunt*, potius resolvendum puto strictae iustitiae obligationem non existere nisi *post sententiam iudicis*.

V. Quaeritur num sit obligatio *pietatis* bona sua relinquendi cognatis *indigentibus?*

Resp. 1° *Affirmandum quoad fratres et sorores* pro rata eorum indigentiae;

2° idem dicendum *quoad coniugem;*

3° quoad consanguineos *remotiores* ex communiori non datur obligatio *gravis*.

---

(1) De Just. LXVI, pag. 165. Cfr. artt. 1713-1715.
(2) I, n. 340.
(3) Quo ordine et quo modo vide artt. 969-976.
(4) N. 339.

§ III. — *Num et quomodo testamentum possit rumpi, mutari et corruere.*

I. Omne testamentum, etiam ad pias causas factum, va- 112.
lide et licite rumpi et mutari potest; idque ex iure civili ita ut omnis promissio, omnis conventio vel iuramento confirmata irrita et non scripta habeatur (1).

II. *Promissio non mutandi* testamentum ad causas pias cum iure canonico valida reputetur, — 1° *homini facta* et acceptata ex fidelitate et sub levi saltem est servanda; — 2° *Deo facta* obligat ut votum.

III. Rumpitur testamentum a) *explicite* 1° per testamentum subsequens, quod *diserte* revocat prius; 2° per actum notarialem — qualis esse potest testamentum irritum in forma art. 1040 — 3° testamentum holographum repetitum et redditum eo ipso ruptum reputatur; art. 981.

b) *Implicite* per subsequens testamentum *ratum, in quantum* dispositiones priores *conciliari nequeunt* cum posterioribus; aliae integrae manent. Testamento irrito, etiamsi robur habeat actus notarialis, nec implicite rumpitur testamentum anterius.

IV. Corruunt a) *testamentum vel illius clausulae* renuntiatione vel inhabilitate heredis vel legatarii.

b) *Legatum corruit:*

1° quando testator ante mortem rem legatam alienavit, nisi illam iterum inter res suas receperit;

2° quando res legata periit ante mortem testatoris, aut etiam post mortem illius sed sine culpa heredis vel alius tertii;

3° peti in iure potest rescissio dispositionis testamentariae, si conditio imposita non est impleta.

Nota. Clausula, quae corruit, omni robore caret, ita ut v. gr. heres legatarii vel heredis testamentarii in horum iura non succedat; cfr. n. 115.

---

(1) Cfr. Algem. Bep. der Wetg. art. 14. De promissione iurata vide Tr. sq.

113. I. Conditio clausulae apposita

1° si ex intentione testatoris suspendit ipsum dispositionis *valorem* (suspensiva), facit ut ipsa clausula firma et rata tantum fiat post impletam conditionem;

2° si suspendit solum *executionem (tijdsbepaling)* dispositionis, haec ipsa statim post mortem testatoris rata habetur.

Quare quidem in 2° casu, non vero in 1° si heres vel legatarius moritur ante impletam conditionem, illorum heredes in iura testamento legata succedunt.

II. *Conditiones,* quae 1° intelligi, vel 2° impleri non possunt, vel 3° repugnant bonis moribus vel legibus, *non scriptae* habentur. — Ipsa *dispositio* igitur *rata* manet; art. 935.

III. Conditio *impleta censetur*, quando ne impleretur impedivit ille, cuius interest ut non impleatur; art. 936 (1).

114. I. Causa *(beweegreden) falsa,* si expressa sit, *non scripta* habetur, et proinde *clausulam ipsam non irritat, modo ex ipso testamento ne pateat* testatorem non hoc modo testaturum fuisse si scivisset causam esse falsam; art. 937.

II. Causa sive vera sive falsa quae *bonis moribus aut legibus adversatur,* dispositionem *reddit irritam.*

115. Accrescit corruente testamento hereditatis pars vel res legata;

1° *Heredibus ab intestato* ex regula generali; sed

2° *Heredibus testamentariis vel legatariis,* quando testator illud a) stipulavit diserte, vel b) implicite statuit; sc. quando integra hereditas vel res singularis pluribus *coniunctim* est legata; i. e. quando non est assignata unicuique eorum certa et *definita* pars; quod posterius in nostro iure *non* censetur factum hac sola locutione « pro *aequali* cuiusque parte ».

§ IV. — *De iuribus et obligationibus legatarii ex firmo testamento.*

116. Quae spectant *heredem* peregimus supra Art. I, § II et III.

I. Legatarius ex testamento acquirit ab ipso die obitus,

(1) Cfr. Tr. sq.

nisi obstet clausula apposita, *ius petendi* (1) ab herede vel a legatario, qui rem tradere iussus est, *ut res legata* sibi tradatur; idque *cum omnibus ei annexis* ac in eo statu quo *tempore obitus* testatoris sese habet; quod ius ad illius heredes transit: art. 1005 sq.

II. *Num* per testamentum acquirat *ius reale* seu rei dominium — quamvis sine possessione ex ipsa lege, cfr. n. 96 — *an solum* ius strictum *ad rem* seu in personam heredis sc. vel legatarii ut supra, non convenit inter iurisperitos (2).

III. Etiam *ius ad fructus* et fenera habet

a) *a die obitus,* 1° si testator illud expresserit; 2° si periodica sit contributio *ad vitae sustentationem;* 3° si *intra annum* rem petierit, vel res ipsi ultro sit tradita;

b) secus *a die petitionis:* art. 1006 sqq.

IV. Debet legatarius

1° *solvere tributa* regno quocumque nomine pro legatis solvenda, *nisi* testator aliud est stipulatus;

2° *implere ex iustitia onera,* quae testator illi imposuit. — Onera pluribus legatariis simul imposita ab iis adimpleri debent pro rata legati cuiusque; sicut etiam pro rata minuuntur legata, si minuenda sunt. Artt. 1008 sq., 1019; cfr. n. 111.

V. Ceterum *legatum* est *gratuitum censendum;* quare

1° res creditori legata non reputatur legata ad debita solvenda;

2° neque res famulis relicta reputatur relicta ad mercedem solvendam. Art. 1018.

---

(1) Hoc Marres, I n. 359 et 362, ita intelligit, ut res legata peti *debeat;* et consequenter ille, qui rem tradere iussus est, non videatur strictam iustitiam laedere, si non petenti ultro eam non offert, neque teneatur legatarium monere. — Haec quidem, fateor, verba codicis significare *possint,* at quod revera haec significent non crediderim. Potius sentio ideo dici legatario competere ius petendi, quia per testamentum acquisivit saltem ius rem habendi sive illud dicas ius reale sive ad rem tantum. Neque pro tali interpretatione quidquam reperio apud iurisperitos qui mihi praesto sunt; sed neque A. l. ullam auctoritatem allegat.

(2) *Negant* i. a. ius reale De Pinto § 577, Diephuis VIII, pag. 409 sqq., ubi et alii citantur: Opzoomer, IV, pag. 262. — *Affirmantibus* favet duplex sententia Summae Curiae, sc. 19 April 1861, *Ned. Pas.* Legaat n. 9; et 4 Maart 1881, *Ned. Pas.* 2e Verv. Legaat n. 47.

NB. Quando res legata *in specie tantum* est determinata, heres nec tenetur optimam, neque potest pessimam huius speciei rem tradere; art. 1016.

§ V. — *De Testamento irrito.*

117. Testamentum irritum ex defectu conditionis iure naturae requisitae, saltem *pro foro conscientiae, plane* nullum, seu ne existere quidem reputandum est, idque ante omnem iudicis sententiam, ita ut quilibet se gerere possit vel debeat, ac si testamentum non habeatur.

Pro foro externo tamen *constare debet de facto,* puta de vi, fraude etc.

118. Testamentum irritum *ex solo iure civili,* pro variis modis quibus legislator *potest* si vult irritare actus iuridicos — id quod omnes concedunt — distingui *potest:*

I. 1° *plane nullum* seu non-existens ut supra; 2° *civiliter tantum* nullum *minus proprie, ita* sc. ut *solum instrumentum* nullum reputetur, sed dispositiones a testatore factae et obligatio naturalis, quam vocant, firmae consistant etiam post sententiam iudicis; 3° *civiliter* nullum *proprie* — quod recentiores nonnulli *non-existens* dicunt — ita ut neque dispositiones a testatore factae *in iure civili* existere reputentur; 4° *rescindibile* — *nullum* vocant iidem recentiores — quod existere etiam in iure reputatur, donec a iudice nullitatis declaratione rescissum fuerit.

II. Utrumque, nullum et rescindibile, tale esse potest 1° *absolute,* ita ut vitium *ab omnibus,* quorum interest; vel 2° *relative,* ita ut *ab herede tantum,* in cuius gratiam cedit lex irritans, invocari possit.

Porro *antiqui,* qui secundum *ius romanum* hanc quaestionem resolvunt, et quorum plerique eam solum instituunt de testamento irrito ex defectu solemnitatis, in tres diversas abeunt sententias, prout sc. vèl 1°, vèl 2°, vèl 4° ex supra dictis modis legislatorem voluisse testamenta irritare sentiebant.

Recentiores, qui sc. secundum *iura recentiora* quaestionem resolvunt, pariter alii aliud sentiunt, ita ut quatuor sententiae di-

stingui possint. Inter hos nim. sunt, pauci tamen, qui modum tertium irritandi non distinguunt a primo; sed alii communius civilem nullitatem proprie dictam ita accipiunt, ut plenum effectum non sortiatur nisi post sententiam iudicis (1).

Sunt tandem, tum inter antiquos tum inter recentiores, qui spectato dubio iuris quaestionem pro praxi ex principio reflexo possessionis dirimendam esse docent.

Sunt etiam inter recentiores, qui variis modis quaestionem resolvunt, prout agitur de vitio quod ad ordinem *publicum* servandum aut bonos mores tuendos, vel de vitio, quod in utilitatem tantum *privatam* heredum ab intestato est constitutum. Sed haec distinctio arbitraria est, cum nullum habeat fundamentum in textu iuris, quod nullibi inter illa vitia distinguit.

Resolvendum *pro nostro iure* videtur: testamentum ex solo iure civili sive nullum sive rescindibile; 119.

I. *Pro foro conscientiae* existens et validum haberi potest, donec sententia iudicis rescissum vel irritum declaratum fuerit. Sed

II. Post sententiam iudicis *in utroque foro* est irritum.

Prob. I. pars. Ex iuris peritorum communi sententia in iure recentiore penitus derelicta atque *abrogata sunt praescripta iuris Romani,* quibus actus iuridici ita lege irritantur, ut sint *ipso iure,* i. e. *absque ulla iudicis sententia* irriti: econtra quilibet huiusmodi actus consistere reputatur, donec iudicis sententia de nullitate illius sit prolata. Proinde locutiones «rescindere» et «irritum declarare» in iure recentiori synonymae habentur (2).

Confirmatur sententiâ Summae Curiae (3); quae simul et alii inrisperitorum doctrinae auctoritatem addit, nullitatem sc. testamenti ex iure civili irriti esse tantum relativam: «Zoolang de nie-

---

(1) Quandonam testamentum ex iure nostro civili, secundum plures saltem, habendum sit proprie nullum, quando vero rescindibile tantum, et controversiam de actu nullo vide n. 184 et 186.

(2) Vide Marres I. n. 370, ubi plures inrisperiti, allatis nonnullorum verbis, citantur.

(3) 22 Oct. 1852. *Ned. Pas.* Testament, n. 131. cfr. n. 127.

tigheid van een testament niet is uitgesproken (1), is de daarbij ingestelde erfgenaam of bewindvoerder bevoegd in die hoedanigheid te handelen en in rechten op te treden.... Alleen de wettige erfgenamen zijn bevoegd, om de nietigverklaring der uiterste wilsbeschikking te vorderen ».

Prob. II. pars. 1° Ex iure nostro nihil afferri potest, quo ostendatur *instrumenta* tantum non vero *testamenta* irritari.

2° Constans est iurisperitorum doctrina et Tribunalium sententia legislatorem ipsum testamentum et ius ex illo oriundum attingere voluisse.

3° Etiam universali tum iurisperitorum, tum confessariorum et fidelium agendi rationi repugnat contraria opinio.

Notanda. I. Propter allatas rationes nonnulli etiam eorum, qui speculative 1^m^ vel 2^m^ sententiam tuentur, pro praxi huic sententiae accedunt (2).

II. Quae contra hanc sententiam 1° antiqui AA. ex iure *Romano* afferunt, haec, ut patet, pro nostro iure nihil amplius probant.

2° Quae vero AA. Galli (3) ex firmitate *donationis praesertim manualis* afferunt, pro nostro iure nihil efficiunt, cum legislator noster de utriusque donationis — solemnis et manualis — discrimine mentem suam diserte aperiat.

3° Quod vero *legatum* ab herede *iam solutum repeti non potest* propter defectum solemnitatis testamenti, hoc sponte sua ex

---

(1) *NB.* Agebatur de testamento irrito tum propter defectum in forma, tum propter prohibitam substitutionem. Si vero ullum, profecto eiusmodi testamentum proprie nullum ex iure civili habendum est. — Verum quid pro foro conscientiae *haec* nullitas seu non-existentia importet, vide n. 186.

Dico: *haec* non-existentia. Nam aliud forte resolvendum, si *neque testamenti instrumentum* confectum sit, sed defunctus oretenus solum suam voluntatem expressit. Et revera Marres I, n. 369, resolvit, idque communiori theologorum opinioni dicit conforme, in casu pro utroque foro non existere testamentum. Verum nonnisi cum aliqua restrictione hanc resolutionem sat firmam et certam habeo. Distinguendo sc. utrum, necne de voluntate defuncti constet argumento iure naturae probato — vide dicta de testamento ad causas pias; — si constet, resolvo ut de testamento irrito seu rescindibi; secus vero res per se patet.

(2) Gousset. Th. Mor. I, n. 796. Bouvier, ed VI pag. 292; ed VIII, pag. 298. Carrière, n. 604; ed. Belg. n. 335.

(3) Ut Gousset ad art. 967.

priori huius sententiae parte fluit. Solvendo enim heres reputatur repudiasse ius opponendi testamenti vitium. — Primae sententiae patroni iis qui ex negata repetitione concludunt (1) remanere obligationem naturalem, respondent: obligatio naturalis sensu lato sumitur, quatenus nim. includit quodlibet debitum morale etiam simplicis honestatis *(de délicatesse ou de piété)*, quae secundum iurisperitos sufficit ad impediendam repetitionem soluti, quia non fuit solutio sine causa; neque tamen supponit veram obligationem conscientiae (2).

Corollaria. I. Heres testamentarius 120.

1° Tuta conscientia *hereditatem adire vel retinere potest* ex testamento iure tantum positivo irrito, *donec* hereditas ab heredibus ab intestato petatur; *nec tenetur* ipse illos de testamenti vitio *monere*.

2° Ius suum legitimis argumentis *defendere potest;* attamen *si praeridet* fore ut testamentum a iudice rescindatur, petenti *acquiescere etiam ante* iudicis sententiam debet, sed *ex charitate* tantum, ne sc. alterum ad inutiles litis impensas inducat. — Contra iustitiam vero peccaret, si dolo vel fraude iustam iudicis sententiam impediret (3).

3° Post iudicis sententiam testamentum numquam extitisse censetur. Proinde heres testamentarius *tenetur ex iustitia et res* ipsas *et fructus* a die obitus testatoris perceptos reddere.

Eodem modo resolvendum *de legatario.*

II. Heres ab intestato ius, quod ex lege habet, defendere *potest:*

1° *Agendo,* ut sc. hereditatem sibi tradi petat *probando vitium* testamenti. — Heredis vero testamentarii *possessionem* propria auctoritate *laedere non potest.*

2° *Excipiendo:* ita ut, si ipse hereditatem iam possideat, eam *tradere renuat.*

III. Heres testamentarius *ex testamento firmo* (4) traditionem rei legatae negare potest *propter infirmam clausulam* eiusdem testamenti.

---

(1) Ut Gousset ad art. 967.

(2) Carrière ed. Belg. n. 329 Prob. I, 4°.

(3) Cfr. monitum n. 41 in fine.

(4) Si enim *totum* testamentum est infirmum, non potest heres commoda ab incommodis separare. Vide Tr. de Consc. n. 80.

121. Quaeritur, quandonam heredi non liceat obiicere testamenti vel legati infirmi vitia?

Resp. 1° Quando *vi vel fraude* testatorem impedivit, quominus testamentum ratum faceret (1).

2° Quando *promisit testatori* se testamentum executurum et legata soluturum, *etsi* iure sint *irrita*.

Id autem *ex iustitia, si ideo* testator abstinuit a conficiendo vel mutando testamento, vel ab inscribendo tali legato; seu *si hac conditione,* expressa vel tacita, hereditatem obtinuit; quia contractu explicito vel implicito ligatur.

Quodsi non *hac tantum conditione* hereditatem obtinuit, eum teneri stare promissioni negat Collator Andegavensis, quem refert Carrière (2); quia 1) conventio privata derogare nequit dispositioni legum; 2) quia si validitas semel admitteretur, iam praeberetur medium facile eludendi leges. — Verum allatae rationes supponunt, ut patet, nullitatem testamenti in conscientia etiam ante iudicis sententiam (3). Qui proinde ex supradictis nobiscum censet probabilitatem illius opinionis pro iure saltem neerlandico esse negandam, consequenter resolvere debet ruere quoque pro eodem iure hanc opinionem in illa fundatam, atque etiam in hoc casu promissionem obligare *saltem ex fidelitate* (4).

3° Quando illi notum est rem legatam *aliunde,* v. gr. propter restitutionem, esse debitam.

CAPUT QUINTUM.

DE TRADITIONE.

(*Artt.* 667-681).

122. **Traditio** hic non tam de re alteri porrigenda sed potius de iure seu potestate de re disponendi in creditorem transferenda intelligitur.

In nostro enim iure solo contractu ius ad rem tantum oritur, traditione vero *ius in re et dominium* acquiritur.

(1) Cfr. Tr. III de Iustitia.
(2) Ed. Belg. n. 336.
(3) Quae est utriusque laudati Auctoris opinio.
(4) Cfr. Tr. sq.

Haec autem pro variis rebus fit variis modis.

I. Immobilia traduntur transcriptione instrumenti contractus in *publicas* tabellas.

II. Res mobiles corporeae et debita exhibenti chirographum solvenda *(effecten en schuldvorderingen aan toonder)* traduntur porrectione sive ipsius rei sive clavis aedificii vel capsulae, ubi res illae servantur.

Nec requiritur, ex sententia Summae Curiae (1), ut res *de manu ad manum* tradatur, sed sufficit ut res praesens et indicata in potestatem creditoris transferatur.

Neque « videtur necesse, ut res danda *coram* indicetur, quamvis pro maiori securitate consultum id erit, si fieri possit. Quod si factum non fuerit, donator autem indubie facultatem fecerit donatario talem rem determinatam sibi sumendi; tunc, puto, ex mente legis sufficienter traditio facta est, quia reapse donator rem constituit sub potestate donatarii (2) ». Cfr. Diephuis (3), qui idem sentire videtur.

Nulla requiritur traditio, si res iam in alterius potestate est.

III. Debita creditori inscripto tantum solvenda, ceteraeque res incorporeae traduntur per instrumentum authenticum vel privatum, quo haec iura transmittuntur ad alterum, cuius nomen instrumento inscribitur.

Debitor tamen novum suum creditorem agnoscere non tenetur, nisi haec traditio illi fuerit notificata, vel ipse illam *scripto* agnoverit.

IV. Negotiatorum syngraphae *(wissels, orderbriefjes of promessen aan order, assignatiën aan order)* traduntur transcriptione in aversa pagina *(endossement)*. Cod. Comm. artt. 133, 209, 212.

V. Debita publica *(inschrijvingen op het grootboek der nationale schuld)* et *actiones* societatum *certo nomini* adscriptae *(op naam staande aandeelen in maatschappijen)* traduntur secundum specialia statuta (4). Cfr. Cod. Comm. art. 42 sq.

(1) 19 Nov, 1841, *Ned. Pas*, Levering, n. 4.
(2) V. Gestel. *De iust.* LXXXV, pag. 201 sq.
(3) VI, pag. 94 sq. et XI, pag. 210 sqq.
(4) Vide Luttenberg, *Chron. Verz.* Tom. I, ad 8 Dec. etc. 1814, pag. 90 sqq.

TRACTATUS II.

DE CONTRACTIBUS.

SECTIO I. DE CONTRACTIBUS GENERATIM.

CAPUT PRIMUM.

CONTRACTUS NOTIO ET DIVISIO (1).

123. **Praenotandum** ad rectam Auctorum maxime antiquiorum intelligentiam.

Conventio, pactum, contractus: tria haec quandoque *ut synonyma* sumuntur, sicque generatim definiuntur: *duorum vel plurium in idem placitum consensus,* sive obligatio inde nascitur, sive non.

Ut differentia inter se, contractus stricto sensu sumptus solum dicitur, quando vèl *mutua obligatio* — «ultro citroque obligatio» tum vocatur — vèl saltem *obligatio naturalis* (in conscientia) *èt civilis* (in foro externo seu actio) simul oritur: pactum quando vèl obligatio *ex alterutra tantum parte,* vel *naturalis solum* nascitur; conventio, quando *nulla obligatio* oritur,

Communissime autem, hodie praesertim, vox contractus ita accipitur ut duo illa priora in sensu exposito complectatur. Quo sensu

(1) Sporer, Tr. VI, n. 261 sqq.

Definitur contractus in codice art. 1349: *actio qua unus* 124.
aut plures erga unum pluresve alios obligationem suscipiunt. Iam non, ut antea, dicitur «conventio», ne idem per idem definiri videatur. Verum ut nunc sonat, definitio neque satis excludit quasi-contractum, neque satis clare complectitur contractum bilateralem. Qui defectus ut omnes vitentur, melius, opinor, definitur; *expressus duorum vel plurium consensus voluntatum, quo utrimque vel ex altera tantum parte nascitur obligatio.*

I. Obligationes *(verbindtenissen)* omnes oriuntur vèl *ex* 125.
contractu, vèl *ex lege;* et pro obiecto habent rem dandam, faciendam aut non faciendam. Art. 1269 sq.

II. Obligationes *ex lege* nascuntur vèl ex lege *sola,* vèl ex lege *per (ten gevolge van) hominis factum,* idque aut licitum *(rechtmatig)* aut illicitum. Art. 1388 sq.

Nota 1. Codex explicando et determinando tradit primo ea quae omnibus obligationibus communia sunt, ab art. 1271: dein quae obligationum ex contractu generatim, ab art. 1329, tum quae obligationum ex lege propria sunt, ab art. 1388; post de cessatione obligationum art. 1417, 1492, denique de contractibus nominatis in specie agit.

2. Quandonam ratione sive contrahentium sive rerum de quibus contrahitur, diversorum regnorum leges, et quaenam in variis occurrentibus casibus attendendae sint, vide apud Marres II, n. 12 sqq.

Distinguenda in omni contractu haec tria sunt: *substantia,* 126.
natura et *accidentalia.*

I. Ad substantiam contractus pertinent tantum ea, sine quibus contractus aut non existit, aut fit contractus alterius speciei.

II. Ad naturam ea pertinent, quae lege vel consuetudine contractu comprehendi censentur, nis expresse fuerint exclusa.

III. Accidentalia dicuntur, quae contractu non continentur, nisi specialiter addantur.

Dividuntur contractus I et praecipue in *gratuitos* et 127.
onerosos: (art. 1350) — atque *mixtos.*

Gratuitus est contractus, quando una pars alteri *gratis* commodum praestat. *Onerosus* est: quando *utrimque onus* suscipitur — et compensatur — addunt nonnulli iurisperiti et theologi a quibus *mixtus* dicitur, quando onus ab una parte susceptum *partim* solum ab altera parte compensatur.

Pro iure civili contractus mixtus onerosis annumerandus videtur (1).

II. Huc *fere* recidit. et hinc saepius cum ea confunditur, divisio contractuum in *unilaterales* et *bilaterales;* quae divisio proprie *non* mutuam oneris suscepti *compensationem*, ut praecedens, *sed* solum *obligationem* ex una vel utraque parte existentem respicit. V. gr. donatio pura est contractus gratuitus et unilateralis, emptio-venditio onerosus et bilateralis, commodatum gratuitus et bilateralis

III. Contractus onerosus subdividitur in *commutativum*, quo onus certum certo lucro compensatur, et *aleatorium*, in quo lucrum ab una alterave parte accipiendum dependet ab incerto vel ignoto eventu.

IV. *Solemnis* dicitur contractus, ad cuius *valorem* requiritur certa solemnitas, ut actus notarialis ad donationem (non-manualem); secus *non solemnis*.

Cum hac non est confundenda divisio iuris communis in contractus *vestitos* et *nudos* prout pariunt vel non pariunt actionem. In nostro iure omnes generatim contractus, ludo et sponsione exceptis, obligationem civilem gignunt, dummodo in foro probari possint.

Ad probationem autem *testes non semper* admittuntur, idque generatim si agatur de summa pecuniaria vel valore ultra 300 florenos, vel etiam minoribus sed exactis contra vel ultra id quod scripto instrumento petitur; art. 1933 sqq. — *Neque iuramentum* admittitur in causis de quibus partes vèl transactionem inire nequeunt, vèl in quibus earum confessio *(bekentenis)* non admitteretur; art. 1967. — *Scriptura* semper quidem admittitur, sed non quaelibet semper sufficit, vel non contra omnes; art. 1904 sqq. — *Libri mercatorum* facilius sufficiunt contra non-mercatores; art. 1919 coll. Cod. comm. art. 10.

V. *Nominatus* dicitur contractus qui in iure nomen sibi proprium habet; *innominatus* qui nomine proprio caret. Posterioris quatuor sunt modi et velut species: *do ut des — do ut*

(1) Cfr. Diephuis X, pag. 370 sq.

facias — facio ut des — facio ut facias. Generatim supponitur non *dari* pecuniam.

Contractus innominati reguntur solum generalibus statutis de obligationibus ex contractu: cfr. n. 125, Nota 1°. In nostro iure contractus *do ut des* sub nomine permutationis *(ruiling)* accensetur contractibus nominatis; cfr. n. 259.

VI. *Consensualis* vocatur contractus qui solo partium consensu in sua specie perficitur; *realis* qui nisi rei traditione non perficitur. Cum autem *in nostro iure* ex omni contractu ante traditionem ius ad rem tantum nascatur, neque ullus contractus ob solum defectum traditionis suo effectu careat, haec divisio *hoc respectu* ad praxim nihil facit; si nim. solum queritur, num *aliquis* contractus pro utroque foro subsistat, consequenter num ius et obligatio aliqua orta sint; non vero quaeritur *qualis* contractus etc. habeantur.

VII. *Expressus* dicitur contractus quando verbis; *tacitus* quando facto aliquo consensus est manifestatus.

Posterior a *theologis* nonnumquam vocatur quasi-contractus; a *iurisperitis* autem quasi-contractus non dicitur, nisi quando ex alterultra saltem parte deest verus consensus, quem tamen lex positiva adesse fingit. Est itaque potius obligatio ex lege per licitum hominis factum; quae obligatio vèl ex una solum parte vèl inter duos oriri potest,

Huius generis facta seu quasi-contractus in iure communi quinque recensentur: 1° negotiorum gestio, 2° administratio tutelae, 3° communionis rerum citra societatem susceptio; 4° aditio hereditatis, 5° indebiti solutio. De primo et ultimo codex noster agit artt. 1390 sqq.; de aliis alibi.

VIII. Praeterea in iure communi distinguuntur contractus *bonae fidei* et *stricti iuris*. Penes nos omnes contractus sunt bona fide exequendi; art. 1374.

CAPUT SECUNDUM.

DE CONDITIONIBUS CONTRACTUS FIRMI (1).

Conditiones requisitae sunt; 1° *consensus* contrahentium, 2° 128.
habilitas eorum ad contrahendum, 3° *materia* determinata, 4° *causa* licita; art. 1356. — Theologi plerumque dicunt: 3° materia idonea, omittuntque 4^m^ conditionem quam sub 1^a^ et 3^a^ comprehendunt.

(1) Sporer, Tr. VI n. 276 sqq.

ARTICULUS I.

CONSENSUS CONTRAHENTIUM.

§ I. — *De Conditionibus Consensus.*

129. Requiritur consensus contrahentium, quia a sola ipsorum contrahentium voluntate contractus omnem suam vim et efficaciam habet. — Porro debet esse *internus, externus, mutuus,* et *perfectus.*

I. Internus seu verus ob mox datam rationem. — Hinc non sufficit 1° *propositum* consentiendi, 2° consensus *iocando* prolatus, 3° consensus *praesumptus* seu interpretativus, 4° consensus qui *pro libitu* retrahi potest (1), 5° consensus sub conditione *de impossibili* serio adiecta (2).

130. 1. Quid de consensu *ficto sed externe serio* prolato?

Resp. 1° Non sufficit ex communi et certa, contra nonnullos, ad *verum contractum* (3).

2° Fingens tenetur *iniuste deceptum* indemnem servare, etiam, si opus est, verum consensum supplendo.

3° *In foro externo,* quia fictio mere interna probari non potest, contractus *valere reputatur,* et nemo credere tenetur asserenti se ficte consensisse.

4° Quid de contractu inito animo promittendi quidem, sed non suscipiendi obligationem?

Resp. Satis certo non valet *supposito vèl* posteriorem voluntatem priori, *vèl* neutram alteri praevalere (4); quia duae illae voluntates sunt contradictoriae adeoque se invicem elidunt. Est contra nonnullos.

---

(1) Cfr. tamen n. 170.

(2) Art. 1290 qui dicendo; « die men daarvan heeft doen afhangen » intelligit, ut patet, conditionem serio adiectam.

(3) Sporer n. 287 cum De Lugo Disp. 23, Sect. 1, n. 11 censet oriri tamen *aliqualem* obligationem *fidelitatis,* quae nim. virtus inclinat ad conformanda facta cum verbis praeteritis seu promissionibus etiam externis tantum, ne decipiantur homines.

(4) De Lugo (D. 22, S. 4) hac distinctione duas oppositas sententias concilians.

Certo autem valet contractus si quis mere ignorans obligationem inde oriri, contrahere intendit ut alii solent, quia implicite vult obligationem; item contractus serio initus sed cum animo obligationem susceptam non servandi, quia haec voluntas utpote de diverso obiecto non excludit consensum requisitum.

II. Externus seu manifestatus consensus requiritur. Non re- **131.**
fert autem quibus signis manifestetur, nisi ius positivum determinatum modum praescripsit.

1. Promissio quidem externa esse debet, quia alias acceptari non potest (1); quare et

2. Acceptatio saltem in contractu *oneroso* externa sit oportet, quia habet rationem repromissionis.

3. De acceptatione etiam in contractu *gratuito* communius et probabilius affirmatur (2). Concedunt autem omnes hic praesertim silentium plerumque sufficere.

III. Mutuus debet esse consensus. Ad quod requiritur: **132.**

1° Ut uterque contrahens in eumdem contractum de eadem re consentiat.

2° Ut eodem temporis momento hic utriusque consensus habeatur.

Non autem requiritur ut uterque eodem tempore consensum *eliciat,* quia consensus datus perseverat quamdiu non retractatur. Quo sensu sufficit consensus habitualis. Quando ergo dicitur requiri consensus actualis vel virtualis, intelligitur de tempore quo primus consensus datur.

3° Ut pollicitatio vel petitio fuerit alteri non quomodocumque sed *ex voluntate et intentione* pollicitantis vel petentis manifestata, seu insinuata vel intimata, ut dicunt. Secus enim utriusque voluntas, etsi manifestata, non tamen moraliter *uniretur.*

---

(1) Sporer n. 292 cum De Lugo D. 23, S. 2, n. 31 sq. potius rationem petit ex natura virtutum fidelitatis et iustitiae, quibus nim. *inter homines* agitur et *alter erga alterum* obligationem contrahit et ius acquirit, quod sine signis externis peragi non potest.

(2) Negat Sporer n. 294 cum De Lugo, qui tamen D. 23, S. 5, n. 82 indicat saltem promittentem non teneri ad contractus executionem, quamdiu ipsi de acceptatione non constat.

4° Ut pollicitatio vel petitio fuerit acceptata. Sed

133. Quaeritur, utrum acceptatio etiam ipsa debeat alteri intimari et innotescere, ut contractus subsistat? — Quaestio praecipue spectat contractus inter absentes.

Resp. I. Controvertitur. 1° Alii generatim *affirmant utrumque.*

2° Alii *negant utrumque*, nisi obstet lex ut in donatione, vel usus commercii vel contraria proponentis intentio. Secundum hos itaque per se sufficit ut acceptatio sit quovis modo manifestata, etsi non alteri parti: cfr. n. 131.

3° Alii *utrumque affirmant* de contractibus *onerosis*, negant de gratuitis.

4° Secundum alios tandem requiritur, saltem quoad contractus onerosos, sed et sufficit, ut acceptatio sit *intimata* — v. gr. litterae iam expeditae — etsi nondum cognita; vel saltem ut acceptationis significatio *pervenerit in potestatem* promissoris, v. gr. ut litteras ad se datas acceperit, etsi nondum legerit.

Resp. II. 1° Satis certo contrahentes *possunt, si velint* contractum perficere ad normam secundae sententiae; ut si quis alteri pro emendo eius equo offert et simul transmittit pecuniae summam; alter si acceptat poterit statim de ista pecunia disponere.

2° Verum pro contractibus *onerosis* contraria plerumque videtur mens proponentium. Quare *practice et per se* probabiliorem habeo tertiam sententiam, quae etiam communior est inter iurisperitos; quam et tenent De Lugo (1) et cum eo Sporer (2) et Lessius (3).

In contractibus autem *gratuitis* per se nihil obstare videtur, quominus res vel ius ab uno oblatum ab altero solo facto acceptationis acquiratur. Pro nostro tamen iure excipienda est saltem quoad intimationem donatio solemnis.

Resolves. In hac sententia qui alteri proposuit contractum onerosum, v. gr. per litteras, potest quamdiu acceptationis notitia ad eum non pervenit, propositionem factam revocare, puta nuntio telegraphico.

---

(1) D. 22, n. 27 sqq.
(2) N. 294.
(3) L. II, c. 18, n. 43.

Qui tamen alteri intimavit contractum, eo ipso tenetur per moram temporis vel determinatam vel congruentem expectare responsum alterius, vel de revocato consensu alterum tempestive monere; secus enim aequiparandus saltem foret ficte consentienti. — Codex de hac obligatione tacendo omnino liberam relinquit revocationem, ita ut obligatio haec sit naturalis tantum.

Nota. Si ante acceptationem manifestatam alterutra pars fit ad contrahendum inhabilis, contractus perfici iam non potest. Cfr. tamen n. 207 sq. et 209 IV.

IV. Perfectus debet esse consensus, qualis nim. requiritur 134.
ad peccatum mortale. Obligatio enim perfecta induci nequit nisi actu humano perfecto. Quare dicendum est

§ II. — *De Impedimentis Consensus.*

Quae sunt *error, dolus* et *metus*. Sit itaque

I. De Errore (1).

I. **Distinguitur** error 1° *substantialis* et *accidentalis* prout 135.
in substantiam vel in accidentia contractus cadit; — 2° *antecedens* et *incidens seu concomitans* prout vel dedit vel non dedit causam contractus.

II. Resolvitur. 1° Error substantialis omnis, undecumque provenit, reddit contractum iure naturae et positivo irritum. Facit enim ut consensûs expressio feratur in rem a contractu intento penitus alienam saltem moraliter, et proinde tollit verum consensum.

2° Accidentalis error ut talis — cfr. tamen n. sq. — non vitiat contractum ob rationem contrariam.

Si vero dedit positive causam contractus *gratuiti,* hic irritus erit ob defectum causae; cfr. art. IV. Sunt autem qui putent in casu contractum gratuitum esse tantum rescindibilem — quod satis eodem redit — uti in casibus n. 137, I; n. 139, 2, II; n. 141, I.

---

(1) Sporer, Tr. VI, p. 334 sqq.

136. **Explicatur.** 1. Ad substantiam pertinent: 1° *ipsa res* seu corpus rei, de qua contrahitur; 2° *species contractus* 3° *qualitates substantiales,* quales sunt a) *proprie et per se* illae, quarum defectus in *communi aestimatione* reddit obiectum moraliter diversum, ut si catena aurata ematur pro aurea; b) *improprie et per accidens* illae, quibus alterutra saltem pars *positive alligavit* suum consensum, ita ut si non explicite, saltem implicite *sub conditione* talis qualitatis contraxerit. Ad quod

2. Notandum: si talis contrahentis animus externe ex verbis, signis vel circumstantiis *satis patuit,* nulla hic datur difficultas.

Verum si ille alterutrius animus ab altero *cognosci non potuit,* error quoad qualitatem quae *communiter* ut *accidentalis* habetur, etsi det *positive* causam constractus, sufficere non videtur ad impediendum valorem et irrevocabilitatem contractus onerosi. Contrarium enim nimium obesset securitati commercii. — Quamquam Lessius (1) pro foro *conscientiae* concedit deceptum non teneri exequi contractum, modo et res sit adhuc integra et damnum, quod alter inculpabiliter accepit, compenset (2). *Quodsi* vere et positive sub conditione talis qualitatis contractus est initus, hic quidem post factum nullus haberi poterit, sed altera pars non tenebitur hoc asserenti credere. *Ante factum* autem talis conditio exprimi debet, ne alter decipiatur.

3. Error quoad personam generatim non est substantialis. Est tamen, *si praecipue* intuitu *determinatae* personae contractus est initus; ut 1° in matrimonio, 2° plerumque in contractibus gratuitis, 3° in transactione, 4° plerumque in contractu de opere perficiendo.

NB. De errore quoad motivum seu rationem vide n. 162.

II. De Dolo (3).

Inquantum dolus inducit in errorem, applicanda sunt dicta n. 135 sq.; inquantum infert decepto iniuriam, observandum praeterea quod sequitur.

---

(1) L. 2. C. 17, n. 33.
(2) Cfr. Sporer n. 359.
(3) Sporer ib.

Si dolus provenit ab altero contrahente distin- 137.
guendum:

I. *Si dolus dedit positive causam contractus,* contractus onerosus est iure naturae et positivo rescindibilis *ad nutum decepti,* ita ut hic vèl confirmare vèl rescindere possit contractum, prout ipsi placet; cfr. n. 139. II. Contractus gratuitus est irritus ob defectum causae.

II. *Secus* vero omnis contractus validus et firmus est.

III. *Utroque casu* tamen decipiens tenetur reparare damna, si quae fuerint decepto secuta; quare etiam in casu I ipse ultro offerre debet rescissionem contractus et restitutionem, si iam quid per talem contractum accepit.

Nota. Qui solitis illis dicteriis mendacibus usus est, quibus communiter fides non adhibetur, per se, i. e. nisi de deceptione alterius constet, iniustitiam non committit, neque contractum rescindere tenetur.

Si dolus provenit a tertia persona, *non* datur ex hoc 138
capite locus rescindendi contractum, *nisi* tamen is qui cum decepto contrahit, *fuerit doli particeps.* — Sed tertius ille tenetur deceptum indemnem reddere.

Neque infirmatur contractus ex hoc capite, si alter contrahens solum fuerit *doli conscius;* modo 1° deceptor cum contrahente ne reputetur una persona moralis pro obligatione suscipienda, ut si tutor, mandatarius, socius *(vennoot)* etc. contrahentis foret; 2° contrahens dolo ab alio admisso abusus ne fuerit (1); 3° dolus ne versetur in iis rebus, quae contrahens *ex iustitia* alteri parti manifestare debet; cfr. n. 234.

NB. Decipiens bona fide aequiparandus est possessori vel damnificatori bonae fidei.

III. De Metu (2).

1. Metus quilibet *si tollit* vel graviter perturbat *usum* 139.
rationis, omni iure certo irritat contractum ob defectum consensus saltem perfecti.

(1) Diephuis II, pag. 79 sq.
(2) Sporer. Tr. VI, n. 365 sqq.

2. *Secus* I. Metus *ab intrinseco,* vel a causa necessaria seu *naturali* ortus, vel *iuste* incussus *non irritat* contractum.

II. Metus gravis iniuste incussus *ab altero contrahente* spectato solo *iure naturae:*

Primâ sententiâ: reddit contractum ipso facto invalidum; quia ex iniuria ius oriri nequit. Ita Sporer n. 375.

Secundâ sententâ: reddit contractum rescindibilem *ad nutum metum passi,* ut n. 137, I et III de dolo efficaci expositum est; quia sic iniuria illata integre et satis efficaciter reparatur; imo magis quam in prima sententia favetur metum passo(1).

Tertiâ sententiâ: contractum gratuitum irritat ob defectum causae, cfr. art. IV; onerosum rescindibilem reddit ut in secunda sententia.

Praeferenda tertia sententia videtur, cui etiam *consonat ius positivum.*

Nota 1. Ex prima sententia etiam ille qui metum incussit, *practice* obligari non potest ad contractum exequendum, etsi alter velit, modo aliter damnum reparet vel praecaveat.

2. *Ex iure canonico certo invalidi sunt* quidam contractus ex metu gravi initi, ut 1° *matrimonium,* 2° *traditio rerum ecclesiae et renuntiatio beneficii;* 3° *vota saltem solemnia.*

3. *Non videtur referre* in hac hypothesi, utrum metus fuerit incussus *directe ad contractum eliciendum necne;* quia eaedem semper militant rationes, sc. iniuria reparanda vel defectus causae. Sporer videri potest aliter sentire; n. 372 coll. 375.

140. III. Si talem metum patiens contrahit *cum tertio:*

1° *Si metus non est incussus ad consensum extorquendum,* ut si metum patiens tertium advocat et serio promittit pecuniam ut ipsum adiuvet, contractus videtur validus et firmus; quia in tali contractu nulla reperitur iniustitia, et metus est potius illius occasio quam causa.

2° *Si secus* et a) alter contrahens cum metum incutiente est coniunctus vel eius iniuriae particeps, contractus est iure naturae rescindibilis; — b) alias, attento solo iure naturae non con-

(1) Ita docent iuristae communissime et theologi communiter, ait Sporer n. 376; quod tamen magis verum videtur de sequenti sententia tertia.

veniunt theologi, cfr. n. 138; certo autem ex iure civili contractus est rescindibilis, art. 1359.

I. Metus levis iniuste incussus attento *iure naturae:* 141.

Primâ sententiâ: nihil efficit vel quia praesumi non potest dedisse causam contractus, vel quia nimis adversaretur vulgari commercio, si etiam ob levem metum contractus rescindi posset. Huic favet Sporer n. 373, cfr. tamen n. 381 sqq.

Secundâ sententiâ: contractus gratuitos probabilius irritat, si efficaciter in consensum influxit, ob defectum causae; onerosos vero firmos relinquit ut in prima sententia.

Tertiâ sententiâ: etiam onerosos contractus rescindibiles reddit, si fuit efficax et praesertim si unica contrahendi causa; quia in hac hypothesi eadem militat ratio ac pro metu gravi. De Lugo l. c. n. 138 sqq.

II. *Ius civile* de metu levi tacet; at nihilominus ex eo contractus gratuiti videntur certo irriti ob defectum causae.

III. Metus *reverentialis* ab aliis per se gravis, ab aliis levis reputatur. Practice resolutio pendere videtur a circumstantiis. Quod idem dicendum de *precum importunitate.* Cfr. Sporer n. 383 sq.

ARTICULUS II.

DE HABILITATE AD CONTRAHENDUM (1).

I. Iure naturae contrahere possunt ii omnes et soli, qui 142.
rationis usu fruuntur.

II. Iure civili quidam declarantur inhabiles ad quosdam tantum contractus, de quibus sect. seq.; alii generatim, de quibus hic dicendum est.

§ I. — *De Minoribus, Interdictis et Uxoribus.*

I. Contractus a minoribus — non emancipatis — et inter- 143.
dictis initi sunt *per sententiam iudicis* rescindibiles *modo* vèl ipsi vèl eorum causam agentes — tutores et curatores — nul-

(1) Sporer, Tr. VI, n. 386 sqq.

litatem petant; imo neque ii qui cum illis contraxerunt, nullitatem invocare possunt.

II. Uxor quidquid pacto nuptiali stipulatum fuit, *stante matrimonio,* etiamsi communio bonorum fuit soluta, generatim sine consensu mariti *speciali* (1) vel auctoritate iudicis nihil donare, alienare, oppignorare, *(verpanden)* aut acquirere potest: cfr. n. 36. — *Exceptiones* vide n. 37.

Rescissio contractus ab uxore sine legitima licentia iniți petî potest *solum ab uxore, marito et utriusque heredibus;* art. 171.

III. Quoad minorennes et uxores exceptio notetur respectu pecuniae quam ipsi publico parsimoniae Instituto *(Rijks-postspaarbank)* tum credere tum ab ipso repetere possunt sine interventu vel assistentia respective patris tutorisve vel mariti.

Pater vel mater (non vero maritus) potest 1° redditioni minorenni faciendae resistere, non tamen nisi scripto atque apud directorem Instituti: item 2° repetere pecuniam Instituto a minorenni creditam; hoc autem, si minorennis iam 12 annos habet, solum acquisità a iudice territorii *(kantonrechter)* ad hoc facultate concedenda secundum art. 451 codicis civilis (2). Cfr. n. 23 sq., 27, III, 2°, et 36.

144. Actio rescissoria negatur 1° quando causa nullitatis cessante contractus expresse vel tacite *ratus est habitus.* — Quod idem valet de errore, dolo et vi. Art. 1492, cfr. 1490.

2° Neque conceditur quoad *obligationes* ortas *ex delicto* vel quasi-delicto; art. 1483. — Quare si ipsi minores etc. dolum admiserunt in contractu, unde alterius damnum secutum est — etiamsi cum Diephuis (3) admittatur ex iure civili nihilominus inhabilibus competere facultatem rescindendi *contractum* — pro foro conscientiae tamen, ut communiter docent theologi, hoc privilegio vèl uti non poterunt, vèl saltem illatum damnum ex iure tum naturali tum civili compensare debebunt.

---

(1) Consensus generaliter datus, etiam in pacto nuptiali, non valet, nisi quoad *administrationem* bonorum.

(2) Wet op de Rijks-postspaarbank, art. 9. Koninklijk Besluit 8 Mei 1896 (Stsbl. n. 77).

(3) X, pag. 675, sqq.

Resolves pro foro conscientiae: 145.

I. Minores etc. qui *bona fide* egerunt, item uxoris maritus et utriusque heredes privilegio iuris uti possunt; si vero *mala fide* egerunt, saltem iniuriam reparare debent.

II. Qui cum inhabili contraxit, contractu stare potest donec vitium invocetur. Cfr. n. 143 et 185.

III. Quod ex art. 1487 habilis pretium inhabili solutum repetere non potest, nisi in natura detineatur vel illi emolumentum aut utilitatem attulerit: secundum quosdam actio negatur, non vero obligatio extinguitur.

Et certe quidem *non deobligantur* inhabiles a damno reparando, *si dolo vel fraude* usi sunt, ut iam dictum; *secus vero probabiliter* secundum alios *deobligantur*, idque etiamsi per suam culpam contractum in suam perniciem converterint. Talis enim revera videtur mens legislatoris, eaque rationabilis, ut qui secus finem intentum, nim. ne inhabiles bona sua dilapident, non obtinuisset.

IV. Haec inhabilitas — etiam ex ipsius legislatoris mente — ita intelligenda et restringenda videtur, ut *non extendatur:*

1° Ad contractus vel dispositiones de rebus *minoris momenti,* quae liberae inhabilium voluntati dimittuntur; puta, quae ipsis dantur in usus pios vel honestos expendenda. Neque

2° Ad contractus, quos neglecto iure civili et tacente legitima autoritate *quotidianus usus quasi legitimos* fecit, *et* in quibus pars habilis ab omni fraude et arte abstinuit. Neque

3° Generatim ad casus in quibus eorum quorum interest *consensus cum ratione praesumi debet;* ut sunt contractus, quibus inhabiles sibi providerunt in necessitate aliqua versantes ita urgente ut ad eorum curam agentes recurrere non potuerint. Cfr. V. Egeren n. 65.

Certo validi et firmi sunt contractus initi ab inhabili *ex* 146.
mandato personae habilis, puta, illius causam agentis. Nam lex civilis art. 1835 etiam minoribus et uxoribus facultatem tribuit munere mandatarii fungendi. ea tantum limitatione quod mandantes contra mandatarium inhabilem agere non possunt, v. gr. ad petendam compensationem damni quod ab inhabili illatum fuit.

Quod iuris placitum magnopere coarctat facultatem rescindendi contractus ab inhabili initos, cum in multis vitae privatae causis inhabilis non nomine suo, sed ex mandato tacite vel implicite sibi dato nomine mandantis, sc. patris, tutoris aut mariti agat. Marres II, n. 121.

147. Quae praecedunt, spectant contractus ab ipsis inhabilibus initos.

Quoad contractus, quos horum inhabilium causam gerentes *et* pro illis agentes inierunt, sed negligendo legis praescripta, quibus eorum facultas est restricta vel circumscripta, *distinguendum* est.

I. *Si ipse contractus est* illis lege *prohibitus,* satis communiter sentire iurisperiti videntur, contractum esse *proprie et absolute nullum.* Cfr. n. 200, II.

II. Si ipse contractus non est prohibitus, sed certae *formulae (formaliteiten)* sunt praescriptae — v. gr. ut publice, de licentia iudicis etc. fiat — et hae *servatae non sunt,* non omnino conveniunt iuristae. Opzoomer (1) contractus sic initos aequiparat actibus ab ipsis inhabilibus positis. Diepbuis (2) eos proprie quidem sed relative tantum nullos dicit, ita ut a solis inhabilibus eorumque heredibus et causam acquirentibus tales seu non existentes haberi possint.

Nota. A contractibus utriusque generis de quibus supra, distinguendi iterum sunt alii, quos *iidem* non pro his qui curae suae sunt commissi, seu non ut tales, verum *pro seipsis agentes* inierunt, sed qui illis, quia tales sunt, *speciatim prohibentur.*

§ II. — *De Debitoribus.*

148. I. Debitor qui iuridica sententia interveniente *foro* cessit *(in staat van faillissement verklaard)* (3) ipso iure amittit a die latae illius sententiae — inclusive — dispositionem et

(1) II, pag. 396 cum A. A. de Pinto in *Themis* 2° Verz. I, pag. 430.

(2) X, pag. 674 sq.

(3) Vide Faillissementswet — 30 Sept. 1893, Stsbl. n. 140, gewijzigd bij wet van 6 Sept. 1895, Stsbl. n. 155 — artt. 1 sqq. 20 sqq.

administrationem bonorum fori cessione *(faillissement)* comprehensorum. Consequenter non potest ea alienare vel obligare, saltem non firmiter.

Obligationes *ab* illa die contractae iure non agnoscuntur, nisi in quantum bonis cessis *(faillieten boedel)* profuerunt (1).

Quaenam praeterea donationes aliique *non debiti* (2) *actus (onverplicht verrichte handelingen)* cuiuscumque generis ante dictam diem initi, et sub quibus conditionibus irritari possint, vide lege citata art. 42 sqq.

II. Debitor qui *bonis* cessit *(boedelafstand)* — quod nisi consentientibus creditoribus fieri non potest — propter ius eo ipso creditoribus concessum ipsius bona vendendi, eorumque fructus usque ad factam venditionem percipiendi (3), consequenter ea non amplius licite vel firmiter alienare potest.

III. Cuiuslibet debitoris *actus quilibet non debiti* — ut supra — *petentibus creditoribus irritari possunt, dummodo* probetur adfuisse scientiam damni creditoribus orituri, ex parte quidem tum debitoris tum illius quocum vel in cuius gratiam egit, vel etiam ex parte solius debitoris si agatur de actibus titulo gratuito initis.

Iura tamen a tertiis *bona fide* acquisita in bona, quae actus nullitati obnoxii obiectum fuere, tuta sunt. Art. 1377.

NB. Quibusnam aliis adhuc mediis creditores iura sua contra debitores iuridice tueri possint, vide cod. Act. civ. art. 439 sqq.

ARTICULUS III.

DE MATERIA ET CAUSA CONTRACTUS (4).

Materia contractus est res danda, facienda vel omittenda. 149.

Causa dicitur illud propter quod onus praestandum suscipitur, seu ratio immediata obligationis suscipiendae. Hinc

(1) Intelligi videntur, ut antea, etiam solutiones debitorum nondum exigibilium.

(2) Cod. Act. civ. art. 708.

(3) Sporer, Tr. VI, n. 396.

1° *In contractu oneroso* est ipsa res vel actio ab altero praestanda: ita ut a) materia obligationis unius contrahentis sit alteri causa contractus, et vice versa; et b) error quoad causam sit etiam substantialis quoad materiam.

2° *In contractu gratuito* est animus liberalis significandus una cum ratione praecipua, qua movetur.

Ita plerique. Aliter Diephuis (1) secundum quem in omni contractu causa semper est una utrique contrahenti; sc. est id quod uterque simul per contractum perficere intendit.

Differt itaque causa a ratione seu motivo contractus, et a fine seu scopo, qui per obiectum contractus obtineri intenditur.

Ceterum fere sufficiet dixisse de materia contractus.

150. Conditiones seu dotes ex parte materiae requisitae, idque generatim ex utroque iure, naturali et positivo, ad tres revocari possunt: ut sit 1° *in commercio* humano posita, et aliquo modo tum 2° *determinata*, tum 3° *propria* contrahentis. Quae ex ordine exponenda sunt.

151. Extra commercium constituta sunt:

I. *Iure naturae* praeter ea quae et in quantum obiectum iuris proprietatis (particularis) esse non possunt (2),

1° *Res impossibilis* physice vel moraliter, utpote ad quam nemo obligari vel se obligare velle censeri possit.

Nota 1. Si tamen deliberate quis ad *actum valde difficilem* sese obligasset, valeret ex hoc capite contractus.

2. Si res est tantum *partim possibilis* et a) *indivisibilis* in se vel ex intentione contrahentium, contractus est *nullus;* — b) *secus* vero *firmus quoad partem possibilem.*

2° Res quae *nec existit nec unquam futura* speratur.

Quid si contrahatur *de re probabiliter futura?*

Resp. Distinguendum est secundum intentionem contrahentium, num contractus sit *commutativus* et consequenter implicite saltem *conditionatus* sc. *de re si* futura sit, an vero *aleatorius de spe* rei futurae. Et resolutio patet.

---

(1) X, pag. 412 sqq.

(2) Cfr. n. 20.

3° *Res peccaminosa,* nec refert quo iure sit prohibita. De qua speciatim infra n. 155 sqq.

4° *Res spiritualis vel sacra,* partim saltem et attenta virtute religionis. Qua de re, sicut et de iis quae

II. *Iure canonico* extra commercium sunt constituta, vide dicta de simonia et cursum Iuris Canonici.

III. *Iure civili* extra commercium constitutae sunt praecipue res, quae sunt *in usu publico.* Quamquam aliquod ius et in has res privatis concedi potest (1).

Determinata res sit oportet 1° saltem *quoad speciem;* 152.
2° *quantitas* incerta esse potest, modo postea *certo definiri possit.* Secus enim illusorius foret contractus; ut si quis diceret se vendere aliquod animal, vel illum equum sed nihil omnino determinando de pretio.

I. Propria res esse debet unius contrahentium, *in quantum* 153.
sc. de re per contractum *disponitur.* Attamen

Nota 1. Hoc est intelligendum de re *in individuo* determinata. Si enim agitur de rebus quoad speciem solum determinatis, nihil impedit quominus quis obligationem suscipiat eas comparandi et alteri tradendi, ut passim fit in commercio. Neque obstat art. 1507, qui in sensu exposito est intelligendus; cfr. dicenda de emptione-venditione.

2. *Spondere* quis potest se effecturum, ut alius rem, de qua contrahitur, det vel faciat; ita ut, ni fiat, alteri de damno secuturo praestet. Quo sensu per se accipiendus semper est contractus de re vel actione aliena. Cfr. art. 1351 sq.

II. *Ex iure civili* addenda est conditio, ut res *spectet* saltem directe et primario *utilitatem alterius.* Quamquam

Nota 1. Res *tertio* praestanda potest esse conditio vel modus contractus.

2. Quilibet praesumitur stipulasse *etiam pro suis heredibus et causam acquirentibus, nisi* contrarium expresse pactum sit, vel ex conventionis natura pateat. Art. 1353 sq.

3. Regula intelligitur de contrahente nomine proprio; non de mandatariis vel aliis qui nomine alterius agunt.

---

(1) Cfr. Diephuis X, pag. 403. *De hereditate nondum aperta* vide n. 95, III.

III. *Ex iure naturae* stipulatio — non promissio — pro alio est valida, et ab illo tertio acceptata etiam irrevocabilis (1).

154. Quid de re iam debita?

Resp. 1° Si res est debita *ex iustitia* et a) *alteri contrahenti,* contractus nullus est quia nullum comparti conferretur ius, quod nondum habet; b) *tertio,* valide et iuste de ea cum alio contrahi et pretium exigi potest, si et quia etiam huic utilis esse possit illaeso prioris contrahentis iure, v. gr. si agatur de nuntio in civitatem distantem perferendo.

Non tamen, ut patet, exigere quis posset, ut quod ipse semel tantum expendit, sibi bis solvatur, puta expensae pro rheda, coena etc. (2).

2° Si *ex alia virtute* res est debita, etiam alteri contrahenti, v. gr. ex obedientia vel charitate, item valide et iuste de ea contrahi et pretium pro ea accipi potest; idque etiam *omnino licite, modo* contrahens ne ita dispositus sit, ut secus suae obligationi satisfacere nollet.

155. Quaeritur, num contractus de re, seu cum causa, vel etiam sub conditione turpi ex alterutra parte valeat quoad alteram partem, puta pretium solvendum (3).

Praenota 1. Supponitur res *in se,* non solum ex circumstantia *turpis;* non v. gr. agitur de veste die Dominica conficienda, nisi forte haec circumstantia directe intenderetur seu in materiam contractus assumeretur.

2. Conditio hic intelligitur non mere suppositiva, quae nim. ipsum contractum non ingreditur, sed *ponenda seu onerosa,* ita ut res turpis sit revera materia contractus onerosi, et res promissa pretium rei turpis. Maxime quidem intelligitur conditio suspensiva; idem autem dicendum est de conditione resolutoria, puta si pretium iam solutum reddendum est, si opus malum non ponetur.

Resp. I. *Ante* opus illicitum positum secundum omnes contractus nullus est, saltem hoc sensu quod uter-

(1) Quare hic et semper, quoad eius fieri potest distinguamus praescripta solius iuris civilis ab aliis quae sunt iuris naturae: vide n. 185.

(2) Marres II, n. 150.

(3) Sporer, tr. V. n. 909 sqq.

que et potest et debet — ex ea nim. virtute cui opus malum adversatur — consensum revocare; quod si ab alterutra parte fiat, contractus certo plane corruit.

Quare etiam pretium forte iam solutum reddendum est.

Resp. II. *Post* opus malum positum distinguenda iura. *De iure naturali* controvertitur. 156.

Sententia communis, quam sc. antiquiores fere unanimiter et absolute tenebant, et recentiores adhuc communius tenent: contractus valet et ligat, ita ut pretium solvi *debeat*, solutum retineri *possit*. Cfr. n. 159, 2.

Probatur. Nullitas ex iure naturae non extenditur ultra quam causa nullitatis poscit. Atqui opere malo iam posito ex una parte causa nullitatis iam non existit. Etenim solutio pretii in se nil mali, in casu neque approbationem illiciti operis continet; quodsi forte cum hac approbatione fiat, hoc mere per accidens est. Ex altera vero parte actio illicita non moraliter sed materialiter spectata, sc. ut uni laboriosa, periculosa, ignominiosa, alteri vero grata, utilis etc. est pretio aestimabilis; ita ut *quamvis illicite, non iniuste tamen* ea pro pretio promissa est. Consensus vero promittentis pretium, si de facto non est revocatus, habet tractum successivum. Ergo opere turpi posito contractus obligare incipit.

Nota. Inter alia quae pro communi sententia afferuntur, plura mea opinione sunt, quae vel perperam dicuntur, vel eam non probant sed summum explicant. Praecipua tangam. 157.

Dicunt. 1°: Contractus de re turpi est *conditionatus* vel saltem cum contractu absoluto continet conditionatum, in quo sc. non res turpis in pactum deducitur sed res licita sub conditione *si* — aliqui addunt: non *ut* (1) — opus malum ponatur.

Responderi potest 1° num contractus vere conditionatus habeatur, hoc solum dependet ab ipsa intentione contrahentium. — 2° *Si vere est conditionatus* (2), conditio in hypothesi recidit in materiam contractus,

(1) Sic vero casus extra hypothesim ponitur; cfr. praenot. 2°, n. 155.

(2) Sequimur modum loquendi communem nec alias multum reprehendendum. Hic tamen observes velim, *contractum* tum solum *proprie conditionatum* dici, quando dependet *a re extra contractum* posita. Quod vero alteruter contrahentium liber manet ad praestandum id pro quo alter se obligat ad pretium solvendem, hoc quidem facit huius *obligationem* conditionatam — sed in omni contractu oneroso quantumvis absoluto obligationes natura sua sunt aliquo modo conditionatae — ipsum vero contractum transmutat in alium alterius speciei. V. gr. si quis alteri offert pecuniae summam pro eius equo si eum tradere velit,

ita ut non agatur de donatione liberali conditionata, sed de contractu vere oneroso; cfr. praenotatum 2m. — Et hinc 3° supponitur quod probandum est, sc. in contractu conditionato malitiam alterutrius materiae non impedire valorem contractus. — Praeterea 4° ex contractu conditionato ut tali valido oritur obligatio expectandi eventum seu impletionem conditionis; sed in casu haec obligatio non oritur, sed ipso iure naturae, quamvis non per virtutem iustitiae (1) impeditur.

Dicunt 2°: contractu de re turpi continetur, vel posito opere turpi exurgit contractus realis et *iunominatus « facio ut des »*.

Sed responderi potest 1° ut supra, qualis vere sit contractus, dependet ab intentione ipsorum contrahentium. — 2° Sentiunt hunc contractum a priori conventione (sive eam dicas locationem-conductionem, sive « do ut facias ») vèl dependere vèl non. Si prius, seu dependere, et hi supponunt quod probandum est, sc. malitiam actus non impedire quin contractus « facio ut des » opere malo posito obligare incipiat. *Reponunt:* dependet a priori illa conventione non ut completio illius, ita ut habeatur idem contractus, sed solum quoad pretii determinationem. *At responderi* potest: sola pretii determinatio facta sine efficaci intentione sese obligandi ad pretium determinatum solvendum non sufficit ad contractum et obligationem etiam opere posito. V. gr.: si quis sine animo contrahendi et se obligandi architecto diceret sibi talem domum tali loco sitam tanti valituram; si architectus tali loco talem domum construeret, non ideo alter pretium determinatum solvere teneretur; quia deficit contractus. Itaque in casu probanda est existentia contractus, eiusque validi. Simpliciter ergo dicendum illum contractum innominatum « facio ut des » dependere a priori conventione; et sic simul responsum est pro hypothesi quod sentiunt non dependere. Propter haec

Potius dicimus: contractus de re turpi obligat *sicut* contractus conditionatus vel innominatus « facio ut des », sive talis revera est ex intentione contrahentium sive non est; quia eo usque — nec ultra — ex iure naturae obligare potest, ergo et obligat, ut probatum est supra n. 156.

158. Alia sententia, quam inter recentiores aliqui sententiae communi praeferunt, alii non ita pauci sicut et unus alterve inter antiquiores et ipse etiam S. Lig. probabilem dicunt: contractus manet aeque irritus.

Probant. 1° Actio illicita nullo pretio digna est, et proinde materia contractus onerosi esse nequit. — *Responsum* iam est supra n. 156.

2° Actus ab initio irritus tractu temporis non firmatur. — *Resp.* 1° Probandum est contractum ab initio fuisse plane irritum,

---

non habetur emptio-venditio, *neque conditionata, sed promissio* emptionis. Sic in hypothesi loco contractus locationis-conductionis habebitur promissio conductionis; vel ut alii malunt — cfr. mox dicendum in textu — contractus innominatus « do ut facias ».

(1) Nisi forte opus malum iustitiae adversatur.

non tantum irritandum. 2° Non firmatur solo tractu temporis, sed mutatis circumstantiis.

3° Sententia quae sceleri favet, vera esse nequit. — *Resp.* 1° retorquendo argumentum. 2° Quae favet *positive,* concedo; negative seu *permissive,* nego.

Concludo sententiam hanc recentiorum *intrinsece* videri *parum, extrinsece satis probabilem;* quare *in praxi* potest quaestio spectari ut dubia et faveri possessori.

159. *Nota* 1. Fieri potest ut solvens pretium a valore contractus seu a vere existenti obligatione abstrahere, et absolute dominium pretii abdicare, seu potius donare quam solvere intenderit; quo casu certe ipse amisisset etiam ius repetendi. Pariter facile praesumi potest eum qui solvit pactum pretium, quod putabat debitum, tamen non exigere sed tacite remittere restitutionem soluti, etiamsi sciret esse indebite solutum.

2. Omnes conveniunt expedire ut pretium pro re turpi acceptum vel reddatur, vel pauperibus erogetur; quod etiam per modum poenitentiae aliquando imponi potest.

160. *Ex iure civili* contractus omni vi et valore caret; artt. 1290 et 1371. Dubium tamen est num debitor ad solutum pretium repetendum in iudicio admittatur.

Idem art. 1371 statuitur de contractu *sine ulla causa* vel *cum falsa causa* inito. Contractus tamen subsistit, quando nulla quidem causa in contractu memoratur, sed licita nihilominus causa existit, aut etiam quando alia licita causa existit, quam quae memoratur, art. 1372.

161. Quid de muliere, quae rem quam vir ad eam seducendam *nulla tamen apposita conditione* dedit, *negato consensu* acceptavit et retinet?

Resp. *Iuste retinere potest,* quia in casu donatio est gratuita et absoluta censenda; nec tenetur credere donatori postea asserenti se sub conditione dedisse. — Si tamen sciens pravam donantis intentionem donum acceptat, difficulter excusari potest a peccato scandali.

162. Error quoad rationem praecipuam praesentem vel praeteritam quae ad contrahendum inducit,

1° Contractus gratuitos reddit nullos ex defectu causae et consensus. *Post factum* tamen, v. gr. post datam eleemosynam attendenda est mens praesumpta donatoris, qui licet ex

errore dederit, tamen dati restitutionem exigere forte non intendit.

Aliud est de errore quoad rationem *secundariam* tantum.

2° Contractus onerosos per se, i. e. nisi conditio est apposita, non irritat, quia in iis non deficit causa: cfr. n. 135.

CAPUT TERTIUM.

DE EFFECTIBUS CONTRACTUS (1).

163. I. **Effectus** contractus sunt: 1^us^ et primarius obligatio exequendi contractum, unde — 2^us^ obligatio reparandi damna per neglectam contractus executionem illata, et — 3^us^ utrique obligationi correspondens ius exigendi quod sibi debetur.

In nostro iure omnes contractus sunt *bona fide exequendi*, i. e. obligant non solum ad id quod expressum est, sed etiam ad omnia, quae attenta cuiusque contractus natura postulant aequitas, lex vel usus: art. 1374 sq. Cfr. n. 126 et 127, VIII.

De secundo effectu dicetur in Tractatu proxime sequenti. Ne tamen id, quod de reparando damno iam in hoc saepius dicendum recurrit, perperam intelligatur, sit ex n. 384 hic praemissa

Regula generalis. Ut ex contractu oriatur restituendi seu damni reparandi obligatio (2), probabilius requiritur vèl 1° culpa theologica, vèl — 2° speciale pactum (quorum utroque casu neque expectari potest sententia iudicis), vèl — 3° iudicis sententia *et* — ordinarie saltem — culpa iuridica *vere existens*.

II. Dissolvi firmus contractus non potest nisi vèl mutuo consensu vel propter rationes quas lex ut legitimas agnoscit.

---

(1) Sporer, tr. VI, n. 269 sqq.

(2) Ut distincta ab illa obligatione, quae immediate ex contractu oritur, solvendi nempe vel praestandi id de quo conventum est, quam obligationem primum et primarium contractus effectum diximus.

Generatim dissolutio *peti potest*, quando alter contrahentium obligationem susceptam culpa sua non adimplet. Pro hac min. hypothesi contractus bilaterales praesumuntur, etiam in lege, initi sub conditione resolutoria. Verum etiamsi *haec* conditio resolutoria expressa est, dissolutio tamen *peti* ex iure *positivo* debet: art. 1302 (1). Attamen contrahens laesus etiam exceptione se tueri potest negando sc. solutionem nondum factam.

ARTICULUS I.

DE EFFECTU CONTRACTUS PURI.

I. Contractus perfectus de re danda tribuit creditori ius ad rem, et supposito agi de re *determinata* etiam ante traditionem periculum rei in creditorem transfertur, ita ut re pereunte cesset debitoris obligatio, modo tamen hic ne sit in culpa, neve fuerit negligens in re tradenda: artt. 1273 et 1480; et in contractibus onerosis generatim cessabit tunc quoque alterius partis obligatio, excepto tamen ex art. 1496 contractu emptionis-venditionis (2). **164.**

II. Obligatio de re facienda vel non facienda, quamvis certe *in foro conscientiae* et ex mente quoque legislatoris civilis sit implenda sicut conventum est, *pro foro externo* tamen, si executioni non mandetur, resolvitur in compensationem sumptuum, damnorum et feneris: art. 1275; cfr. tamen artt. sqq.

Quid si debitor de re iam alteri contractu perfecto et absoluto obligata, sed nondum tradita, iterum cum alio tertio contractum de re danda inierit? **165.**

Resp. I. Secundus contractus, quia de re illicita, est invalidus; consequenter res erit tradenda priori seu vero creditori.

II. Nihilominus si secundo creditori rem traderet, valide in eum dominium transferret, quia *ius in re* retinuit; sed teneretur indemnem reddere priorem creditorem.

---

(1) Observa hoc non statui de *aliis* conditionibus resolutoriis.

(2) Cfr. Diephuis X. pag. 76 sqq.

III. Secundus creditor si bona fide rem *accepit,* eam retinere potest; si vero mala fide, iniuriam priori creditori illatam reparare debet, quod plerumque non fiet nisi illi rem tradendo quam iniuste accepit.

IV. Si secundus creditor fuit in bona fide, et ei res *non est tradita,* eum indemnem praestare tenetur debitor (1).

ARTICULUS II.

DE EFFECTU CONTRACTUS NON-PURI.

Agendum de praecipuis contractuum modificationibus variisque obligationum speciebus.

§ 1. — *De conditione.*

(*Artt.* 1289-1303).

166. Conditio *de praesenti vel praeterito* — improprie talis — efficit 1° ut *contractus* sit *statim* vèl validus vèl nullatenus existens, prout conditio existit vel deficit; 2° ut contractus *executio suspendatur* donec conditionis existentia cognoscatur.

Item conditio *de futuro necessario ut tali cognito* censetur ex mente contrahentium suspendere non valorem sed tantum *executionem* contractus.

167. Conditio *de futuro contingenti* suspensiva — proprie talis — efficit:

I. *Quandiu pendet:*

1° Ut valor contractus et proin obligatio exequendi pro debitore, et ius correspondens creditoris maneant suspensa. Quare etiam

2° Ut rei periculum et *secundum nonnullos etiam fructus* maneant penes debitorem. — Quoad periculum rei ita statuit art. 1300. — De fructibus nihil statuit codex; inter iurisperitos autem plerique contra alios sentiunt, etiam fructibus pen-

(1) Cfr. De Lugo, disp. 26, sect. 11.

dente conditione perceptis applicandum esse principium art. 1297, ex quo impleta conditio habet vim retroactivam, ita ut in casu *creditor* acquireret ius ad fructus.

3° Ut conditionis impletio secundum contrahentium intentionem ex iustitia fideliter debeat expectari vel etiam procurari. — Imo ex art. 1296 conditio *censetur impleta, quando debitor,* qui sub ea se obligavit, *impedivit eius impletionem.* Hoc tamen ante iudicis sententiam non nimis urgendum est, quia *iure naturae* eiusmodi defraudans stricte tantum erga compartem teneri videtur *pro rata spei,* qua seclusa fraude conditionis impletio poterat expectari.

4° a) Ut creditor exercere possit omnes actus iuris sui *conservatorios;* b) ut rem sibi obligatam alienare vel gravare possit, *conditionate* tamen; tandem c) ut ius eius *transeat ad heredes.* Cfr. tamen n. 172, II.

II. *Quando impletur:*

1° Efficit ut illico contractus sine novo consensu fiat validus et absolutus; ita ut neque revocatio consensus antea facta impedire possit, ne obligatio absoluta orta sit.

2° Habet vim retroactivam ad diem contractus initi; *non tamen quoad omnia;* sic v. gr. non facit ut res *perierit* creditori; neque ut nonnullis videtur — vide hic I, 2° — ut debitor tradere debeat etiam *fructus* pendente conditione perceptos. Sed facit v. gr. ut debitor, qui interim rei imposuisset onus, eam ab eo onere immunem tradere debeat.

III. *Quando deficit,* efficit ut contractus non existat, et ut numquam extitisse habendus sit. Quare v. gr. si creditor interim fructus rei iam traditae perceperit, et ipsos reddere debet.

Conditio *de futuro contingenti* resolutoria — minus proprie talis — 168.

I. *Quando pendet,* relinquit contractum validum et perfectum; ita ut neque eius executionem suspendat. Efficit tamen ut supra n. pr, I, 3°.

II. *Quandiu impletur,* efficit ut contractus solvatur, et res reponantur in pristino statu, ac si contractus non ex-

titisset: art. 1301. Quare et onera quae potuerunt rei annecti, evanescunt. — Sed

Quaeritur, quid de fructibus ante eventum conditionis perceptis, puta ab emptore?

Respondet 1° Carrière; « eos restituere tenetur emptor. Ita pluries iudicarunt varie Curiae regiae.... Si tamen solverit pretium, locus erit cuidam compensationi, quia aequum non est etc. ». Idem resolvit Marres n. 230; idemque saltem communius docent iurisperiti etiam nostrates (1). — Nihilominus

Respondeo 2° Pro iure nostro dubito an emptor retinere possit fructus perceptos; quia eventus conditionis solum efficere videtur, ut *in futurum* contractus habeatur ac si numquam extitisset. Cfr. sententia Summae Curiae nostrae citanda n. sq. 3°.

III. *Quando deficit,* reddit contractum purum et irrevocabilem, ac si ab initio pure et simpliciter fuisset initus.

169. Hinc *si res pereat,* et

1° *non eveniat conditio* resolutoria v. gr. emptionis-venditionis, perit emptori;

2° *post eventum conditionis* si pereat, perit venditori et hic tenetur pretium restituere;

3° ante eventum si res pereat, sed *postea eveniat conditio,* docet Delvincourt perire emptori; sed secundum alios perit venditori.

Prior tamen opinio magis conformis videtur sequenti sententiae Summae Curiae nostrae (2): « De wet kent aan de ontbinding der overeenkomst de kracht niet toe eener volkomen vernietiging, alsof zij nooit had bestaan; maar gewaagt alleen, van het doen ophouden der verbindtenis, d. i. het ontnemen van alle kracht daaraan *voor het vervolg* ».

Quae sententia, ne *huic* casui applicetur, videri quidem ex una parte potest obstare, quod agebatur causa solutionis contractus ob non impletam obligationem ab alterutro contrahente. — Verum ex alia parte observari potest: 1° ex art. 1302 talis lege prae-

(1) Propter vim retroactivam generatim conditionibus impletis tributam art. 1297, Vide Diephuis X, pag. 269 sqq.; Opzoomer ed. 2ª V. 167 sqq.

(2) 19 Iun. 1868, *Ned. Rechtspr.* P. 89, pag. 209.

sumpta conditio resolutoria a simili conditione ordinaria differre non videtur nisi in hoc quod pro illa, non pro hac, ut contractus solvatur, requiratur sententia iudicis: cfr. n. 163, II. Et 2° in illa causa agenda remittitur ad art. 1301, qui agit de conditione resolutoria ordinaria.

Etiam Opzoomer (1) resolvit in casu rem perire emptori, sed ob aliam rationem. Ipse sc. emptorem in casu aequiparat debitori rei sub conditione suspensiva, et applicat art. 1300. Cfr. n. 167, I, 2°.

Nota. Pleraque ex hic dictis de sequelis conditionum suspensivae et resolutoriae accipienda sunt cum hac restrictione: *nisi aliter conventum sit.*

Conditio *suspensiva et mere potestativa ex parte debitoris* quae sc. pendet a sola voluntate promittentis, non a facto quod est in ipsius potestate — irritat obligationem sub ea susceptam. — Fieri tamen potest, ut remaneat obligatio conditionata ex parte alterius contrahentis, itaque *contractus* tantum in alium alterius speciei mutetur. 170.

Aliud est si *tria illa* non simul concurrant, sed apponatur conditio, quae sit vel resolutoria (2), vel non mere potestativa, vel ex parte creditoris; quae conditiones non irritarent, sed tantum modificarent obligationem et contractum.

Conditio *contraria substantiae* contractus hunc *irritat* ex defectu consensus, *si* hic revera conditioni est alligatus; vel etiam aliquando *mutat* contractum in alium, modo quoad hunc alium contractum adsit consensus contrahentium satis manifestus. 171.

N. B. De conditionibus *de impossibili* vide n. 129, I, 5° et n. 151, I, 1°, *de re turpi* n. 155 sqq.

Impleri debent conditiones secundum verisimilem contrahentium voluntatem: art. 1293. Hinc 172.

I. *Ordinarie* requiritur ut *in forma specifica,* aliquando tamen sufficit ut in aequivalenti impleantur.

II. *Ordinarie* impleri *possunt ab heredibus vel erga heredes* debitoris et creditoris, nisi nempe conditio ex natura sua vel ex intentione contrahentium sit personae alligata.

(1) L. c. pag. 170 sqq.

(2) Excipe partim donationem inter vivos; cfr. n. 195 sq.

173. *Nota* I. Plura huc spectantia vide artt. 1294 sqq.

II. Ex dictis hac paragrapho collatis cum expositis de testamento patet conditiones contractui adiectas quoad plures effectus aliter interpretandas esse quam quae clausulis testamentariis apponuntur. Differentia attribuenda est partim intentioni praesumptae contrahentium vel testatoris, partim dispositionibus iuris civilis.

§ II. — *De modo.*

174. Modus est onus contractui adiectum ab uno, et ab altero ex iustitia praestandum. Quod

I. Alii ita intelligunt ut *acceptatio* oneris ex mente stipulantis requiratur ad valorem contractus ut conditio de praesenti sine qua non (1). Alii vero ab hac mente stipulantis abstrahunt, et sentiunt haberi modum, sive ab oneris acceptatione ex mente stipulantis valor contractus dependet, sive non dependet.

II. Certo vero non requiritur oneris *executio* ad contractus valorem vel firmitatem. Quodsi executioni alligatus esset consensus in contractus existentiam vel constantiam, iam hoc ipso modus transiret in veram conditionem suspensivam vel resolutoriam.

175. I. *Iure naturae* igitur modus non impletus non reddit, saltem probabilius, contractum dissolubilem.

II. *Iure civili* vero videtur habere vim conditionis resolutoriae tacitae, accedente tamen auctoritate iudicis: ex art. 1302. Ita multi iuristae. Cfr. n. 163, II.

176. I. Modus impossibilis vel turpis practice, ut videtur, haberi potest pro non adiecto, nisi certo constet consensum ei fuisse revera alligatum; quia prior non serio, posterior allectionis vel seductionis instar praesumitur adiectus. Pariter

II. Modus contrarius substantiae contractus non videtur irritare contractum, nisi illius acceptationi sopponitur consensus alligatus ut conditioni (2).

177. Specialis modus est causa, quae sc. habetur quando onus adiectum indicat *finem*, ad quem prosequendum alter iure vel re sibi concessis uti *tenetur*.

---

(1) Beusch, cap. 5, sect. 1, § 2, n. 42.

(2) Beusch l. c. n. 47.

Hic modus, *si non impletur,* reddit contractum *gratuitum dissolubilem, si* tamen fuerit causa principalis vel finalis. Sporer n. 273.

§ III. — *De Contractu ad diem seu terminum.*

(*Artt.* 1304-1307).

Assignatio temporis I *non certo futuri* ordinarie censetur facta ad modum verae *conditionis suspensivae.* 178.

II. *Certo futuri* facit ut *creditor non possit* ante elapsum terminum exigere solutionem, *nisi* debitor bonis cedat, vel per factum suum minuat cautionem creditori datam.

Debitor potest tamen antea solvere, quia stipulatio praesumitur facta in eius favorem; *nisi* ex contractus indole vel adiunctis contrarium pateat. Quod autem semel ita solutum est, repeti non potest. Artt. 1305 sqq.

§ IV. — *De Contractu disiunctivo seu alternativo.*

(*Artt.* 1308-1313).

Contractus vel obligatio alternativa est, qua quis ita obligatur ad unum e pluribus praestandum, ut unum praestando omnino liberetur; non tamen cogere possit creditorem ut partem unius et partem alterius acceptet. 179.

Electio ad debitorem pertinet, nisi expresse concessa fuerit creditori.

Quid si alterutra vel utraque res ante traditionem pereat, vel fiat inepta materia contractus? 180.

Resp. I. *Quando pertinet electio ad debitorem:*

1° *Si alterutra tantum res pereat* etc. sive casu fortuito sive culpâ debitoris, contractus fit simplex, et debitor tenetur rem superstitem tradere, nec satisfacit offerendo pretium rei quae periit.

2° *Si utraque pereat* etc., et a) *utraque fortuito,* cessat omnis obligatio; — b) si *alterutra culpâ debitoris,* debitor ex art. 1311 tenetur solvere pretium rei quae *ultimo* periit. Haec tamen dispositio *non* videtur ante sententiam iudicis *ur-*

genda, quando res ultimo periens periit fortuito; quia tunc deest omnis culpa.

Resp. II. *Quando est electio penes creditorem:*

1° *Si alterutra tantum res pereat,* et a) *sine culpa* debitoris, creditor rem superstitem acceptare debet; — b) *si culpâ* debitoris, creditor exigere potest vel rem superstitem, vel pretium rei quae periit

2° *Si utraque res pereat* a) *fortuito,* creditoris ius cessat — b) si *alterutra culpâ debitoris,* creditor exigere potest pretium alterutrius rei pro libitu.

§ V. — *De Contractu cum clausula poenali.*

(*Artt.* 1340-1348).

181. Poena stipulari potest pro rei debitae omissione vel pro dilata executione.

I. Poena non debetur, nisi *debitor sit in mora,* i. e. culpa saltem iuridica. Qua supposita

II. Creditor exigere potest executionem contractus vel poenam, non tamen utrumque simul, nisi poena stipulata sit propter solam dilationem.

III. Poena obligat ante sententiam iudicis, non tamen ante petitionem. Talis enim praesumi debet intentio contrahentium. Plura de hisce in Tr. seq.

IV. Si obligatio principalis corruat, corruit et poenalis; non vice versa.

N.B. De contractu vel obligatione in solidum vide artt. 1314 sqq. et cfr. Tr. sq.; de divisibili vel indivisibili artt. 1332 sqq.; et cfr. n. 151, I, nota 2°.

§ VI. — *De Iuramento promissorio contractui adiecto.*

182. I. Iuramentum adiectum *contractui valido et firmo* certo ei addit obligationem ex religione. Contra

II. Iuramentum contractui *ipso iure naturae plane nulli* adiectum certo omni efectu caret: cfr. n. sq. IV. et n. 184.

III. *Pro aliis casibus praenotandum:*

1° *Duplicem quaestionem* moveri; sc.

a) Num *valeat* iuramentum adiectum contractui vèl rescindibili tantum, vèl quod solo iure humano nullum est;

b) Num insuper talem contractum *confirmet* — inproprie loquendo — num sc. faciat ut causa vel lex, quae alias firmitati vel valori contractus obstarent, iam non obstent, ita ut oriatur obligatio firma etiam ex iustitia.

2° *Legislatorem Romanum* secundum communiorem opinionem a legibus suis mere irritantibus excepisse casum adiecti iuramenti. Contradicit tamen cum aliis Sporer de Iuram. n. 59. Econtra

3° *Legislatorem nostrum* statuisse ut nullo modo legibus ad ordinem publicum vel bonos mores latis sua adimi vis possit (1).

Quae si conferuntur cum dictis de iuramento promissorio,

Resolvendum videtur I. Iuramentum additum contractui, **183.** quem lex simul *irritat et prohibet*, est omnino invalidum, quia de re illicita. Ita omnes.

II. Iuramentum additum contractui, quem lex *rescindibilem reddit intuitu non directe boni communis sed privati* ipsorum contrahentium, *quibus tamen relinquat facultatem renuntiandi* privilegio iuris, est validum et confirmat contractum, si iurans libere renuntiat suo iuri.

Quodsi libere quidem *iurat*, sed sine intentione saltem tacita iuri suo renuntiandi, validum et obligatorium mea opinione erit vel non erit iuramentum secundum mox dicenda sub III: *non vero* orietur obligatio *ex iustitia*, ita ut saltem extincto iuramento quavis ex causa, cesset omnis obligatio. — Est contra plures qui *absolute* docent vèl valere simul et confirmare, vèl ut Sporer l. c. n. 58, valere iuramentum sed non confirmare contractum.

III. Si lex lata est simul et *aeque principaliter in bonum commune ac in bonum privatum* contrahentium, et consequenter contrahenti non concedit facultatem renuntiandi suo iuri, v. gr. uxoribus et minoribus per id tempus quod aliorum potestati subsunt, in iure nostro non firmatur contractus, quia iuramen-

(1) Alg. Bep. art. 14.

tum hanc vim non habet neque ex iure naturae, ut satis conveniunt theologi, neque ex iure nostro.

Valere iuramentum a) *negant item multi,* quia obligatio de se vergeret in detrimentum boni communis.

b) *Hanc autem rationem alii,* inter quos De Lugo, *reiiciunt,* et saltem aeque probabiliter ut videtur. Nimis enim absolute asseritur iuramentum vergere in detrimentum boni communis. Legislator civilis autem ex una parte supponitur mere irritare contractum, non prohibere eius executionem, ita ut quamvis ducatur motivo boni communis, non tamen reddat rem illicitam; et ex alia parte non habet potestatem directe et immediate irritandi iuramenta.

c) Equidem puto *distinctioni hic locum esse,* utrum quis *intendat,* implicite saltem, *absolute iurare an dependenter* solum ab obligatione contractus. In priori hypothesi pro certo admitterem obligationem religionis vi iuramenti per se stantis; in posteriori negarem, quia iuramentum promissorium sequitur naturam actus, cui additur; consequenter in casu rescisso contractu corruere debet et iuramentum.

Et *in praxi* iudico *praesumendam esse posteriorem* intentionem, quando agitur de contractu oneroso, *vel* quando iuramentum non est sponte emissum; — *priorem* vero quando agitur de contractu gratuito *et* iuramentum est omnino libere emissum.

N.B. Promissionem de non revocando testamento V. Egeren (1) refert ad praecedentem classem II, ita ut secundum ipsum reddatur testamentum irrevocabile; nos vero cum Carrière et Marres retulimus ad hanc classem III (2) seu censemus testamentum non obstante promissione revocari posse.

IV. Iuramentum adiectum contractui *iure naturae* propter iniuriam, metum v. gr., *rescindibili* certo non confirmat contractum. Et quamvis *communius* censent iuramentum ipsum valere, adhuc tamen *probabilis* videtur opinio *negans.*

N.B. Sporer l. c. n. 28 et 30 distinguit inter iuramentum solum *ob iniuriam alterius* emissum, puta usurarii qui secus mutuare recusat, et *metu iniusto extortum.* Prius illud dicit validum secundum *omnes* — quod nimis generaliter dictum est — posterius *ex communi* sententia, *sed* addit recentiores quosdam non improbabiliter docere oppositum.

(1) N. 109.
(2) N. 112.

ARTICULUS III.

DE CONTRACTU INVALIDO.

Distinctiones. Contractus invalidus potest esse: **184.**

I. *Plane nullus* i. e. etiam vel saltem *pro foro conscientiae; tantum civiliter nullus*, quando vere quidem existit, in iure civili tamen existere non reputatur; *rescindibilis*, quando vere existit et existere reputatur, sed rescindi potest.

N.B. *Recentiores* nonnulli iuristae et theologi contractum nullum dicunt *non-existentem*, rescindibilem vero *nullum*.

Etiam *in codice* contractus rescindibilis saepe dicitur nullus, vel etiam nullus ipso iure *(van rechtswege nietig)*. Quo fit ut ex *textu* legis distingui vix vel ne vix quidem possit, quinam contractus proprie nulli, quinam rescindibiles tantum habendi sint. Neque iurisperiti semper consentiunt. Cfr. hic II.

II. Contractus potest esse plane nullus et rescindibilis ex iure vel *naturae*, vel *civili*, vel *utroque*.

Contractum ex *solo iure civili* nullum a rescindibili Marres (1) cum nonnullis iurisperitis putat discernendum per effectum; ex eo sc. quod contractus nullus confirmari nequit. Haec, coniicio, est ratio cur illos paucos tantum actus nullos habeat, quos ex ipsa lege satis patet confirmari non posse.

Verum plerique et praecipui iuristae hoc potius discernendum dicunt per causam; sc. generatim contractum nullum censent non solum quando illi deest consensus, obiectum vel causa — tunc autem coincidit cum contractu iure naturae nullo — sed etiam, imo potius contractum iure naturae validum, qui lege civili non admittitur vel quia continet aliquid quod lex non admittit, puta conventionem de hereditate nondum aperta; vel quia deest forma lege sub poena nullitatis praescripta, puta donationem informem (2). Contra ob consensus vitium vel contrahentium inhabilitatem contractum rescindibilem habent.

---

(1) II, n. 23; Epil. ad I.

(2) Cfr. Diepuis II, pag. 194 et 198.

III. Contractus potest esse nullus vel rescindibilis *absolute* vel *relative;* prout vitium quo laborat *ab omnibus*, quorum interest, imo — pro iure civili — etiam ab officiali *(officier van iustitie, openbaar ministerie)* opponi potest; vel ab iis tantum *in quorum gratiam* invaliditas lege statuta est.

Pro iure civili invaliditas, quae ad ordinem vel bonum publicum vel bonos mores tuendos constituta est, absoluta; quae vero in gratiam nonnullorum vel privato ipsorum contrahentium commodo, relativa habenda est.

185. Resolutiones. I. Contractus iure naturae, etiam solo,

1° nullus habendus omnino est plane talis etiam *ante sententiam* iudicis, etsi lex civilis hanc exigat.

2° De rescindibili vide dicta de dolo et metu n. 137 sqq.

II. De contractu iure civili rescindibili, secundum communem et certam, vel nullo, secundum communiorem et probabiliorem, quamque etiam fautores contrariae et severioris sententiae saltem extrinsece et pro praxi probabilem habent, idem resolvendum est tum ante tum post sententiam iudicis, quod de testamento eodem iure invalido resolvimus.

Applicanda itaque sunt *creditori*, quae Tr. pr. n. 120 dicta sunt de herede *testamentario*, — *debitori*, quae de herede *ab intestato*.

186. Controversia de contractu nullo ex solo iure civili.

I. Inter theologos qui secundum ius hodiernum hanc quaestionem tractarunt, pauci sunt — inter nostrates solus, quod sciam, Marres — qui contractum, seu magis generatim actum iuridicum, ex solo iure civili *nullum in utroque foro etiam ante sententiam* iudicis talem pro certo habeant. Qua de re pro nostro maxime iure

II. Annoto primo. Marres in corpore operis sui II n. 29 potius supponit quam probat talem, i. e. ita irritandi contractus de quibus loquimur, esse legislatoris nostri *mentem;* quae tamen ipsa potissimum probanda et ut certa ostendenda illi pro suo fine erat. De *potestate* enim legislatoris suppositis supponendis non dubitamus neque hic disputamus.

In epilogo ad editionem 2^m^ T. I n. XV in fine et n. XVI suam sententiam probare et contradicentes (1) refutare conatur; sed aërem eum verberare non sine ratione dixeris. Contrariam namque suae sententiam aliter proponit quam ab illius auctoribus intelligitur. *Supponit sc. legem civilem irritantem*, de qua hic sermo, *a suis adversariis limitari ad forum externum*. Quo supposito in hunc modum argumentatur: «qui *legis vim*

(1) Nominatim V. Gestel et Resemans.

ad forum externum restringit, etiam *vim sententiae* iudicis ad illud forum tantum limitat» etc. n. XV. «Iudex.... solum modo legem generalem.... applicat: si ergo lex ipsa ad forum civile tantum ita limitatur,.... etiam sententia iudicis ex ea lege pronuntiata» etc. n. XVI.

Sed nullatenus cl. Auctoris adversarii legis vim ad forum externum limitant, neque eam non attingere nisi obligationem civilem docent. Verum in hodierna legislatione docent generale iuris principium esse, ad hoc ut lex irritans actum alias seu iure naturae validum *plenum* effectum sortiatur, requiri ut accedat sententia iudicis. Itàque docent nixi auctoritate iurisperitorum, quorum haec est communis doctrina, confirmata sententiâ Summae Curiae. Cfr. dicta de testamento invalido n. 119.

Itàque docet ipse Marres, sed excipit actus quos dicit non-existentes. Ad quod

III. Annoto secundo. Doctrina cl. Marres non concordat cum doctrina plurimorum et praestantissimorum iuristarum.

Hi nim. 1° *multo plures actus* proprie nullos habent quam cl. A. Cfr. n. 184, II.

Et 2° de actibus *proprie nullis* quoad necessitatem sententiae iudicis ad hoc ut illi actus omnino annullentur ita ut iam vere non existant, *idem docent quod* de actibus *rescindibilibus*. Quare auctoritates quas cl. A. pro sua doctrina citat, ubi agit sive de testamento sive de contractu nullo, non semel contra ipsum militant quoad actus proprie nullos.

Citat v. gr. (1) inter Gallos Larombière; «Quels que soient les vices dont il est entaché, quelque visible et flagrante qu'en soit la nullité, le contrat ne pourra être réputé non-existant (2), lorsque les parties l'auront formé dans l'intention de réellement s'obliger. La nullité dans ce cas, suivant la règle générale devra en être prononcée par iugement. Jusque là l'acte se soutient par sa seule apparence, et quelque absolue qu'en soit la nullité, elle a besoin d'être declarée». Sed haec dicuntur de omni contractu solo iure civili nullo, ut iam satis liquet ex verbis mox allatis; praeterea ex verbis praecedentibus ex quibus patet allata verba spectare omnes contractus lege nullos declaratos praeter «toutes celles qui, étant *ridicules et non sérieuses*, n'ont aucune force juridique, même apparente (3)». Ergo secundum Larombière vèl non dantur contractus non-existentes in sensu Marres, sc. ex solo iure civili; vèl, si dantur, eorum nullitas, seu non-existentia iuridice declarari debet.

Inter Neerlandos citat (4) Diephuis: «Nietigheid is de volkomen krachteloosheid eener *feitelijk* verrichte, maar *rechtens* als niet verricht beschouwde handeling; bewering dier nietigheid is de ontkenning van haar *juridiek* bestaan, als *oorzaak eener rechtsbetrekking* of van eenig ander rechtsgevolg (5)». Secundum Marres haec significare debent actum ex iure civili proprie nullum plane et absolute ut nihilum esse et ideo

---

(1) II, n. 26, II.

(2) Eodem modo loquitur Laurent: «le consentement est *censé* ne pas exister, quand il n'est pas exprimé dans la forme légale». Vid. V. Gestel, pag. 192. Cfr. infra sub V, Qu. 1°.

(3) Apud V. Gestel pag. 199. Marres II n. 23 nota 4 haec verba omittit.

(4) Epil. n. XV, 1° nota 3.

(5) II, bl. 190.

nihil omnino efficere. Sed ipsum Diephuis aliter rem intelligere sc. de non-existentia civili seu pro foro iudiciali patet i. a. ex alio loco, ubi de donatione viri quam lex non admittit, facta sc. contra art. 179, et quam ipse vocat « gedaan door iemand, die niet was de eigenaar van het geschonkene », de donatione itaque secundum ipsius doctrinam proprie nulla (1) dicit: « Natuurlijk zal de schenking volkomen gevolg hebben, wanneer niemand daartegen opkomt (2) ».

Vèl itaque Diephuis sibi hac in re contradicit, et tunc ruit eius auctoritas; vèl aliud docet ac putat Marres.

IV. Quod tandem Marres actus proprie nullos ab improprie talibus solum discernendos dicit ex eo quod priores non possunt, posteriores possunt confirmari (1),

Annoto tertio. 1° *Plures* sunt actus qui *confirmari nequeunt*, et quos tamen Marres *non* habet *proprie nullos*. Numquid forte cl. A. putaverit donationem v. gr. optima forma factam, sed quae continet substitutionem prohibitam, posse confirmari? Hoc nemo iurisperitorum concesserit. Dicendum itaque quidem est actus proprie nullos non posse confirmari, quia haec est nullitatis naturalis sequela: ast non ideo dicendum ex hoc *solo*, vel etiam ex hoc *potissimum* actum proprie nullum dignosci.

2° *Confirmatio* donationis informis *de qua* art. 1931, et ob quam Marres putat talem donationem mortuo donatore esse solum improprie nullam, valde dubium est num sit confirmatio proprie dicta seu ea qua in sensu legis et secundum doctrinam iurisperitorum actus infirmus vere confirmetur. Iuristae in *hac* confirmatione potius agnoscunt *novam* donationem expressam vel tacitam factam ab heredibus prioris donatoris; quae tunc donatio dicenda erit excepta a lege de solemnitatibus praescriptis. Diephuis qui nullitatem donationis informis absolutam dicit, art. cit. ita explicat, ut in casu *soli* heredes et defuncti causam acquirentes priventur iure opponendi vitium donationis. In sensu itaque Marres Diephuis eumdum actum haberet existentem simul et non existentem! Imo plures huiusmodi actus admitteret Diephuis, cum distinguat actus nullos in absolute et relative nullos (3).

V. Pro conclusione quaeres 1° quid ergo sibi vult illa nullitas seu non-existentia civilis?

Resp, *Vèl* dici potest *legalis praesumptio* — iuris et de iure — defuisse veram intentionem sese obligandi vel contrahendi; propter quam iudex procedere debet ac si nihil inter litigantes actum esset.

Vèl potius et pro praxi clarius et aptius dicatur *negata* actui *vis pariendi ius civile* ad rem plenum et *obligationem civilem*.

Non vero inducit *inhabilitatem* vi cuius contrahens non posset quidquam ex tali contractu ut suum obtinere, vel teneretur acceptum etiam

---

(1) Cfr. n. 184, II.

(2) IV, pag. 241; cfr. XI, pag. 429. Et VIII, pag. 224 de testamento informi, secundum ipsum absolute nullo, dicit: « Het stuk is anders wel een testament ». Item II, pag. 194 in Nota (1) distinguit inter « nietige koop » en « geen koop ».

(3) Ipse Marcadé, actuum non-existentium defensor de hac confirmatione dicit: « Nous pensons.... que ceci s'explique par l'idée *d'une obligation naturelle*.... La ratification.... vient prouver, que l'obligation, présumée inexistante par la loi, *existait en conscience* » etc. Apud V. Gestel, pag. 197.

altero non petente ex iustitia restituere. Qua in re differt a quibusdam nullitatibus iuris canonici. V. Gestel. pagg. 193, 210 sqq.

Quaeres 2° quaenam itaque est differentia inter actum nullum et rescindibilem?

Resp. I. Post sententiam iudicis nulla amplius est differentia.

II. Ante sententiam 1° *si existit differentia* praeter id quod de confirmatione diximus, praecipua erit in effectu pro foro iudiciali, et hinc in modo agendi. V. g.: is cui favet nullitas certa (1), numquam opus habet ut nullitatem probet, imo neque sive agendo sive excipiendo petat nullitatis declarationem; sed si actus nullus executioni datus est, potest directe rem ab altero tamquam suam repetere, et opponente altero contractum potest illum simpliciter negare: quod idem sufficiet si contractus non est executioni datus, sed alter executionem poscit. Alter enim contrahens non potest proferre nisi actum qui a iudice necessario reiici debet ac si non existeret. — Contra, si agitur de actu rescindibili, is cui nullitas favet, rescissionem a iudice vel agendo vel excipiendo pro variis circumstantiis petere, causamque rescissionis seu actûs vitium probare debet; quia donec actus a iudice sit rescissus, hic existere etiam in iure censetur (2).

Vel saltem nullitatis sequela haec erit, ut neque probari nullitas neque nullitatis declaratio *actione* peti sed solum *exceptione* elici debeat (3).

2° Dixi: *si existit differentia*. Neque enim, si agatur de sola irritatione civili, omnes iuristae admittunt distinctionem inter actus proprie nullos et rescindibiles. Sed sunt qui actum proprie nullum non habent, nisi talis sit ipso iure naturae; ut patet per exempla quae afferunt (4).

Scholion de contractuum cessatione.

Modi, quibus contractuum obligatio cessat, art. 1417 assi- 187.
gnantur decem; sc. 1° solutio; 2° solutionis oblatio una cum eius consignatione vel deposito *(aanbod van gereede betaling gevolgd van consignatie of bewaargeving)*; 3° novatio *(schuldvernieuwing)*; 4° compensatio *(vergelijking)*; 5° confusio *(schuldvermenging)*; 6° condonatio; 7° rei interitus; 8° nullitas vel rescissio; 9° efficacia conditionis resolutoriae; 10° praescriptio liberativa. De quorum tribus postremis iam dictum est; de aliis, quantum opus videbitur, dicetur in Tr. sq.

(1) Si enim ipsa nullitas dubia est, haec probari debebit.
(2) Ita fere Diephuis II, pag. 192 sq.
(3) Cfr. Opzoomer (ed 2ª) VII, pag. 306.
(4) Cfr. id. ib. et VI. pag. 73.

SECTIO II. DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

CAPUT PRIMUM.

DE PROMISSIONE (1).

Promissio hic stricte sumitur, non ut continetur in quolibet contractu, neque intelligitur promissio onerosa vel bilateralis, quales v. gr. sunt sponsalia, mutua promissio emptionis-venditionis; sed contractus specialis qui

188. **Definitur** fidei obligatio gratis alteri facta. Passim addunt: deliberata et spontanea.... de re danda vel facienda; vel de re bona ac possibili. Sed haec magis ad explicationem pertinent. Dicitur

1° Fidei obligatio. Quo differt a *simplici proposito.*

2° Gratis. Obiectum tamen promissionis potest esse res utrique onerosa, v. gr. promissio venditionis cui non respondet promissio emptionis.

189. Qualis et quanta est obligatio promissionis?

Referuntur tres sententiae; duae oppositae et media inter utramque. Revera tamen AA., paucis forte exceptis, non tam sensu quam verbis discrepant.

Dicendum itaque est id totum pendere ex intentione promittentis; de qua quadruplex distingui potest hypothesis.

1° Si voluit se obligare expresse ex virtute *fidelitatis* tantum, constat solum hanc et *levem* existere obligationem.

2° Si voluit se obligare expresse ex virtute *iustitiae,* constat hanc existere obligationem eamque *ex genere suo gravem.* — Notant autem ad gravem materiam hic requiri multo, sc. *quadruplo maiorem quam in furto mortali.*

3° Si voluit se obligare *graviter in re gravi,* non cogitans tamen ex qua virtute; et tunc quoque certe obligatur ex *iustitia,* quia ex sola fidelitate non potest nisi leviter obligari.

---

(1) Sporer, Tr. VI, n. 278 sqq.

4° Si voluit se obligare *simpliciter in re gravi;* non tamen cogitans vel determinans num graviter an leviter, aut ex qua virtute — qui modus solet esse communissimus —

a) *per se,* i. e. si nil aliud addat, obligatur solum venialiter ex virtute *fidelitatis;* quia homines liberaliter promittentes potius ad minus quam ad maius se obligare voluisse praesumi debent. Quod idem et ob eamdem rationem resolvendum, si de intentione promittentis positive dubitatur.

b) *Si vero addat* iuramentum, testes, scripturam publicam vel chirographum (1) vel quid simile, praesumitur suscepta obligatio *iustitiae.*

Nota 1° *Duplex itaque* distingui potest *species promissionis,* una quae ex fidelitate, altera quae ex iustitia obligat. Discrepant autem AA. utra magis vel minus proprie promissio dicenda sit. **190.**

2° Cum obligatio strictae *iustitiae* ex promissione sit *plerumque saltem dubia,* sequitur ordinarie dubium etiam esse promissarii *ius occultae compensationis.* — Neque tamen post factum, si bona fide contigerit, nimis facile restitutio urgenda est.

3° Cum in iure nostro etiam ex *donatione* solum *ius ad rem* nascatur, huic omnino aequivalere videtur *promissio de re danda ex iustitia obligans.* Unde concludendum ex tali promissione obligationem firmam non oriri nisi *conditiones lege civili pro donatione requisitae* fuerint servatae (2).

Cessat obligatio promissionis **191.**

1° Remissione promissarii.

2° In promissione reciproca etiam liberali, si unus promissum implere nolit, etiam alter deobligatur. Ita communis sententia secundum illud: frangenti fidem fides frangatur eidem.

3° Quando cessat *finis principalis* promittendi, ut si promissarius ex paupere factus est dives, ex amico inimicus.

4° Quando fit *notabilis mutatio* sive materiae promissae, ut si fiat impossibilis, illicita, inutilis; vel etiam circumstantiarum aut status circa personas ipsas, quae mutatio si praevisa esset, *promissionem impedisset* (3).

I. Quaeritur, num obligatio promissionis transeat ad heredes promittentis. **192.**

---

(1) Aliud est de epistola ordinaria qua forte promissio est intimata.

(2) Cfr. Marres L. IV. n. 4 sq.

(3) Cfr. dicta de voto.

Resp. I. Transit per se et generatim si agatur de promissione *reali*, et quidem eodem titulo iustitiae vel fidelitatis quo defunctus ligatus erat (1).

II. Non transit 1° si agatur de promissione *personali*.

2° Si onus promissum hereditatis *vires superet*.

3° Si defunctus intenderit *seipsum solum*, non heredes obligare.

II. Quaeritur, num ius ex promissione transeat ad heredes promissarii.

Resp. Distinguendum, num promissio facta sit vel praesumi debeat *intuitu solius promissarii an etiam huius familiae*.

N. B. De acceptatione, quum is qui promisit mortuus est, facienda vide n. 207 sqq.

CAPUT SECUNDUM.

DE DONATIONE.

(*Artt.* 1703-1730).

ARTICULUS I.

NOTIO DONATIONIS (2).

193. **Donatio** definitur in codice: contractus quo donator, dum adhuc vivit, gratis et irrevocabiliter aliqua re cedit donatario acceptanti. Art. 1703, al. 1. Dicitur:

I. Dum adhuc vivit... *re cedit*. Quo opponitur dispositioni testamentariae, non donationi mortis causa.

II. Gratis... re cedit. Quod explicatur:

194. 1. Cedit *(afstaat)*. Quo differt ab aliis contractibus vel etiam liberalitatis actibus, qui non tendunt in rei translationem ex unius in alterius fortunas.

Sufficit autem in nostro iure ad *contractum perfectum*, ut ius *ad rem* in alterum transferatur. Traditio — qua secuta *do-*

(1) Cfr. dicta de voto.

(2) Sporer, tr. VI, n. 397 sqq.

natio perfecta dicitur (1) — differri potest sive ad determinatum tempus sive etiam usque ad mortem donatoris; quod posterius si fiat, non ideo transit in donationem mortis causa (2).

2. Re *cedit*. Nomine rei veniunt *bona fortunae et iura in ea* sive realia sive ad rem, seu quidquid intelligitur sub nomine fortunarum *(vermogen); non actiones* etsi per eas lucrum vel commodum aliis afferatur.

3. Gratis *cedit* i. e. neque in solutionem debiti, neque sub onere rem reddendi vel ei aequivalentem tradendi aut opere praestandi. Quo differt ab aliis contractibus etiam gratuitis.

Non tamen, pro nostro saltem iure et ex communiori iurisperitorum sententia, donationis substantiae repugnat sive

1° Quod fit vèl ex gratitudine pro praestitis officiis non stricte debitis — *donatio remuneratoria* — vèl spe et intuitu gratitudinis et benevolentiae excitandae; sive

2° Quod donationi annectitur modus seu onus a donatario ex iustitia praestandum; audit *donatio onerosa,* negotium mixtum cum donatione.

Consequenter harum utrique applicanda sunt quae ius civile nostrum quoad donationes statuit. — Aliud probabilius est pro iure canonico.

Irrita tamen est donatio facta sub modo *aliis* debitis vel oneribus satisfaciendi, quam quae expressa sunt *in ipso donationis instrumento vel indice ei annexo.* Art. 1707.

Idem est ex communi, contra Diephuis (3), de donatione facta sub onere tanto quod de facto *rei donatae aequivaleat.*

N. B. Haec *gratuita rei* ab uno ad alteram *translatio,* ut exposita est. secundum Diephuis (4) optima est tessera qua donatio proprie et stricte dicta, qualis in nostro iure intelligitur, ab omni alio contractu et actu iuridico dignoscitur. Opzoomer (5) hanc tesseram potius ponit in hoc quod *unius fortunae augeantur cum diminutione alterius.*

---

(1) Imo iam ante contractum per acceptationem perfectum actus donatoris donatio dicitur. « Men kan zeggen, dat eene schenking begint met eene schenking ». Diephuis XI, pag. 476.

(2) Id. ibid. p. 419 sq.

(3) XI pag. 474.

(4) Ib. pag. 422 sq.

(5) IX pag. 240 sq.

195. III. Irrevocabiliter *cedit.* Quae vox quid in donationis definitione sibi velit, valde incertum est, et multum discrepant AA.

Exponuntur variae sententiae. — 1. Planior interpretatio ea videtur, quae ex historia huius art. petitur. Qui min. desumptus est ex Cod. Nap. ubi de donatione agebatur in eodem titulo quo de testamento, quae èt iungebantur èt sibi opponebantur. Adeoque donationis definitio eam distinguebat non ab aliis contractibus sed solummodo a testamento (1). Quae interpretatio si vera est, donatio vi *huius* art. et al. *non est magis irrevocabilis quam quilibet alius contractus.*

2. Verum sunt qui hac voce donationem censent *oppositam aliis contractibus.* Unde sequeretur ut donatio *essentialiter irrevocabilis* foret, ita ut neque contrarium pro ullo casu ipsa lege non excepto stipulari posset, atque si fieret, donatio nulla foret (2).

3. Sunt alii qui media via incedentes docent donationem esse irrevocabilem hoc sensu restricto quod fieri *nequit* cum stipulatione vi cuius *ad libitum donatoris revocari* posset. Quae interpretatio iam communior evasit saltem inter theologos.

Haec quidem sententia recta videtur, in quantum statuit donationem dicto sensu esse irrevocabilem; sed quatenus èt irrevocabilitatem sic restringit, èt eam ex art. 1703, al. 1 deducit, quominus admittatur, obstare videtur quod vox « irrevocabiliter » in definitione donationem vèl opponit testamento vèl aliis contractibus. Si prius, *nihil* quod huc spectet significat; si posterius, sequeretur donationem non solum illo restricto sensu sed *simpliciter*, seu in sensu 2ae sententiae, esse irrevocabilem. Quod enim lex simpliciter vetat hoc nullo modo fieri potest. Tum hac ratione tum propter dicta sub 1.

196. Resolvendum censeo irrevocabilitatis proprie dictae (3)

(1) Cfr. Diephuis XI pag. 419. Opzoomer IX pag. 243 sqq.

(2) Cfr. De Pinto § 986. Idem, quamvis minus clare, Diephuis l. c. pag. 465 et 508 deducit ex artt. 1709 et 1725 collatis; clarius ita docet ed. 3a § 14 (apud Opzoomer l. c. pag. 244): « Men kan de bepaling tevens in dien zin opvatten, dat de schenking *niet slechts uit haren aard* [natura] onherroepelijk is, maar dat dit zoodanig *tot haar wezen* behoort enz ». Quae quomodo cohaereant cum alibi dictis de sensu art. 1703, non video.

(3) Quae nim. excludit rescissionem propria auctoritate factam. Cfr. n. 212.

sensum et extensionem potius petenda esse ex artt. 1703 al. 2, 1705 et 1709, sc.:

I. Art. 1703 al. 2: lex non agnoscit donationes nisi inter vivos; aliis verbis: non agnoscit, seu nullas declarat, donationes mortis causa. Quum vero legislator noster non explicet quid per donationem mortis causa intelligat, iurisperiti nostrates docent eam accipi in sensu iuris romani, i. e. eam, qua quis actu, seu dum vivit, donat quidem, sed ita ut donationis valor vel firmitas dependeat a sua morte, ita sc. ut *donatio aut censeretur non facta aut resolveretur,* vèl

1° si donator *convaluerit,* seu generatim periculum vitae, cuius intuitu donavit, evaserit; vèl

2° si illum donationis *poenituerit.*

Omitti vero potest et debet tertius casus, sc. si donator donatario *supervixerit,* cum sub hac conditione stipulari ut donata ad donatorem redeant, art. 1709 expresse permittatur (1).

II. Ex art. 1705 si donator sibi reservat ius disponendi de quadam re donatione comprehensa, quoad hanc rem — et *eatenus solum* — donatio irrita est.

Unde deducitur totam donationem fore nullam, si absque limitatione donator sibi reservaret ius de rebus donatis disponendi. Cfr. supra 2°.

Potest tamen donator:

1° Sibi vel alii *usumfructum* rei donatae reservare. Art. 1706.

2° Reservare sibi facultatem disponendi *de determinata pecuniae summa* ex re donata. Quodsi de ea ante mortem non disposuerit, res donata integra manet donatarii. Art. 1708.

III. Ex art. 1709 donator sibi reservare potest ius, ut res donatae ad se redeant — in gratiam sc. *sui solius* — casu quo vèl donatarius solus, vèl hic èt eius descendentes ante donatorem vita functi fuerint. Quem art. iurisperiti ita interpretantur, ut extra indicatos terminos et casus negata sit facultas stipulandi *reditum* rerum donatarum (2).

---

(1) Aliter V. Egeren n. 8 qui, nonnullos theologos et iurisperitos Gallos secutus, censet neque donationem sub prima illa conditione factam hic intelligi.

(2) « Met recht schrijft Diephuis VIII § 83 [ed. 3ª cfr. ed. 2ª pag. 464 sq.]: Men mag... het stilswijgen der wet omtrent andere gevallen gerust als eene

Aliae autem stipulationes vel etiam conditiones resolutoriae, quae sc. citatis artt. non adversantur, *ex hoc capite* saltem non certo, sed neque probabiliter ut videtur, irritant donationem. — Sed attendendum praeterea erit, num forte stipulatio addita contineat *substitutionem prohibitam*. Exempli causa pono et resolvo aliquot casus.

197. Quaeritur I. Quid si stipuletur ut bona donata tradi debeant alii tertio sive — 1° *post mortem donatarii*, sive — 2° *post determinatum tempus*, sive 3° — *eveniente tali casu*?

Resp. In 1° casu certo habetur substitutio prohibita et irritans totum actum.

In 2° casu *secundum nonnullos tantum* eadem habetur substitutio.

Stipulationi 3ae nihil videtur obstare. Cfr. n. 110.

198. Quaeritur II. Quid si ius reditus stipulatum sit sive in gratiam *filiorum* et descendentium donatoris, sive in gratiam *donatoris eiusque filiorum* vel descendentium ?

Resp. cum Diephuis(1): Non totus actus nullus est, sed id solum quod contra legis prohibitionem est factum. Donatio itaque ipsa valida est, sed jus reditus in priori casu prorsus non est, in posteriori solum in gratiam ipsius donatoris. Cfr. n. 196, III. Quia enim si donatio facta non esset, bona donata ad donatoris hereditatem pertinerent, itàque ab ipsius descendentibus acquirerentur, in hisce casibus haec bona dici possunt ad eos *redire*.

199. Quaeritur III. Quid si idem stipularetur in gratiam *unius ex donatoris filiis vel descendentibus* ?

Resp. Non foret ius reditus, esto forte sic vocatum sit, sed substitutio prohibita aeque ac in casu n. 197, 1°; consequenter donatio omnino nulla (2).

---

uitsluiting van het beding voor zoodanige gevallen beschouwen ». Opzoomer IX pag. 267.

(1) XI pag. 467.

(2) Id. ib. pag. 466 sqq.

ARTICULUS II.

CONDITIONES AD DONATIONIS VALOREM VEL FIRMITATEM.

Quae ex parte contrahentium, materiae et formae requiruntur, sunt;

CONDITIO I. *Donator sit habilis ad donandum* (1).

(*Artt.* 1713-1715).

I. Praeter inhabilitatem generalem ad quoslibet contractus (2) statuitur ad donandum inhabilitas specialis 1° pro minoribus (3) 2° pro coniugibus inter se, exceptis tamen donationibus manualibus pro eorum conditione non excessivis. 200.

II. Ex hoc quod citatis artt. dicitur donationes praedictis non licere *(mogen niet)*, vetitas esse *(zijn verboden)*, theologi passim deducunt *prohibitionem in conscientia.*

Verum cum iurisperitis huius inhabilitatis specialis et quasi-prohibitionis civilis vis et sequela dicatur *potius et solum* nullitas proprie dicta donationum quae a praedictis fierent. Quae est *regula generalis* pro omni inhabilitate speciali seu prohibitione (4).

Attendendum tamen quidem, num forte ex alio capite peccetur, puta iustitia, pietas vel obedientia laedatur. Pro quo cfr. dicta Tr. pr. de filiis familias et de coniugibus.

III. Quoad habilitatem vero donandi, qualis in omnibus sine exceptione requiritur, pro casu quo donatio et acceptatio non fiunt eodem tempore, donator *ex iure civili* habilis esse debet non solum quando donat, sed *etiam quando intimatur* illi acceptatio. Deducitur ex art. 1720.

---

(1) Sporer, tr. VI, n. 417 sqq.

(2) Vide n. 143 sqq.

(3) Excipitur *donatio nuptialis:* art. 206.

(4) Cfr. Diephuis XI, pag. 431 sq, et 442 sq.; Opzoomer IX, pag. 277 et 280 sq.: cfr. VI, pag. 120 sqq.

CONDITIO II. *Donatarius sit habilis ad acquirendum ex donatione.* (*Art.* 1716-1718) (1).

201. *Ex iure civili* quicumque sive absolute sive respective inhabilis est ad acquirendum ex testamento, talis eodem modo est ad acquirendum ex donatione *exceptis indignis.*

CONDITIO III. *Materia sit donationi apta* (2).

202. « Art. 1704: Schenking vermag alleen de *tegenwoordige goederen* van den schenker te bevatten. Indien dezelve *toekomstige* goederen bevat, is zij *te dien opzichte* nietig ».

Voces *tegenwoordige, toekomstige goederen* alii aliter interpretantur. — Diephuis (3) ex sensu obvio verborum — tegenwoordige goederen *van den schenker* — resolvit requiri *èt existentiam* actualem rerum donandarum *èt ius* donatoris actuale, saltem *ad rem* in illas res. — Opzoomer (4) econtra censet hoc art. solum statui exceptionem a regula iuris tradita art. 1370, ex qua sc. etiam res futurae sunt apta contractus materia; praeterea ius in res futuras, v. gr. ius usufructuarii in messem anni sequentis, dicit bonum praesens quod donari possit. Itaque

203. Inepta donationis materia sunt *ex iure civili:*

1. Res futura, *saltem* ea quae èt nondum existit, èt in quam donator nondum ius habet (5).

Dubitatur de iure in rem futuram. At

Quid *de donatione rei* existentis quidem, sed in quam donator actu nullum ius habet, seu omnino *alienae?*

Resp. Haec donatio saltem aeque nulla, sed secundum Opzoomer (6) neque magis nulla est quam venditio rei alienae (7); Diep-

(1) Sporer, ib. n. 431 sqq.
(2) Id. l. c.
(3) XI pag. 425 sq.
(4) IX, pag. 252 sqq.
(5) De donatione nuptiali vide n. 205.
(6) l. c.
(7) Vide n. 217.

huis (1) econtra, si bene eum capio, ex hoc art. 1704 deducit maiorem i. e. totalem donationis nullitatem.

N.B. De hereditate nondum aperta vid. n. 95, III.

II. Portio legitima: vide n. 111, III et IV.

III. De iis quae a marito ex bonis communibus, et a viduo vel vidua in nuptiis secundis et ulterioribus comparti donari nequeunt, vid nn. 29, III; 31, V et 41.

Pro iure etiam naturali: 204.

IV. De re iam alteri debita vid. n. 154.

V. Res debitoris solvendo imparis. Sc. qui nec habet nec habiturus est, unde suo tempore debita solvat, *valide* quidem generatim sed *iniuste* donat; cuius iniustitiae ex communi et veriori sententia particeps fit donatarius, qui donatoris impotentiae *conscius* donum acceptat; etiamsi donatorem non induxerit ad donandum, quia semper efficaciter cooperatur. Contradicunt tamen quoad mere conscium nonnulli etiam graves AA. quorum « sententia ... probabilis est propter eius auctores » ait De Lugo (2).

Contra qui *bona fide* accepit, retinere donum potest, donec iudicis sententia donatio rescindatur, vel res legitime repetatur. Qua de re vid. art. 1377 et n. 148.

Scholion de donatione nuptiali. Haec praeter res prae- 205.
sentes et determinatas comprehendere etiam potest donatoris hereditatem integram vel partialem, salvo tamen iure legitimariorum quoad portionem legitimam. Qua de re observa:

I. Dubitari potest num coniugi donatario bona hereditatis titulo *universali tantum, an etiam particulari* donari possint.

Si hoc posterius admittatur, tunc non solum omnia mobilia v. gr. vel immobilia hereditatis, omnia bona determinati generis etc. sed etiam res singulae et in individuo determinatae *huius* donationis obiectum esse possunt, aeque ac in testamento per modum legati relinquuntur. Diephuis IV pag. 378 hoc admitti pro certo tradit.

II. Dubitari potest, et revera dubitatur num si quid ex hereditate donatoris attributum est, haec proprie donatio dicenda sit,

---

(1) XI, pag. 429 sq.
(2) Disp. XX, n. 116.

an potius dispositio testamentaria. Dicenda videtur esse a) *dispositio testamentaria,* sed b) *facta per contractum* (1). Itaque

a) donatarius donatori vita functo succedet vèl ut heres — et tunc excludet heredes ab intestato — vèl ut legatarius pro variis dispositionibus. Et

b) *haec* dispositio testamentaria — secus ac aliae, cfr. n. 112 — non potest revocari nisi ob causam modi non impleti. Atque donator de rebus huiusmodi donatione comprehensis iam non titulo gratuito disponere potest, nisi de exiguis summis in remunerationem vel ob alias sed a iudice approbandas rationes. Et quidem de dictis sub b) constat ex artt. 228 et 234.

III. Haec donatio hereditatis a) *ab ipsis sponsis* inter se vel alterutri facta *corruit casu quo donator donatario supervivit,* seu hoc casu non transit ad filios ex illo matrimonio natos. Art. 230. — Aliud est de donatione proprie dicta rerum praesentium et determinatarum. Art. 229. De ea nim. valent statuta quoad donationes generatim. — Sed

b) facta *a tertiis* reputatur, nisi aliud in ipso instrumento diserte est expressum, facta etiam in gratiam filiorum et descendentium ex illo matrimonio. Haec donatio *non corruit nisi donator donatario et eius filiis et descendentibus* ex *illo* matrimonio *supervivat.* Art. 233.

NB. Alia quae donationis nuptialis propria sunt, potius suis locis notabimus.

Conditio IV. *Iuris solemnitates fuerint servatae.* (*Artt.* 1719-1724).

206. Regula iuris civilis. Donatio sub poena nullitatis fieri debet actu notariali, cuius prima perscriptio *(de minuut)* apud notarium remanere debet. Art. 1719. Quae *nullitas* ex communi iurisperitorum sententia est *proprie dicta et absoluta.* Quoad heredes tamen aliosque causam acquirentes recole dicta n. 186, IV, 2°.

I. Excipiuntur ipsa lege art. 1724 donationes manuales sc. rerum mobilium et creditorum non certo nomini in-

(1) Cfr. Diephuis IV, pag. 374 sqq.; item *Handboek* (ed. 3) II, pag. 61; Opzoomer I, pag. 301 sqq.

scriptorum et ex communi interpretatione credita publica *(effecten)*; cfr. art. 668.

Hae itaque res donari possunt sola rei *traditione* facta vel ipsi donatario vel alii tertio, qui pro eo rem donatam acceptat. Quae traditio ita requiritur ut sine ea donatio rei mobilis, nisi actu notariali fiat, sit civiliter aeque nulla ac donatio minus solemnis rei immobilis. Ad quod praecipue advertendum casu quo donator mortuus esset, antequam rem tradidisset.

Pro modo autem quo traditio *haec* sufficienter fit, et pro casibus quibus sufficit translatio pleni iuris in rem — sc. iam alio quocumque tituto a donatario possessam — cfr. n. 122.

II. Non cadunt sub hac lege et regula, ex communi vel saltem probabili nonnullorum iurisperitorum et theologorum interpretatione, imo pro uno actu ex ipsa lege, liberalitatis actus, quibus nim. commodum quidem alteri affertur, sed nulla res transfertur (1). Sc.

1° *Condonatio debiti* vel *renuntiatio iuris*. Sed

Quaer. num condonatio debiti requirat *acceptationem debitoris?*

Resp. Alii affirmant, alii negant. Utramque opinionem conciliando resolvendum videtur, ad hoc ut condonatio *valeat* ita ut debitor, quocumque modo condonationis conscius, non teneatur solvere, *non requiri;* — ad hoc vero ut *irrevocabiliter valeat*, ita ut creditor eam revocando debitum iam exigere non possit, *requiri* acceptationem (2).

Huc redit *solubio debiti* alieni facta animo solutum non repetendi.

2° *Donatio accessoria*, seu stipulatio gratuita, quae modi instar in gratiam tertii adiicitur oneroso contractui.

3° *Novatio (schuldvernieuwing)*, illa nim. qua creditor creditori substituitur, art. 1449, 3°.

4° *Donatio simulata* quae plerumque fit *venditione* vel *infra pretium* vel omnino *ficta*.

---

(1) Cfr. n. 194, N. B.

(2) Cfr. Sporer n. 303; De Lugo, Disp. XXIII, n. 53 sqq.

5° *Census vitalitius* in gratiam tertii constitutus, quem lex diserte solemnitatibus donationis non subiectum declarat; art. 1815 (1).

CONDITIO V. *Donatio sit a donatario acceptata.*

207. *Ex iure naturae* I satis certo requiritur ipsa acceptatio facta ab ipso donatario vel eius legitime vices gerente.

II. *Probabiliter* requiritur ut fiat vivente donatore. Verum *Probabilius* et communius hoc *negatur, si* donatio facta est ab ipso donatore: quia tunc aeque ac in dispositione testamentaria satis perseverat eius voluntas, ut cum hac uniatur voluntas donatarii. Qua de re non videtur dubitandum, si revera donator voluerit, ut etiam post ipsius mortem dominium rei donatae transferretur in donatarium, cum tunc vere fuerit dispositio testamentaria. Quod in eadem hypothesi ob eamdem rationem pariter dicendum, si donator solum dederit tertio mandatum donandi, et moritur ante mandati executionem factam.

Quoad mandatum autem donandi, extra dictam hypothesim, *communius* dicunt illud morte mandantis ita *expirare,* ut non possit amplius valide executioni dari. Nihilominus non improbabilis est contraria sententia (2).

208. *Nota* 1. Donatio *ad piam causam ipsi Deo* facta habet rationem *voti,* ideoque statim irrevocabiliter valet. Facta vero *directe causae piae particulari* verius non est firma antequam a procuratoribus est acceptata. Sunt quidem qui censeant quemlibet pro Ecclesia vel pia causa donationes acceptare posse, sed nullo argumento hoc probatur.

In dubio autem de intentione donantis praesumitur animus vovendi. Si tamen res positive dubia manet consulatur Episcopus (3).

2. Communiter item dicunt pro casu donationis piae causae factae praesumendum esse donatorem voluisse, sive per se donaverit, sive mandatum donandi dederit, ut etiam post mortem suam dominium transferretur; consequenter obligari heredes.

---

(1) Cfr. de hisce omnibus Marres L. IV, n. 54.

(2) Sporer n. 317-319.

(3) De dispensatione talium donationum seu votorum vid. Tr. de Relig. tom. I, n. 356 sqq.

Ex iure civili, sub poena *nullitatis,* ex communi iurispe- 209.
ritorum, requiritur ut acceptatio fiat

I. Ab ipso donatario *aut alio cui* instrumento authentico *mandatum* dedit *donationes acceptandi.* Non sufficeret universale mandatum negotia pro donatario gerendi; neque tamen speciale pro singulis donationibus mandatum requiritur. — Atvero

1. *Si donatarius est inhabilis,* acceptatio fiat

1° *Pro minore* sub potestate parentali constituto ab eo qui dictam potestatem exercet.

2° Pro minore sub tutela constituto, itemque pro *interdicto* a tutore vel curatore, sed — *ad* 2^m^ — post acceptam a iudice territorii facultatem.

3° *De uxore* vid. n. 36, 1.

2. Donationes factae *corpori morali* vel *instituto* acceptantur ab illorum procuratoribus.

Attamen pro *publicis* — privatorum hic non fit mentio — et *religiosis* institutis praevie a procuratoribus obtinenda est *regia licentia* acceptandi. Art. 1717 (1).

---

(1) Conferenti inter se artt. 1717 et 947 (Vid. n. 109. I, 2°) apparet differentia dictionum; sc. art.^us^ 947 saltem verbis plura instituta comprehendere quam art. 1717. Quod et notant Diephuis XI pag. 440 et Opzoomer IX pag. 286.

Diephuis nihilominus ex paritate rationis *(strekking)* ad parem seu aeque latum sensum utriusque art. concludit. — Sed si talis fuit intentio legislatoris nostri, quidni simpliciter art. 947 donationi applicandum declaravit, sicut quoad tot alios artt. de testamentis fecit? Nonne ergo potius applicandum illud: quod non est in lege, non est in mundo?

Opzoomer aliter ac Diephuis sentire videtur. Scribit np.: « Iuist omdat we hier met een uitzondering te doen hebben, *die dus streng binnen haar bepaalde grenzen moet worden gehouden,* is het te betreuren, dat onze wet zich noch van duidelijke, in hun beteekenis scherp begrensde, noch van dezelfde woorden heeft bediend. In ons artikel is alleen van « opembare of godsdienstige gestichten» sprake, in art. 947 van « openbare instellingen, godsdienstige gestichten, kerken of armeninrichtingen ».

Marres L. I n. 195, I scribit: « Facultas acquirendi.... qua *universa* caritatis instituta gaudent, coarctatur art. 947 *et* 1717 »; quin rationem, cur illos artt. aequiparet, addat. L. IV n. 65, II vero: « Petenda.... est regia licentia, quando donum fit ex. gr. *societati S. Vincentii,* quia ut publica institutio beneficentiae art. 2 lit. c legis D. 28 M. Iulii [Iunii] 1854 [*Wet tot regeling van het Armbestuur. Stsbl.* 100] comprehenditur. At cum dicta lex l. c. loquatur de « instellingen door *bijzondere* personen of door *bijzondere,* niet kerkelijke, ver-

Haec vero praescriptio *non afficit* nisi donationes, pro quibus instrumentum authenticum requiritur. Quod quoad donationes manuales rerum mobilium declararunt regii ministri tum pro iustitia (12 Martii 1844), tum pro rebus publicis internis (21 Nov. 1868) (1).

II. In ipso donationis instrumento aut alio authentico, cuius prima perscriptio servetur. — In posteriori hypothesi donatio non ligat donatorem nisi a die, quo ipsi acceptatio fuit intimata *(beteekend)*, i. e. non quocumque modo donatori esto ab ipso donatario significata, sed per *apparitorem (bij deurwaardersakte)*.

III. Expressis verbis *(in uitdrukkelijke bewoordingen)*. Non itaque sufficit tacita, neque implicite, puta per subscriptionem instrumenti donationis, manifestata acceptatio (2).

IV. Vivente donatore. — Nota tamen:

1° Pro casu donationis per mandatarium faciendae, si èt man-

---

eenigingen geregeld en bestuurd », non capio, fateor, vim argumenti a Cl. Professore allati.

V. Egeren n. 16 haec habet: « In.... art. 1717 is.... sprake van schenkingen aan *openbare of godsdienstige gestichten* bijv. kerken en armeninrichtingen ». At numquid vox *gestichten* obvio sensu comprehendit ecclesias? — et instituta pauperum omniane sunt publica?

Ad rem vero idem cl. A. ib. ex citatis legis verbis deducit: « Bijgevolg is de bepaling van dit Artikel, even als die van Art. 947.... niet van toepassing op eene gift door iemand aan den *tijdelijken pastoor* eener gemeente gedaan *tot pieuse werken en liefdegaven* » Quod autem sequitur, partim in dubium vocari potest secundum supra notata: « Iets anders zoude het zijn met eene schenking gedaan aan de *tijdelijke pastoors* of de elkander opvolgende titularissen der pastoreele betrekking, ten behoeve van de kerk, de pastorij, van hun geestelijk beneficie, of van andere blijvende instellingen en stichtingen in de parochie ».

(1) Annotat hic V. Egeren n. 17 sqq.: 1° « In geval echter *zoodanige* zaken bijv. geldsommen aan een kerk of armbestuur werden aangeboden tot een *blijvend einde* bijv. tot het fundeeren van een eenwigdurend jaargetijde, zoude zulk aanbod *wellicht* niet beschouwd worden door den Regter als eene gift van hand tot hand, maar veeleer als vestiging eener blijvende stichting, waarvoor *misschien* aanvrage tot auctorisatie kan worden gevorderd ». Sed cfr. n. 51.

2° Quoad alias donationes de quibus n. 206, II « is deze meening, vooral met betrekking tot *bedekte* schenkingen.... twijfelachtig ».

3° « Men heeft ooit beweerd.... dat de.... schenkingen *terstond en voor altijd* geen gevolg hebben, *zoodra* de Koning de aangevraagde magtiging weigeren mogt; doch geheel ten onregte.... Een nieuwe gemotiveerde aanvrage kan leiden tot intrekking der eerste afwijzing ».

(2) Excipitur *donatio nuptialis*, non tamen ea quae sponsis fit a tertiis instrumento a pacto nuptiali diverso. Artt. 225 et 231 sq.

datarius et donatarius mortem donantis tempore donationis penitus ignorarunt, ex art. 1855 valida donatio videtur.

2° Ex art. 1722 donatio facta minori sub tutela constituto, vel interdicto firma est, etiamsi donator obierit antequam a iudice facultas acceptandi fuit concessa.

Quod privilegium cum piis institutis non sit concessum, caveant eorum moderatores, ne exinde instituta detrimentum capiant; atque curent ut donatio, quando periculum mortis instat, venditionis contractu tegatur (cfr. n. 206, II, 4°), vel testamento iteretur, vel ut donetur res mobilis, v. gr. pecunia. Marres, n. 69.

Quid si donator iam moriturus rem alteri acceptanti — non 210.
donare mandat, sed — donat et tradit cum onere illam tertio donandi?

Resp. Pro utroque foro donatio valet, quia vivente donatore donatio est acceptata. Si tamen res ad forum deducatur, *periculum* esse potest, ne iudices resolvant non donationem sed donandi mandatum haberi, quod morte mandantis expiravit. Id. ib.

Nota 1. *Pro donatione manuali* Opzoomer requirit, ut acceptatio fiat *expressis verbis* (1); plerique de hac conditione tacent; iurisperiti Galli eam requiri negant, quia et haec est quaedam solemnitas quae pro sola donatione solemni requiritur. Quod idem sentire videtur Diephuis (2).

2. *Dissentiunt quoque* utrum ad hoc ut donatio manualis pro alio valide acceptari possit, requiratur ut *mandatum sit datum idque per instrumentum authenticum*. Diephuis (3) utrumque negat, idemque sentire videtur Opzoomer (4). Utrumque affirmavit Tribunal Buscoducense (5).

Conditio VI. *Substitutionem prohibitam ne contineat.*

Art. 1712 donationi applicantur ea quae n. 110 dicta sunt de 211.
testamento et cfr. n. 197 sqq.

---

(1) IX pag. 308.

(2) XI pag. 496 sq. Cfr. Marres n. 66, II.

(3) L. c. Marres n. 67 dicit Diephuis ex art. 1357 [?] deducere necessitatem mandati (non tamen actu authentico dati). Sed art. cit. huc nullatenus spectat.

(4) IX pag. 308.

(5) 13 Iuni 1860. *Ned. Pas.* Schenking n. 22.

ARTICULUS III.

DE IURIDICA DONATIONIS RESCISSIONE.

(*Artt.* 1725-1730).

212. Revocari — improprie, i. e. — peti potest rescissio donationis ob solas sequentes causas:

1° *Ob non impletam conditionem*, i. e. modum seu onus donationi adiectum.

2° Si donatarius reus vel particeps fuerit *sceleris* (1) *erga donatorem* — personam vel res illius — commissi.

3° Si donatori *in paupertatem dilapso* donatarius *victum (levensonderhoud)* subministrare *negat* (2).

213. I. *In primo casu* donator potest vel executionem obligationis vel donationis rescissionem petere.

II. *In omnibus casibus* donatarius reddere debet rem donatam cum fructibus et reditibus perceptis, *in* 1° *casu* a die suae negligentiae, *in aliis casibus* a die actionis contra ipsum institutae.

III. *In primo casu* donator repetere potest rem liberam ab omni onere et hypotheca quibus donatarius quocumque tempore rem gravavit, idque, si agatur de re immobili, a quocumque detentore.

IV. *In aliis casibus* solum annullantur alienationes vel aggravationes factae postquam petitio rescissionis donationis descripta est in publicis tabellis iuxta transcriptionem ibidem pro traditione rei donatae factam. — Quod si donatarius rem reddere non potest, solvere debet pretium secundum valorem, quem res habuit cum actio institueretur; si rem liberam reddere nequit, tenetur donatorem indemnem reddere pro oneribus quae ipse rei etiam ante actionem institutam imposuit.

V. *Pro secunda et tertia causa* actio instituenda est intra annum computandum a die, quo causa est posita, et donatori in-

(1) Misdaad of wanbedrijf; niet policieovertreding. Opzoomer IX pag. 314; Diephuis XI pag. 511 sq.

(2) Ad 2^m^ et 3^m^ excipitur *donatio nuptialis*, Artt. 227 et 234. Coniux tamen, contra quem divortii sententia prolata est, amittit omnia emolumenta pacto nuptiali ipsi attributa; Art. 278.

notescere potuit; neque institui potest sive contra heredes donatarii, sive ab heredibus donatoris, nisi — quoad hoc posterius — iam inchoata est ab ipso donatore vel hic intra annum a die positae causae obiit.

CAPUT TERTIUM.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE (1).

(*Artt.* 1493-1576).

Emptio et venditio definitur: *contractus quo unus* 214.
se obligat ad rem tradendam, alter ad pactum pretium solvendum. Est consensualis, non solemnis.

Ad probationem *scriptura* in determinatis tantum casibus requiritur; cfr. n. 127, IV. *In commercio* tamen omnis emptionis et venditionis contractus *etiam per testes* probari potest, exceptis tantum casibus in Cod. Com. expressis.

Item scriptura saepe requiritur ad traditionem rerum venditarum, cfr. n. 122, et quandoque ex intentione et *speciali stipulatione* ipsorum contrahentium ad valorem.

Quibus omnibus casibus scriptura pro arbitrio contrahentium potest esse authentica vel privata.

ARTICULUS I.

CONDITIONES EMPTIONIS ET VENDITIONIS.

(*Artt.* 1503-1506).

CONDITIO I. *Contrahentes sint ad hoc habiles.*

(Cfr. n. 142 sqq.)

Speciatim inhabiles (2) ex iure *civili* sunt: 215.

I. *Ad emendum et vendendum* coniuges inter se, excepto triplici casu; art. 1503 (3).

(1) Sporer, Tr. VI n. 645 sqq.

(2) Cfr. n. 200, II.

(3) De *debitore*, cuius bona sub custodia iuridica *(beslag)* posita sunt, relate ad emptionem vel venditionem eorumdem bonorum *immobilium* vide Cod. Act. civ. artt. 505 al. *d* et 525.

II. *Ad emendum* relate ad res lege determinatas vel ad ventionem privatam iudices aliique artt. 1504-1506 enumerati; inter quos maxime notandi sunt mandatarii quoad res quarum venditio ipsis est mandata, et tutores quoad bona immobilia pupillorum suorum; cfr. art. 457.

III. *Quoad venditionem:* de iis quibus alienarum rerum cura est commissa vide n. 147; — de marito n. 33; cfr. n. 29, III et n. 31, V; artt. 160 al. *e*, et 195 al. *c*; — de patre, tutore et curatore artt. 364, 451, 506 al. *c*; — de herede praesumpto art. 537; — de herede gravato (onere substitutionis) vel eo qui illius loco res gravatas administrat art. 1032.

Conditio II. *Res sit venditioni apta* (1).

(Artt. 1507 sq.; cfr. n. 150 sqq.).

216. Rei, quae iam penitus periit tempore venditionis, venditio ex *utroque* iure est nulla.

Si pars tantum rei venditae *periit*, ex art. 1508 emptor potest vel ab emptione discedere *(laten varen)*, vel partem rei superstitem pro rata pretii antea constituti petere. Quum autem legislator neque distinguat, neque distingui velit (2) quanta rei pars perierit, in rigore loquendo nec nos distinguere debemus. Aliter quoad *liceitatem rescissionis* Marres n. 163, II.

217. Rei alienae venditio est ex art. 1507 nulla. Intelligitur autem de re determinata: cfr. n. 152 sq. — Atvero non constat in quantum invalida sit haec venditio: pro cuius quaestionis expositione noto sequentia:

I. *Pro nostro iure civili* 1° Opzoomer (3) censet quoad emptorem et venditorem contractum esse *validum* sicut erat in iure Romano; dici autem nullum hoc solo sensu quod per eum et per traditionem secutam emptor non acquirit rei *dominium*. Supponitur ad substantiam contractus pertinere obligationem transferendi non dominium, sed possessionem tantum rei.

---

(1) Sporer, Tr. VI, n. 684 sqq.

(2) Cfr. Diephuis XI pag. 179; Opzoomer VIII pag. 70. Supponitur autem emptorem fuisse huius circumstantiae ignarum.

(3) L. c. pag. 54 sqq.

2° Diephuis (1) econtra sentit contractum esse quidem proprie, imo absolute *nullum, non tamen omnino;* habere sc. eos effectus, eosque solos quos lex memorat; cfr. n. 221.

Differentia i. a. est, quod in posteriori opinione, si venditor postea rei dominium acquisivit, hoc neque per se transit ad emptorem cui forte res iam est tradita, neque venditor tunc saltem rem tradere tenetur; secus in priori opinione.

3° Testatur Marres (2) ex communiori iuris recentioris interpretum sententia contractum *existere,* sed esse iure nullum i. e. *rescindibilem,* idque *relative* tantum. Porro de iure *domini* rei dubium esse non potest. Quoad *emptorem,* secundum omnes (3), ait, competit ei ius contractus vitium *agendo vel excipiendo* proponendi. *Venditorem* communius, inquit (4), iurisperiti docent, *ante rei traditionem* saltem *excipiendo* contractus vitium opponere posse, ut rem emptori non tradat.

II. *Pro iure naturae* 1° contractum esse *omnino nullum non ita certo constat,* maxime si intercedat bona fides, vel saltem non expresse de re aliena ut tali contractum est. 218.

2° De iure *emptoris* contractum rescindendi non est dubitandum. Pro *venditore* orta videri potest obligatio curandi ut rem sibi a domino acquirat, itaque emptori tradere possit.

III. Saltem stante dispositione iuris civilis et *pro foro conscientiae* theologi antiquiores passim contractum non magis invalidum dicunt quam est *ex iure civili (Romano).* Quae resolutio pro nostro iure attentis supra dictis retineri, si minus debet, saltem potest, ut videtur.

IV. Quoad res mobiles observandum ex art. 2014 earum dominium ipso facto possessionis animo domini et bona fide habitae acquiri statim vel saltem post triennium, ut dictum est n. 90. 219.

Sed quaeri potest, num emptor huic privilegio renuntiare possit. Marres n. 165, II videtur consentire quibusdam iurisperitis Gallis affirmantibus. At forte obstat, quod art. 2014 non agitur de

(1) XI l. c. pag. 180 sqq.
(2) N. 164.
(3) N. 169. I. Excipiendus saltem est Opzoomer; cfr. supra dictum sub 1°.
(4) N. 168, II.

praescriptione proprie dicta (1), ita ut art. 1984 applicari nequeat. — Ab huius quaestionis resolutione dependebit, utrum necne emptor vitium contractus opponere possit.

220. V. Quoad pretium solutum — praeter mox dictum — notandum:

1° Admissâ existentiâ, esto infirmâ, contractus sequitur pretii dominium a venditore vere acquiri. Et in hoc revera theologi communiter consentire videntur.

2° De facto, si minus contractu, saltem pecuniae acceptae cum propria pecunia commixtione dominium plerumque acquiretur.

221. VI. Duplex saltem obligatio pro venditore ex venditione rei alienae sequitur, etiam ex iure civili, sc. 1° *compensandi emptori impensas* etc.; id autem ex iure naturae quando ipse mala fide egit, ex iure civili quoties emptor fuit bonae fidei; 2° *praestandi evictionem*.

VII. Emptor *a domino* rem suam perditam vel ablatam repetente exigere potest ut pretium solutum ipsi refundat, si ipse rem emerit vèl — 1° in annua aliave nundina, vèl — 2° in auctione publica, vèl — 3° a mercatore talium rerum mercaturam agente et ut tali noto. Art. 637.

N. B. De restitutione ob damnificationem vel rei alienae possessionem facienda dicetur in Tr. seq.

222. Quaeritur cuiusnam sit res, quam emptor ex pecunia aliena suo tamen nomine emit.

Resp. Est emptoris qui tantum pecuniam domino restituere tenebitur. — Ex iure *canonico* tamen, si pecunia fuerit Ecclesiae, res ipsa *Ecclesiae* acquiritur.

N. B. De venditione bonorum debitoris *sub custodia positorum* vide Cod. Act. civ. artt. 462 sqq.

De venditione rerum *noxiarum* etc. vide in Tr. de Virt. Theol., ubi de cooperatione ad peccata aliena.

CONDITIO III. *Pretium sit definitum.*

(*Art.* 1501).

223. *Definitum pretium* sit oportet 1° in pecunia, quia secus contractus species mutaretur; 2° ab ipsis contrahentibus,

(1) Vide n. 90, et cfr. Diephuis VI pag. 431 sq.

explicite tamen vel implicite; possunt sc. non quidem alterutri contrahentium sed alii tertio pretium statuendum relinquere; qui si non vult vel non potest determinare pretium, venditio non obtinet; possunt etiam convenire ut solvatur pretium fori talis diei sive praeteriti sive futuri.

ARTICULUS II.

DE IUSTO RERUM PRETIO (1).

I. Pretium distinguitur 1° *legale* quod legitima auctoritate est statum; 2° *vulgare*, quod communi aestimatione determinatur; addi potest 3° *conventionale* quod libera solorum contrahentium conventione hic et nunc statuitur. 224.

II. *Vulgare* iterum distinguitur *summum*, *infimum* et *medium*.

Pretium vulgare pro circumstantiis *crescit et decrescit*; quod *dependet* 1° a penuria vel abundantia mercium et pecuniae; 2° a minori vel maiori numero emptorum et venditorum; 3° a modo vendendi. 225.

Pretium legale, si est statutum, *generatim* ex iustitia et ad amussim est servandum. *Excedere licet:* 226.

1° Si *a maiore civium parte* non amplius servatur, magistratu tacente.

2° Si mutatis circumstantiis evadit *iusto minus*.

3° Si merces sunt *notabiliter solito praestantiores*.

Quia autem plerumque statuitur in favorem ementium, ordinarie emptor potest infra pretium legale emere, modo maneat intra limites pretii vulgaris.

Deficiente legali standum est ex iustitia pretio vulgari *nisi* adsit vèl liberalis datio seu intentio favendi vèl titulus specialis. 227.

1. *Licitum est*, seclusa fraude, vendere pretio summo, emere infimo.

2. *Iniustum* per se est vendere supra pretium summum, emere infra infimum.

---

(1) Sporer, Tr. VI, n. 650 sqq.

3. *Iniuste* quoque agit venditor, qui *dolo* inducit emptorem ad conveniendum de pretio maiori; vel qui *facta conventione de pretio minori* occulte sibi comparat maius, diminuendo v. gr. pondus vel mensuram, etiamsi in utroque casu non excederet pretium summum. In priori enim casu ipse dolus foret iniustus, in posteriori laederetur contractus.

Excusari tamen posset venditor, qui diminuendo v. gr. pondere, occulte sed iuste sibi compararet, quod emptor ei debet, quodque alia via obtinere commode non posset.

N.B. Quanta sit differentia inter summum et infimum pretium, fatentur omnes non posse certa regula definiri. Practice quisque sequi potest fori et negotiatorum praesertim timoratorum usum communem.

228. Tituli speciales vendendi ultra summum vel emendi infra infimum enumerantur sequentes — inter quos tamen sunt quos rectius dixeris causas crescentis vel decrescentis pretii.

I. Damnum emergens, lucrum cessans vel periculum aliudve incommodum pretio aestimabile exurgens ex praesenti venditione vel emptione.

II. Peculiaris *venditoris* affectus.

III. De peculiari *emptoris* affectu *controvertitur*.

Sporer et antiqui *communiter negant*, quia nemo potest vendere quod suum non est. Quae ratio certe convincit, si affectus emptoris nititur *tantum necessitate* seu indigentia, ut supponit Sporer.

Si vero nititur speciali pro illo *utilitate*, commoditate vel delectatione, recentiores *nonnulli affirmant* et probabile videtur; quia in hypothesi pro illo emptore in communi aestimatione rei valor et pretium augetur. Ita quoque fert *hodie usus communis* etiam timoratorum.

IV. Dilatio vel anticipatio solutionis. Cfr. dicenda de mutuo.

V. Venditio sub hasta. Cfr. n. 252.

VI. Modus vendendi merces vel minutatim vel in magna simul quantitate.

VII. Ultronea oblatio rerum, quae ultro offerri non solent; idque probabiliter etiamsi res ultro offeruntur ratione paupertatis,

quamvis tunc facile laedi posset charitas, nisi quis unice emat in gratiam offerentis.

Ad I et II observandum requiri ut alter alterum de titulo existente moneat, utque pretium non augeatur vel minuatur ultra quam in communi aestimatione ipse titulus valet. Secus enim adesset fraus.

Res quae neque legale neque vulgare pretium habent, uti gemmae, picturae singulares, libri rari, secundum alios sunt *a peritis* aestimandae, secundum alios vendi et emi possunt tanti quanti *contrahentes ipsi inter se* conveniunt. Quod 229.

Conventionale pretium certo videtur instum et licitum:

1° Si uterque contrahens scit se rei valorem ignorare, quia tunc iuste ineunt contractum aleatorium.

2° In auctione publica.

3° *Relate ad emptorem* si rem emit:

a) Apud antiquarium.

b) Iam vili usui inservientem vel ad eum destinatam.

c) Quam ipse solus vel fere solus privato studio scit esse pretiosam.

d) Quae ex iudicio etiam peritorum non habet valorem stabilem et realem, sed tantum volatilem et relativum seu affectionis ut aiunt.

Quaeritur num qui *privata scientia* novit mercium *pretium brevi auctum vel minutum iri,* possit tamen emere vel vendere pretio hic et nunc currente? 230.

Resp. Potest saltem sine iniustitia, modo absit fraus; quia attendendus solum est valor rei praesens, qui non variatur ex notitia particulari.

Pariter licet emptori solvere monetà cuius valorem privata scientia novit brevi minutum iri.

Laederetur tamen *charitas,* si quis taliter vendendo vel emendo alterum induceret in gravem necessitatem; item, sed per se minus graviter, si quis mercem suam vendere posset pluribus, et vendit uni; et in similibus casibus.

Nota. Nulla admittitur actio rescissoria titulo laesionis in pretio.

ARTICULUS III.

DE EFFECTU EMPTIONIS ET VENDITIONIS(1).

(*Artt.* 1495-1500. *Cfr. n.* 164, 167 *sqq.*).

231. Quaeritur quid efficiat arrha data?

Resp. Arrha alia est confirmatoria, quae datur in signum et assecurationem contractus ex intentione contrahentium perfecti, ita ut non liceat ab eo resilire, et arrha data censeatur pars pretii. — Alia est poenitentialis, quae datur ut a contractu nondum plane perfecto recedi possit.

Apud nos ex usu communi arrha *confirmatoria* esse solet, et talis praesumitur in iure art. 1500. Quare *nisi* contrahentes contrariam intentionem satis manifestaverint, non facit ut a contractu recedi possit.

232. Res vendita sed nondum tradita

I. Generatim et per se perit emptori, *si contractus est perfectus* — cfr. II — *et res erat certa et determinata;* secus perit venditori. Hinc:

II. Perit venditori 1° si res non erat ita determinata; quare non solum, si *species tantum* rei vel rerum tradendarum erat determinata, sed etiam

2° Si ipsa res est quidem plus minusve determinata, sed *non in individuo.*

Casus est a) si rerum quae pondere, numero mensurave constant, certa quidem copia v. gr. ille frumenti acervus, at *non ut unum totum pro uno pretio* sed pro tali pretio per tale pondus etc. est empta et vendita, et nondum erat pensa etc.; art. 1497.

b) Si certae cuiusdam copiae pars tantum, dimidia v. gr. vel tot individua, pondera vel mensurae sunt empta et vendita, et illa pars est quidem a toto separata, numerata etc., sed ab emptore vel eius legitime vices gerente *nondum probata;* idque sive in-

(1) Sporer, Tr. VI, n. 726 sqq.

tegra copia sive eius pars, imo ipsa pars separata, numerata etc. periit (1).

3° Si contractui adiecta est *conditio suspensiva*, et hac pendente res periit. Quare etiam:

4° Si agitur de re quae emi solet ita ut prius gustetur, et res perit antequam emptor eam gustavit et *probavit*. art. 1499.

5° Si perit *culpâ venditoris*, v. gr. quia rem non satis diligenter custodivit: art. 1272.

6° Si perit tempore, quo erat *venditor in mora*, i. e. *culpâ suâ* rem nondum tradidit: art. 1273. Si tamen res eodem casu aeque apud emptorem periisset, perit emptori; art. 634, 3°.

Ad hunc et praecedentem casum insuper nota, venditorem si negligentiae culpam *iuridicam* tantum admisit, expectare posse sententiam iudicis. Cfr. n. 163, I in fine.

7° Si perit ex *vitio occulto, quod tempore venditionis iam* rei inerat; art. 1546.

ARTICULUS IV.

DE OBLIGATIONIBUS VENDITORIS (2).

Ex art. 1509 venditor *clare* exprimere debet, ad quid se obliget; stipulationes obscurae et ambiguae *contra ipsum* sunt interpretandae. 233.

Duae sunt eius obligationes principales sc.: rem venditam tradendi, et praestandi *(vrijwaren)* illius vitia et evictionem *(uitwinning)*; art. 1510. De quibus triplici paragrapho agemus.

§ I. — *Obligatio venditoris quoad vitia rei.* (*Artt.* 1540 1548).

Ex iure naturae I. venditor manifestare tenetur: 234.

1° Vitium quodcumque, de quo specialiter interrogatur.

(1) Ita Diephuis XI pag. 201 sqq. Opzoomer VIII pag. 17 sqq. — « Er is ten minste zoodanige wetenschap bij den kooper noodzakelijk, dat het object van den koop... tusschen partijen kan worden geacht vast te staan ». Amsterd. Rechtb. 17 Juni 1880; Id. Hof, 18 Mrt. 1881; *Ned. Pas.* 2e Verv. Koop en Verkoop, n. 658.

(2) Sporer, ll. cc.

2° Etiam non interrogatus vitia occulta substantialia et notabilia — redhibitoria dicta — quae nim. rem reddunt noxiam, inutilem vel multo minus utilem ad finem propter quam communiter emi solet, vel hic et nunc emi noscitur.

Non tamen tenetur venditor *inquirere,* an forte emptor habeat finem extraordinarium, ad quem res foret inepta, *nisi* circumstantiae hoc suspicari faciant.

II. Non vero manifestare tenetur:

1° Vitia manifesta, quae sc. emptor morali diligentia detegere potuit. — *Excipe*, si advertit invincibilem emptoris ignorantiam.

2° Vitia non notabilia etsi occulta, de quibus speciatim non interrogatur. — Attamen quandoque *ex charitate* tenetur venditor monere emptorem saltem post initum contractum de vitio accidentali rei, si nim. ex eius usu emptor damni periculo exponi posset.

Semper tamen *in pretio statuendo vitii ratio* est habenda; de quo sicut et de valore vel firmitate contractus vide dicta generatim de errore et dolo.

235. I. Vendere quid pro quo certe per se iniustum est. *Excipi* potest si res petita, v. gr. medicina a medico praescripta, praesto non est, et *constat,* rem datam fore aeque utilem. Secus autem peccabitur pro rata materiae et pro circumstantiis v. gr. periculi damni causandi.

II. Merci miscere aliam materiam viliorem, item per se iniustum et pro rata, ut supra dictum, peccaminosum.

Excipe si vèl merx vendita est solità notabiliter praestantior, vèl agitur de admixtione communiter fieri solita, modo tamen ne admisceatur materia nociva.

236. *Etiam ex iure civili* venditor praestat vitia *occulta,* quae si emptor novisset rem vèl nullatenus vèl solum minori pretio emisset; idque per se etiamsi venditor ipse vitia illa ignoravit. Artt. 1540 et 1542.

237. Tolli potest obligatio haec a venditore:

1° *Expresse* stipulando se non cavere de ullo vel occulto rei vitio. — *Ex iure civiti* tamen stipulatio haec addi non potest nisi a venditore, qui rei *vitium ignorat;* art. 1542.

2° *Tacite* idem statuendo, i. e. eo modo rem vendendo, ut ostendat se de nullo vitio praestare velle. V. gr. si vendat ut antiquarius, in auctione publica; itàque etiam fert consuetudo ut in nundinis vendantur animalia, licet vitia sint occultissima (1).

Resolves I. Venditor bonae fidei, qui nempe vitia manifestanda vel ea manifestandi obligationem ignoravit, censendus est contraxisse non cum dolo sed cum errore substantiali. 238.

Quare solum obligatur ut possessor rei alienae, sc. ad reddendum pretium acceptum in quantum illud in se vel in aequivalenti adhuc possidet; vel si contractum ratum habere malint contrahentes, ad pretium pro rata minuendum.

Quodsi stipulavit se non praestare de ullo vitio, ad nihil tenetur.

II. Venditor malae fidei tenetur obligationibus iniusti damnificatoris.

III. Venditor qui rei vitium noscens *stipulavit* de non cavendo, *sine fraude* tamen, ante sententiam iudicis ad nihil videtur obligandus; post sententiam, hac stare debebit.

Pro iure civili vide artt. 1543-1548.

§ II. — *Obligatio rem tradendi.*

(*Artt.* 1511-1526).

Venditor tenetur rem tradere idque nisi aliter fuerit pactum: 239.

1° Cum omnibus fructibus a die *perfecti* contractus perceptis.

2° Suis expensis.

3° Loco ubi res vendita tempore contractus existit.

4° Tempore per contractum determinato vel ex circumstantiis rationabiliter deducto.

5° In ea conditione et statu, quibus res se habet tempore venditionis. Neque tradere potest quid pro quo; cfr. n. 235.

6° Cum omnibus quae ad rem pertinent, et ad constantem illius usum sunt destinata, uti et documenta proprietatis si habeantur.

---

(1) Cfr. S. Lig. n 823.

7° In quantitate integra quae in contractu expressa est. Quods¡ integram praestare non potest, quid iuris sit vide artt. 1520 sqq. Artt. 1512 sq. 1517-1519.

§ III. — *Obligatio praestandi evictionem.* (*Artt.* 1528-1539).

240. Obligatio praestandi evictionem pertinet ad naturam huius contractus, ita ut per se existat, libera autem conventione augeri, minui vel etiam penitus tolli possit excepta evictione quae oriretur ex facto ipsius venditoris, quae saltem *ex iure civili* nullatenus tolli potest. Artt. 1528-1530.

Evictio intelligitur deturbatio possessionis *legitima,* quam sc. tertius facit *nixus iure* in rem praetenso. — Distingui potest 1° totalis et partialis, 2° naturalis, quae iure naturae, et iuridica, quae iure civili nititur.

241. *Ex iure civili* in casu evictionis obligatio venditoris est, nisi aliter pactum sit:

I. Re totaliter evicta, emptor a venditore petere potest:

1° Pretium solutum,

2° Rei fructus domino redditos,

3° Contractus et litis impensas,

4° Compensationem damni emergentis, quo referuntur ea, quae ad reficiendam vel servandam rem necessario vel utiliter impendit. — Venditor autem *malae fidei omnes* impensas etiam ad ornatum vel delectamentum factas compensare debet.

5° Compensationem lucri cessantis, speciatim etiam maioris valoris, qui rei etiamsi absque emptoris opera obtigit. Artt. 1532-1535.

II. In casu evictionis partialis, cui assimilatur casus, quo res empta servitutibus gravata reperitur, emptori si periculo hoc praecognito non contraxisset, optio datur petendi contractus rescissionem vel damni compensationem. Artt. 1536-1538.

242. *Ex iure naturae:*

1. Venditor *bonae fidei*

I. Re totaliter evicta tenetur *solum pretium* reddere. Sed Quid si pretium iam neque in se neque in aequivalenti possidet?

Resp. a) *Cum communi* nihilominus *obligandus* videtur, non tam titulo rei acceptae quam *ratione contractus* ad cuius naturam etiam iure naturae haec obligatio pertinet.

b) *Nonnulli* tamen *negant* cum S. Alph.; quae opinio extrinsece probabilis merito videri potest (1).

II. Re partialiter evicta tenetur saltem pro rata parte pretium reddere; sed etiam contractum rescindere, si emptor re cognitâ contractum non iniisset.

2. Venditor *malae fidei* utroque casu tenetur ut iniustus damnificator.

3. Quae autem *utrique* venditori *iure civili* praeterea praestanda imponuntur, *ante* sententiam iudicis *non* sunt urgenda.

Ex utroque iure venditor, *etiamsi stipulavit* se non ca- 243.
vere, nihilominus in casu evictionis tenetur reddere pretium. Talis enim pro utroque iure praesumitur intentio contrahentium.

Excipe 1° si emptor tempore venditionis periculum evictionis cognovit, vel rem emit proprio periculo. Art. 1531.

2° *Excusatur* quoque venditor a reddendo pretio, si emptor rem tradidit petenti, de cuius iure non satis constabat; vel si venditorem non praemonuit, et hac negligentia causa fuit, cur venditor damnum acceperit quod alias vitare potuisset; ut evenire potest, quando venditor ipse rem ab alio emit (2). Cfr. art. 1539.

ARTICULUS V.

DE OBLIGATIONIBUS EMPTORIS (3).

(*Artt.* 1549-1554).

I. Emptor debet rem sibi traditam tollere, idque 244.
nisi aliter pactum sit:

1° suis impensis et periculo;

2° a loco, ubi res erat tempore venditionis;

---

(1) Vide Marres L. IV, n. 223.

(2) Cfr. Lessius L. II, Cap. XIV, Dub. V, n. 28: De Lugo Disp. XXVI, Sect. X, n. 159; S. Alph. n. 800.

(3) Sporer, ll. cc.

3° tempore per contractum vel per usum determinato. — Quodsi res mobiles « *waren en meubelen* » tempore suo non tolluntur, venditor contractum rescindere potest; art. 1554.

Nota ad 1^m. Venditor qui contractu in se suscepit rem *transvehere ad emptoris domicilium*, tacite rei periculum in itinere obventurum in se recepisse censendus videtur; non vero qui solum contraxit de re *transmittenda*, vel etiam *suis expensis (franco)* transmittenda (1). — Utrum autem in prima hypothesi res in itinere venditori pereat, vide Tr. de Rest., et cfr. nn. 163, 1; 232 et 285.

II. Solvere debet integrum rei pretium, idque

1° tempore et loco per contractum expresse vel tacite ex mercatorum usu statutis, vel quo tempore et loco res est tradenda; art. 1549 sq., cfr. 1429;

2° suis impensis et periculo;

3° etiam absque ulla creditoris monitione vel petitione. Plerumque tamen ex consuetudine non ideo peccat, qui non statim solvit;

4° ipsi creditori vel eius procuratori. Porro qui mandatum habet rem pro alio vendendi, non ideo semper mandatum habet pretii solutionem pro eo acceptandi. — Solutio autem facta alicui, qui *non* habet mandatum eam acceptandi, emptorem solummodo liberat a) in quantum creditor illam solutionem ratam habet, vel b) solutio illi profuit; art. 1421. — Pretium vero creditoris *mandatario* iam solutum perit venditori.

245. III. *Ex iure civili* emptor debet etiam solvere fenus pretii nondum soluti, etiamsi hoc pactum non sit,

1° si res tradita est frugifera; art. 1551;

2° si ipse est in mora solvendi: art. 1279-1286.

Pro foro interno nota ad 1^m: *nisi* contrahentes satis manifestaverint suam intentionem contrahendi secundum terminos legis civilis, de hac obligatione *ante sententiam iudicis non* satis constat (2). — Utrum autem ab hac legis dispositione excipiendus sit casus, quo venditor solutionis dilationem concessit controverti-

(1) Cfr. Marres n. 242.

(2) Cfr. V. Egeren n. 79.

tur (1). Certo exceptio admittenda est, si ob dilatam solutionem pretium maius fuerit pactum.

Ad 2^m: *ante sententiam* iudicis sufficit mora *theologice culpabilis,* et inde damnum emergens vel lucrum cessans venditori. *Post sententiam* iudicis sufficit mora *iuridice culpabilis,* sed fenus non currit nisi a die iuridicae petitionis. Cfr. n. 163, 372 sqq. 384.

IV. Emptor teneretur manifestare vitia pretii, si v. gr. 246.
solveret monetis vel chirographis quae essent dubii vel litigiosi valoris; cfr. n. 230.

V. Instrumenti si conficiatur, aliosque accessorios sumptus fert emptor, nisi aliter sit pactum; art. 1502.

Differre potest solutionem emptor, si perturbetur, vel 247.
fundate timeat ne perturbetur in rei possessione per evictionem vel hypothecariam actionem; *nisi* tamen vel venditor malit cautionem dare — pro toto pretio, non pro aliis in casu evictionis praestandis, aut pro rata parte, prout casus fert (2) — vel contrarium stipulatum sit; art. 1552. Cfr. n. 163, II.

ARTICULUS VI.

DE QUIBUSDAM EMPTIONIS ET VENDITIONIS SPECIEBUS (3).

§ I. — *De venditione cum pacto iure redimendi.* (*Recht van wederinkoop. Artt.* 1555-1568).

I. Codex art. 1555 solum memorat hoc pactum in gratiam 248.
venditoris additum. Non loquitur de simili pacto in gratiam emptoris vel utriusque. Cum tamen neque prohibeat, dicendum etiam haec pacta valide et licite per se venditioni addi posse, utpote iuri naturae non adversantia.

Dico: *per se,* modo nempe 1° pretium minuatur vel augeatur pro rata gravaminis quod alterutri tantum imponitur, et 2° contractus ne tegat mutuum usurarium (mohatra).

(1) Vide Gousset ad art. 1652. Carrière.
(2) Diephuis XI pag. 339 sq.
(3) Sporer, Tr. VI, n. 739 sqq.

II. Ius redimendi stipulari nequit ultra quinquennium; quod spatium a iudice prolongari non potest. Utrum vero termino illo elapso ipsi contrahentes pactum *renovare* possint, non dicitur.

III. Venditor hoc iure suo uti et rei possessionem recuperare non potest nisi *praevie solutis* 1° *integro pretio* sibi soluto, et 2° *sumptibus omnibus* prioris contractus et reparationum, quae vèl necessariae fuerunt vèl rei valorem auxerunt.

IV. Ceterum hoc pactum vim habet conditionis resolutoriae.

V. Venditor *recuperat rem immunem* ab omni onere et hypotheca, cui illam subiecit emptor. — Servare tamen debet locationem *bona* fide ab emptore contractam.

§ II. — *De venditione iurium incorporeorum.* (*Artt.* 1569-1576).

249. *Generatim* I. Venditio crediti comprehendit omnia etiam accessoria, ut fideiussionem, privilegium et hypothecam.

II. Venditor praestare debet, nisi forte bona fide et expresse contractus aleatorius sit initus, *de iuris sui* tempore traditionis *existentia*. Pro qua obligatione conferantur et applicentur dicta de evictione Cfr. n. 240 sqq.

III. *Non* tamen praestat *de solvendi facultate debitoris sui, nisi* ad hoc se obligavit; quo casu non tenetur ultra pretium acceptum, et stipulatio intelligitur solum de facultate debitoris actuali, non de futura, nisi contrarium expresse pactum sit; art. 1569 sqq.

250. *Speciatim,* qui vendit hereditatem (apertam) non designatis singulis rebus in ea comprehensis, solum praestat se vere esse heredem. Tradere vel compensare debet emptori quidquid ex hereditate penes se habet, vel habuit, vel habere potest, credita sibi soluta et fructus perceptos.

Emptor vicissim venditori compensare debet sumptus pro hereditate factos, et solvere quae venditori *ut creditori* ex hereditate debebantur.

Quae omnia intellige: nisi aliter pactum sit: art. 1573 sqq.

251. Quaeritur, *num liceat* chirographa pecuniâ numeratâ emere *infra valorem numericum?*

Resp. I. Plures distinguunt, et *affirmant* de chirographis *publicis,* quibus nonnulli aequiparanda putant omnia chirographa *commercii,* quae nempe in foro argentario venalia offeruntur; quia haec habentur ut merces ordinariae, quarum pretium pro circumstantiis mutatur. Item affirmant de chirographis *privatis incertis, litigiosis vel difficilis solutionis;* idipsum merito admittentes quamvis propter circumstantiam emptoris propriam quoad ipsum essent certa ipsique facile solverentur. — *Negant* vero de chirographis *certis* et *liquidis* ut vocant; quia haec si non physice, moraliter tamen eiusdem valoris sunt ac pecunia praesens.

II. Secundum dicenda de contractu mutui puto generatim affirmari posse; itemque ab iniustitia excusandos esse varios contractus, qui chirographis mediantibus perficiuntur; quorum plures memorat et exponit Carrière.

III. De quibusdam speculationibus et ludis Bursae — ut dicuntur — quae in foris mercatoriis, in argentario praecipue foro, sive numeratâ sive creditâ pecuniâ, peraguntur, pauca subiicimus:

1° Praeter veram emptionem-venditionem titulorum seu *valorum* (*geldswaardige papieren*) initam cum intentione et spe eosdem, similesve, postea maiori minorive pretio vendendi vel emendi (*beursspeculatie*); saepe non initur nisi *ficta* talium valorum emptio-venditio sub die seu ad terminum (*à terme*): quo nim. solum convenitur, expresse vel tacite, ut die statuta ab alterutro solvatur *differentia* inter pretium actuale et tunc futurum; ita ut contractus cedat in lucrum emptoris vel venditoris prout valores ficte distracti in foro argentario pretio creverint vel decreverint (*beursspel; jouer à la hausse, à la baisse*).

Quodsi contrahentes conveniunt ut emptori fas sit ante diem statutam contractum rescindere, modo venditori cedat determinatam summam, contractus dicitur ad praemium (*à prime*) — Rarius hoc privilegium stipulantur in favorem venditoris, cfr. Palmieri ad Ball. III, Tr. VIII, p. III, n. 616 sqq., ed. 3ª n. 927 sqq.

In aliis quoquo foris mercatoriis *(warenbeurzen),* relate ad merces cuiusvis generis, similiter saepe de sola *differentia* solvenda contrahitur (*handel op papier, windhandel*); cfr. A. Koch, *Moraltheologie* § 149, 4.

2° *Relatio mercatoria (report-en deporthandel)* est contractus sub die, qui praecipue consistit in vendendis pretio currenti inferiori et statim soluto valoribus quibuscumque, iisdemque statim redimendis pretio altiori solvendo ad diem seu terminum: cfr. Gury *Cas. Consc.* n. 946-950; Bucceroni I, n. 1260, 5°; Palmieri l. c.

3° *Mutuum cum pignore (prolongatie)* est contractus quo

a) *mutuatarius* obligatur 1° ut sortem cum fenere pacto reddat *post mensem,* vel si antea sortem reddat, fenus saltem *pro quindena* solvat; 2° ut det pignus (sive valores sive alias res mobiles et corporeas) in securitatem *omnium* obligationum quas erga mutuatorem suscepit; atque curet ut pignoris valor saltem decima parte (10 %) debitam sortem semper superet.

b) Stipulantur (explicite vel implicite) ut mutuum, seu contractus, nisi ante diem sortem reddendi renuntiatus fuerit, continuo tacite in alterum semper mensem prorogetur; cfr. Marres III n. 445.

IV. *Pro praxi* quoad dictos similesque contractus adverte: in se et singulatim considerati, iniusti dici non possunt; sed eorum praecipue consuetudo valde periculosa est, utpote ad varias iniustitias aliaque peccata impellens, uti ad fraudes (1), ad periculum tum deficiendi gravibus pietatis et iustitiae erga familiam vel creditores officiis, tum etiam non standi, forte prae impotentia, ipsis contractibus initis casu quo fortuna adversa fuerit (2). Quod postremo notatum periculum praesertim adest in contractibus fictae emptionis-venditionis seu de sola *differentia* solvenda; quibus praeterea facile inducitur apparens sive copia sive annona mercium, et inde pretium vel infra vel supra realem mercium valorem: cfr. A. Koch, l. c.

§ III. — *De auctione publica seu venditione sub hasta.*

252. Distinguitur *voluntaria* et *iuridica.*

Propter naturam aleatoriam huius venditionis ad eius iustitiam requiritur et sufficit, ut pro commodo sperando et incommodo timendo venditoris et emptoris aequalis sit

(1) Cfr. n. 258, III.

(2) Cfr. Génicot I, n. 665; Lehmkuhl I, n. 1136.

conditio. Quare iustum est pretium quantumcumque quod licitando determinatur sive supra summum sive infra infimum, modo ex omni parte abfuerit fraus.

Fraudem commitunt I. *Officiales* si rem vendendam ci- 253.
tius solito alicui adiudicent; vel si ante tempus venditionem incipiant, ut res deficientibus emptoribus minoris vendatur.

II. *Venditores* si positive decipiant emptores quoad rem vendendam vel eius qualitatem (1); non vero si rem vitiosam simpliciter vendant sicut est.

III. *Emptores* si medio iniusto, vi, dolo, alios a licitando avertant; non vero si precibus tantum.

Quaer. ad II, num liceat 1° venditori ipsi licitari, vel 254.
2° fictos licitatores subornare, vel 3° rem retrahere quando minus pretium offertur?

Resp. I. Spectata originaria auctionis publicae natura et indole, aleatoria sc., haec *non licerent.*

II. Hodie licere videntur vi communis praxis contrariae, propter quam praesumi debet tacitus emptorum consensus hoc ipso, quod usum hunc non ignorantes libere nihilominus licitantur.

Ita plerique recentiores saltem quoad 1^{m} et 3^{m}, et nonnulli etiam quoad 2^{m} (2). Et quamvis 2^{m} hoc magis quam alia fraudis speciem prae se ferat, revera tamen probabiliter excusari videtur posse propter eumdem usum communem et notum.

Quaer ad III, num emptores possint pacto convenire, ut 255.
unus adversus alterum non licitetur, vel ut communi nomine nonnullae res emantur, vel ut ultra determinatum ab ipsis pretium non offeratur.

Resp. I. *Plures* ad omnia *negant,* quia inde deterior fieret venditoris conditio eiusque proinde ius laederetur. — *Excipiunt* tamen non pauci casum quo emptores essent societate coniuncti, ut fratres, amici etc.

II. 1. Certo negandum, si hae duae conditiones concurrant, sc. 1° ut venditor rem retrahere non possit, quod tamen

---

(1) Cfr. tamen n. 137 in fine.

(2) Cfr. V. Egeren n. 97.

hodie, extra casum obligationis specialiter et expresse a venditore susceptae, vix contingit; et 2° ut omnes vel fere omnes sic conveniant.

2. Alias affirmandum probabiliter, quia aequalis manet emptoris venditorisque conditio, et nullius libertas tollitur. — Neque certi peccati damnandus videtur emptor, qui aliis pecuniam dat vel promittit, ut a licitando abstineant (1).

3. Quid vero si quis *non* habens *intentionem* licitandi vel etiam habens intentionem non licitandi pecuniam tamen acceptat sub conditione non licitandi?

Respondet V. Egeren: «Satis clarum videtur eum restituere debere, cum nullus appareat titulus retinendi».

Verum ita clarum hoc non videtur, cum acceptans susceperit *obligationem*, non licitandi sc.. quam non habebat; quae cum sit pretio aestimabilis, titulus sufficiens videri potest.

§ IV. — *De emptione et venditione per proxenetas.*

256. Proxenetae ex officio alii sunt a municipio *(plaatselijk bestuur)* nominati *(makelaars)*, de quibus agit Cod. Com. art. 62 sqq.; alii sunt simplices mandatarii *(beunhazen)*.

Praeterea alii sunt commissarii *(commissionairs)*, qui etsi pro alio *(commissiegever)* negotiantur, tamen proprio nomine agunt adeoque secus ac alii proxenetae semetipsos, non suos committentes obligant erga illos quibuscum agunt; de his agit Cod. Com. art. 76 sqq.

257. Quaer. praecipue num proxeneta qui vendit supra vel emit infra pretium a principali sibi designatum, lucrum sic obtentum retinere sibi possit.

Resp. Negative per se; nam hoc ipso quod nomine vel saltem periculo *(voor rekening)* principalis tantum contrahit, lucrum non sibi sed principali acquirit; et principalis praesumi tantum potest intendere ne res vendatur infra, aut ematur supra pretium indicatum.

---

(1) V. Egeren. n. 98 contra Carrière.

Excipe tamen casus sequentes:

1. Si labore vel industria *extraordinaria et non debita,* v. gr. rei valorem augendo, lucrum obtinuit.

2. Si *principalis consentit* explicite vel implicite; ut saepe contingere dicunt, quando pro labore nullum proxenetae stipendium assignat.

3. Si debita diligentia adhibita et pretio maiori non invento *rem sibi emat* (1), *et postea maiori vendat;* modo tamen ne ficte sed vere rem emat, ideoque et suo periculo servet, ita ut quidquid eveniat, principali pretium indicatum solvere intendat.

Verum haec agendi ratio ut periculosa usu fori reprobatur, si inscio patrono fiat. Quare vix permittenda nisi specialis ratio detur praesumendi patroni consensum.

Praeterea proxenetis *publicis (makelaars)* iure civili et religione iuramenti praestiti *prohibitum est* mercaturam *eamdem,* in qua tales sunt, agere pro seipsis quocumque modo sive per se sive per alios sive cum aliis sive ut commissarii. — Quamquam dicunt vetitam hanc negotiationem *(lippen)* adeo hodie frequentari ut fere toleretur. Attamen unus alterve actus commercii, cum proprie negotiatio *(handeldrijven)* dici nequeat, neque sub prohibitione cadere videtur (2).

4. Si proxenetae pro alio ementi — v. gr. sartori qui *pro mandante,* non pro se seu proprio periculo, ea emit quibus demandatum sibi opus perficiat — *venditor in gratiam ipsius proxenetae* (3) *pretium minuat* (4) seu partem pretii donet, vel munusculum concedat.

---

(1) Cfr. tamen n. 215, II.

(2) Cfr. V. Egeren n. 103; Aertnys Suppl. n. 74.

(3) Puta: quia suam officinam frequentat, vel ut eum alliciat. Praecipue enim hoc intelligitur de proxeneta qui pro pluribus emit, et qui ipse officinam quam adeat eligere potest.

(4) Recte quidem, in rigore loquendo, notat Marres n. 289 *aliud* esse *pretium minuere,* quod proprie et per se non potest nisi in favorem principalis cedere — cfr. dictum sub *Resp.* — *aliud partem pretii* (maioris stipulati, quod igitur principalis venditori debet) proxenetae *dare.* — Verum practice, *si de intentione venditoris favendi proxenetae constat,* non nimium vis est facienda in verbis quibus haec intentio exprimitur; tunc enim duo illa moraliter ut eadem haberi possunt.

Verum et haec res periculosa est et suspecta, quia non raro fit, ut venditores simulent se proxenetae quid donare vel pretium minuere, dum revera ipsi mandanti eodem pretio venderent. Praeterea proxenatae sic facile induci possent ad negotium mandantis negligenter gerendum.

§ V. — *De monopolio.*

258. I. Monopolium *publicum* seu legale quod nempe gubernium sibi reservat, aut uni vel paucis privatis concedit, certo licitum est, *modo iusta causa* nitatur, *et* mercium servetur *iustum pretium.*

II. Monopolium *privatum* inducitur:

1° *Impediendo* ne mercatores extranei merces eiusdem generis advehant. Si fraude vel alio iniusto medio fiat, certo est contra iustitiam; — si medio non iniusto potest esse contra charitatem, sed ob honestam causam potest excusari.

2° *Emendo* omnes merces eiusdem generis. Iniustum pariter est si agatur de rebus necessariis *et* fiat eo consilio ut vendantur supra summum pretium quod secluso monopolio curreret; — si vero pretium summum non excedatur, dissentiunt: imo multi censent hoc per se neque adversari charitati.

3° *Conspirando* ut merces non vendantur nisi *tali* pretio. Si conspirent in pretium ultra summum — ut supra — iniustum est; — secus controvertitur, sed communiter saltem charitati adversari putant.

N.B. Eodem modo resolvendum de conspiratione emptorum; item opificum eosque conducentium.

III. Monopolium privatum hodie non ita facile inducitur. Nihilominus ea quae AA. antiquiores de eo dicebant, etiamnum quadrant in plures mercatores, qui variis modis et mediis pretium mercium mutandum curant; quos inter praecipue notamus:

1° Negotiatores illos et officinarum vel fodinarum dominos — sive homines singulares hi sunt sive consortia seu societates *(syndicats)* — qui vèl merces nimiâ copiâ coëmendo, easve reservando seu per aliquod tempus non vendendo *(trust),* vèl regiones ubi singuli mercaturam exerceant determinando et inter se quasi dividendo *(kartell, ring)* efficiunt ut rerum pretium nimium au-

geatur: id quod facile charitati, saepe imo iustitiae adversatur, maxime si haec fiant quoad res communiter necessarias, puta frumenta aliave esculenta, carbones etc. Cfr. Sporer n. 745; A. Koch § 49, 2, d).

2° Illos qui falsos rumores spargunt, puta de prospero vel adverso statu alicuius regni, societatis etc., de bello aliisve casibus qui maximam vim habeant ad pretia rerum in foris mercatoriis *(beurzen, markten)* augenda vel deprimenda, prout unum alterumve ipsorum lucro servit.

Ad hos accedunt illi qui, suas merces nimium extollendo, aliorumve vero aemulorum deprimendo, vulgum decipiunt, itaque tum contra emptores tum contra aemulos mercatores peccant *(concurrence déloyale, unlauterer Wettbewerb);* cfr. A. Koch § 146, 3, b) ε) et § 150, 2, c).

3° Illos qui operarios suos cogunt, ut vel pro mercede loco pecuniae merces sibi necessarias ex ipsorum officinis accipiant; vel ut easdem in officinis aut ipsorum aut ab ipsis designatis emant, easque minus bonas maiorive pretio quam secus sibi comparare possent *(gedwongen winkelnering, truck);* Cfr. A. Koch § 48, 2, d).

Ad 1^m *et* 3^m adverte: quamquam huiusmodi consortia et agendi ratio ut plurimum optimo fine, imo in bonum operariorum inchoata sunt, pleraque tamen a fine suo bono degenerata sunt, vel facile ab eo degenerantur.

Ad 3^m praeterea adverte recentem prohibitionem legis civilis (Hollandiae), art. 1637 *s*; de qua cap. sq. art. II, § 1.

Appendix. De Permutatione.

(*Artt.* 1577-1582).

Permutatio iisdem quibus emptio et venditio regitur prin- 259.
cipiis et regulis. *Excipe:*

I. *Utraque pars praestat rei permutatae evictionem.* Qui autem evincitur, potest pro arbitrio vel postulare compensationem sumptuum, damnorum et fenerum, vel rem suam repetere.

II. *Res ante traditionem perit debitori,* ita ut in casu res ab altero contrahente iam tradita repeti possit.

CAPUT QUARTUM.

DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE (1).

(*Artt.* 1584-1653).

260. **Locatio et conductio** generatim est contractus quo ad tempus usus rei vel opera personae pro determinato pretio vel mercede alteri conceditur.

Est ergo duplex, alia *rerum* (2), alia *operarum*. Utraque est contractus non solemnis (3) et consensualis. Si est de rebus, de eius probatione vide artt. 1604 seq.

Nota Novissima lex civilis (4) relate ad solos contractus de rebus retinuit nomen locationis et conductionis. Alios vocat contractus de opera praestanda (5); atque praeter contractus de certis solummodo servitiis praestandis (6), de quibus contractibus specialia non statuit, duas species distinguit: quarum una pressius laborem seu *operam* praestandam respicit *(arbeidsovereenkomst)*, altera vero determinatum *opus* perficiendum *(aanneming van werk)*.

ARTICULUS I.

DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE RERUM, PRAESERTIM DOMUUM ET AGRORUM.

261. Iuris praescripta quae praecipue pro locatione et conductione domuum et agrorum sunt tradita, per analogiam pro aliis etiam rebus tradita censentur, exceptis tamen iis, quae generalibus iuris regulis derogant.

---

(1) Sporer Tr. VI, n. 846 sqq.

(2) *Quarumcumque;* mobilia fungibilia vel consumptibilia tamen locari non solent, nisi quis forte ea ostentandi causa conducat.

(3) Solum in contractu de labore praestando, ut a regulis nonnullis ipsa lege statutis valide recedatur, oportet ut hoc scripto fiat.

(4) 13 Iulii 1907, Stsbl. 193; quae lex viget a 1 Febr. 1909.

(5) *Overeenkomsten tot het verrichten van arbeid.*

(6) *Tot het verrichten van enkele diensten.*

§ I. — *De obligationibus locatoris.* (*Artt.* 1586-1594).

I. Aperire debet vitia noxia vel notabilia rei locandae, 262.
ut dictum est de venditore n. 234, et praestat damnum omne conductori ex vitio rei illatum; idque *ex iure civili* etiamsi ipse tempore locationis vitium rei ignoraverit (1).

II. Servare debet pretium (locarium dicunt) iustum, secundum tradita n. 224 sqq.

III. Rem locatam suo tempore tradere debet conductori, praestatque moram culpabilem.

IV. Curare debet ut res locata in bono statu servetur, et apta permaneat usui, ad quem est conducta. Unde:

1° Rei conditionem et structuram durante locationis tempore 263.
invito conductore *mutare non potest.*

2° Praestare debet *refectiones necessarias,* exceptis modicis (locativis): vide art. 1619 sq.

Conductor reparationes *urgentes* quae differri nequeunt, *pati debet sed ius habet:*

a) Ad pretii pro rata diminutionem, si ultra 40 dies usu rei vel eius partis fuit privatus; et

b) Ad contractus rescissionem, si res, necessaria conductori eiusque familiae ad inhabitationem, reparatione fit ad hoc inepta; art. 1591.

V. Conductori praestare debet tranquillum usum 264.
contra perturbationem *iuris* seu legitimam (2). Quae si fiat, conductor locatorem monere debet; ipse autem si coram iudice impugnetur, potest vel effugere litem nominando locatorem, vel hunc in litem advocare: art. 1594.

§ II. — *De obligationibus conductoris.* (*Artt.* 1595-1603).

I. Solvere debet statuto tempore locationis pretium. Po- 265.
test tamen exigere pretii diminutionem:

(1) Pro foro conscientiae vide Tr. sq. et cfr. n. 163, I.

(2) Cfr. n. 240.

1° Si durante locatione *pars* rei conductae *casu fortuito periit,* nisi malit petere contractus rescissionem.

2° Si in usu rei perturbatus fuit ratione actionis ad rei *proprietatem* spectantis, modo locatorem debite monuerit.

3° In casu n. 263, a).

4° Aliquando, si maior quam vera agri mensura est expressa.

5° Aliquando propter iacturam fructuum agri casu fortuito evenientem. Vide artt. 1589, 1591, 1593, 1624. 1628 sqq.

266. II. Re conducta uti debet:

1° tamquam *bonus paterfamilias,* et

2° *In finem* ad quem diserte vel tacite res fuit locata.

Speciatim adhuc velut in pignus pretii solvendi:

3° *Domum* conductam *instruere* debet sufficienti supellectili, nisi aliam praebeat cautionem.

4° *Fructus* agri conducti *colligere* debet in horrea ad hoc destinata. Artt. 1617, 1626.

5° *Neque potest* conductor rem conductam *sublocare*, vel locationem alteri transmittere, *nisi* contrarium fuit stipulatum; *excepta* parte domus vel habitationis, quam *ipse inhabitat.*

267. III. Reddere debet rem conductam in bono statu, seu in eo quo recepit; *exceptis* tamen iis quae vetustate vel casu inevitabili perierunt vel valore decreverunt: vide artt. 1598 sq., 1603, 1635 sq.

IV. Refectiones modicas curat suis expensis faciendas; praeterea praestat interitum et detrimenta, quae rei durante locatione acciderunt, *nisi probet* ea accidisse sine ipsius culpa; imo et damna ab eius domesticis vel ab eo, cui rem sublocavit, illata.

Excipitur tantum casus *incendii,* cuius culpam in conductore fuisse probare debet locator.

N.B. Quomodo *tutor* bona pupillorum sibi conducere possit, vide art. 458. — De *usufructuario* vide n. 59, III.

§ III. — *De cessatione locationis et conductionis.* (*Artt.* 1604-1616).

268. I. Locatio si scripto inita et terminus designatus est, impleto tempore cessat neque requiritur denuntiatio — disdictam *(opzegging)* dicunt; — art. 1606; cfr. infra III.

II. Locatio vèl oretenus inita, sive designatus sive non fuit terminus, vèl etiam scripto sed absque termini designatione non cessat nisi praevia disdicta servato termino quem usus localis requirit: art. 1607; cfr. 1614.

III. Si elapso termino conductor non contradicente locatore re locata uti pergit, oritur tacita reconductio, quae regitur ut locatio oretenus inita; art. 1609; cfr. 1622 sq., 1633 sq.

IV. Si res locata *casu fortuito totaliter perit*, ipso iure cessat contractus: art. 1589; n. 265, I, 1°.

I. Rescissioni contractus quandonam locus detur, vide 269.
artt. 1589; 1591 (n. 263, 2°, b) et 265, I, 1°) 1595, 1597, 1617, 1625 (*n.* 266), et cfr. n. 163, II.

II. Non cessat *morte* contrahentium, neque *venditione* rei locatae nisi aliud fuerit stipulatum; art. 1611 sq.

ARTICULUS II.

DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE FAMULORUM ET MERCENARIORUM SEU DE CONTRACTU OPERAE PRAESTANDAE (ARBEIDSOVEREENKOMST).

(*Artt.* 1637 *a-z*, 1638, 1638 *a-aa*, 1639, 1639 *a-x*).

Famulos intelligimus *inhabitantes* apud herum seu operam mandantem; itàque eos distinguimus ab aliis mercenariis. *Operarios* dicimus *omnes* qui suas operas locant.

I. Definitur: contractus quo una pars, operarius, 270.
se obligat ut pro mercede per certum tempus alteri parti, operam mandanti, serviendo operam praestet.

Verba « per certum tempus » non ita proprie vel stricte intelligenda sunt. Contractus namque is iniri quoque potest in incertum seu ad tempus non determinatum, vel ad disdictam, vel ad vitam personae determinatae; cfr. art. 1739 *g* et *v*, et n. 280, II et VI.

Verba « alteri parti serviendo (1) », quae dicunt relationem subiectionis et auctoritatis, hunc contractum specie distinguunt a susceptione operis.

II. Habilitas. 1. Relate ad uxorem, quoad hunc contractum ab ea, ut operam mandante, *pro re domestica* initum, lex

(1) *In dienst van de andere partij.*

praesumit obtentum mariti consensum (1). Quod idem dicitur quoad contractum ab ea, ut operaria, initum; eique praeterea ius tribuitur de mercede accepta vel accipienda disponendi *pro re domestica* (2).

2. Minorennis quoque ut operarius contractum hunc inire potest, si legitimus eius causam gerens ei ad hoc oretenus vel scripto potestatem fecit.

Nisi contrarium conditionibus factae potestati additis expresse cautum est, minorennis quoad omnia hunc contractum, vi acceptae potestatis initum, concernentia aequiparatur maiorenni; salvo tamen statuto art. 1638 *f* (3), et excepto quod, per se loquendo, non potest stare in iure *(in rechte verschijnen)* sine assistentia causam suam gerentis.

Quodsi minorennis inhabilis huiusmodi contractum inivit, et huius vi per quatuor hebdomadas, non resistente eius causam gerente, in servitio operam mandantis laboravit, praesumitur facta ei oretenus potestas ad illum contractum (4).

Neque minorennitas invocari potest contra contractum operae praestandae a minorenni initum servato art. 1637 *g*, vel cui applicari potest art. 1637 *h* (5).

3. Inhabilitas econtra ad validum huiusmodi contractum statuta est inter coniuges (6).

271. I. Iusta merces quae seu quanta sit ut statuatur, praeter vires corporis vel animi (7) actu in commodum alterius exercitas, plura alia debes considerare, puta: maiorem minoremve virium

---

(1) Art. 164, ut amplificatus est lege 13 Iulli 1907.

(2) Art. 1637 *f*.

(3) De solutione mercedis pecuniariae causam gerenti facienda in hypothesi quod vèl scripto potestatem fecit hac adiecta conditione, vèl scripto resistit solutioni minorenni faciendae.

(4) Artt. 1637 *g* et *h*.

(5) Art. 1483 ut amplificatus est lege 13 Iulii 1907.

(6) Art. 1637 *i*.

(7) Quaestio enim haec generalis est, et spectans ad omnes qui pro aliis quovis modo laborant. Quamquam reapse quaestio praecipue movetur de iis qui laborem praesertim manualem seu corporalem pro aliis praestant; de quibus etiam agit Leo XIII in Encycl. *Rerum novarum* 16 Maii 1891.

validitatem, peritiam, sollertiam etc., praeparationis ad artem addiscendam sumptus necessarios, periculum cui ars exercenda operarium exponit, etc.

In praxi autem, generatim et per se, iusta merces, ab utraque parte servanda, censeri potest ea, quae passim dari solet, vel etiam pro qua multi *libenter* se locant: id ex innato omnibus, tum heris cum operariis, aequitatis et iustitiae sensu deducere licet.

Quoad operarios illos qui *toti* in laborem pro aliis incumbunt, quaestio controversa est, num *merces individualis* solum (qua ipse operarius semetipsum convenienter sustentare possit), an vero *merces familialis* (quae sustentandae quoque mediocri, seu consuetae, non extraordinarie numerosae familiae sufficiat) ex stricta iustitia et per se sit debita, atque haec saltem: ita ut infra hanc merces nullius, cuiusvis generis, operarii adulti, satis validi et periti etc, per se deprimi possit. Quocirca notamus:

1° Etsi, posito contractu, relatio inter herum et solum operarium (non et huius familiam praeterea) oriatur: ita ut, solâ iustitiâ attentâ, pro hero per se perinde sit, utrum cum coelibe an cum coniugato, cum patrefamilias paucorum an multorum filiorum etc., contractum ineat; inde tamen nequaquam demonstratum videtur, laborem communiter ad aequalitatem compensari sola mercede individuali in sensu supra exposito.

2° Merces familialis non ita est intelligenda, ut hinc merces diurna, illinc expensae quotidianae et necessariae sint aequales; sed ita ut operarius-positis ponendis, puta maxime: quod ante ineundum matrimonium aliquid deposuerit; quod primis matrimonii temporibus non omnia expendat quae laborando acquirit; quod etiam uxor aliquid, magisque postea filii adolescentes alendae familiae contribuant, etc.; et abstrahendo ab extraordinariis circumstantiis et eventibus; atque ita considerato toto vitae suae decursu-ut, inquam, laborando par sit sese cum mediocri familia sustentando.

Porro quod operarii ius habent matrimonii ineundi; quod plerique reapse matrimonium contrahunt, idque imo ut generatim fiat, expedit: num hinc sequatur ut iusta merces, infra quam per se, strictâ iustitiâ attentâ, diminui nequeat, non alia sit quam familialis (ut haec differt ab individuali), hoc ipsum praecipue controvertitur: valde probabiliter plures affirmant. Adhuc tamen sub iudice lis est, neque quaestio haec diserte et formaliter resoluta est in Encyclica *Rerum novarum*.

3° Negantes facile concedunt: 1) hoc ipsum exigi iustitiâ legali seu sociali (1) vel saltem charitate; 2) posito alicubi talem mercedem esse reapse vulgarem, sine stricta iniustitia ab ea per se recedi non posse.

4° Putamus: 1) in circumstantiis ordinariis, et posita libera prorsus ex utraque parte conventione mercedem *vulgarem* reapse generatim fore

(1) Quamquam in hac quaestione iustitiae socialis nomine potius intelligi videtur omnis generatim iustitia, in quantum haec variorum, quae in societate civili existunt, ordinum mutua inter sese officia et iura praescribat: ita ut pro circumstantiis sit modo haec modo alia ex tribus iustitiae speciebus.

familialem; 2) Auctores etiam antiquiores passim semper supposuisse, operarium ex iusta laboris mercede per se cum mediocri familia congrue pro statu suo vivere posse, idque ut possit, etiam oportere.

5° Quod operarius qui totus labori pro alio incumbit, praeter diurnam mercedem aliaque sub 2° indicata, alios quoque proventus habet: haec videtur sola circumstantia, quâ attentâ de minori mercede pacisci liceat, modo libere omnino fiat. Secus vero ratio necessitatis efficit, ut hoc per se licite fieri nequeat; quamvis, si fiat, dummodo libere prorsus ex parte operarii, non ideo stricta iustitia laesa dici potest.

Ceterum hic confer et applica plura ex dictis de pretio iusto et vulgari in contractu emptionis-venditionis.

II. Sunt tamen casus quibus hero licet de mercede infra ordinariam convenire; sc.:

1° Si quis ultro se offert, et herus eum conducit potius misericordia ductus, quam quia eo indiget.

2° Si famulus sponte et libenter parvum salarium petit.

3° Sunt etiam servitia pro quibus communiter nullum vel minimum stipendium datur et petitur.

4° Quodsi negotium praevidetur *ad tempus* non tam quaestuosum fore, ut dominus inde èt ipse pecuniae in illud impensae atque suae ipsius industriae congruam retributionem habeat, èt operariis mercedem per se iustam solvat, poterit sine vi et fraude ad mercedem minorem operarios, propter adiuncta satis libere consentientes, conducere; cfr. Vermeersch Qu. X, n. 409; Bruin *Sociologische Beginselen* n. 161. a.

§ I. — *Obligationes heri.*

272. I. Solvere *suo tempore* debet mercedem.

II. *Famulis* — non vero mercenariis, nisi aliter conventum est, — conveniens praebere alimentum et tectum.

III. Non gravare conductum invitum operis indebitis.

IV. Non dimittere conductum ante tempus praefixum *sine ratione* legitima.

Ad IV. Herus aliter agens ex iure naturae conductum indemnem reddere debet. Si tamen operarius alteri se locavit, herus compensationem pro rata posse diminuere videtur. Quodsi operarius potuit, sed noluit alteri se locare, secundum plures herus nihilominus de toto salario tenetur, quia conductus non tenetur

aliud servitium quaerere ad evitandum damnum cuius alter causa fuit. Contrarium tamen aliis probabile videtur, quia in casu operarius voluntarie damnum acciperet.

Herus qui operarium conductum non admittit, aequiparandus est dimittenti (1).

Pro iure civili, quod in hisce vix differt a iure naturae, cfr. n. 280, V.

Ex lege civili (2) nota ad n. pr. 273.

Ad I. 1. Si merces *in pecunia et per diem* est computata *(Tijdloon)*, pro applicatione huius legis 10 horae putantur pro die (3), 6 dies pro hebdomada, 25 dies pro mense, et 300 dies pro anno.

2. Merces operariorum apud herum non inhabitantium in quibus solummodo rebus constitui possit, statuit art. 1637 *p*; et cfr. art. 1637 *r*.

3. Illicitum nullumque est omne pactum inter herum, unumve ex eiusdem locum supplentibus *(beambten of zetbazen)*, et operarium sub aliquo dictorum constitutum, quo hic sese obligat ut mercedem ceterosve suos proventus integre vel partim determinato modo impendat, vel res sibi necessarias determinato loco vel a determinata persona sibi comparet. A quo legis praescripto duo solum pacta et parsimoniae modi excipiuntur. Art. 1637 *s*; cfr. art. 1637 *t*.

---

(1) Quod idem dicendum videtur de iure civili, etiam novissimo: cfr. art. 1639*w* cum artt. 1639*o-q*; et cfr. Diephuis XII, pag. 348 sqq., De Pinto § 911, et Marres n. 362 qui testatur esse communiorem sententiam iurisperitorum nostrorum.

(2) *Pro praxi* ad omnes generatim casus, quibus iure civili alterutri parti imponitur obligatio, quae ex solo iure naturae non existeret, vel restringitur ius quod ex isto iure habetur, *observa* talem obligationem vel iuris restrictionem ante sententiam iudicis in foro conscientiae non esse ex iustitia urgendam, nisi forte constaret partes contrahendo voluisse huiusmodi legis civilis dispositiones suo contractu hoc sensu comprehendi, aeque nim. ac sequelas iuris naturalis; cfr. n. 41 i. f.

(3) « *Wordt... de dag gesteld op tien uren,...* » art. 1637*o*. Non dicitur partes aliter convenire non posse. Si merces integra eiusve pars aliter quam per temporis spatium est computata (*stukloon*), quanta censeatur merces pecuniaria per diem, vide ibidem. Si merces non est determinata, quid sit ius operarii ex lege, vide art. 1637*q*.

4. Quando et sub quibus conditionibus solutio mercedis alii quam ipsi operarii fieri valide possit, dicit art. 1638 *f*; cfr. n. 270, II, 2 nota 3.

5. *De modo solvendi* mercedem, praesertim quoad pecuniariam, eoque ad valorem requisito vide artt. 1638 *h*, *i* et *j*.

6. *De loco solvendi*, si neque contractu vel ordinationibus *(reglement)* neque usu est designatus, vide art. 1638 *k*.

7. *De tempore solvendi* statuunt artt. 1638 *l-u*.

In quantum hero propter debita operarii permittatur compensatio *(schuldvergeliking)*, dicit art. 1638 *r*.

Ad II. 1. In quantum merces constituta est in inhabitatione, alimentis aliisve ad vitam degendam necessariis rebus *(levensbenoodigdheden)*, herus praebere haec debet secundum usum loci, dummodo consentanea exigentiis sanitatis et bonorum morum; art. 1638 *t*; cfr. art. 1638 *u*. Simile quid statuitur art. 1638 *x* quoad loca, instrumenta et generatim quoad omnia laborem exercendum concernentia. Pacta articulis 1638 *t* et 1638 *x* contraria nulla sunt.

2. Respectu famulorum inhabitantium praecipitur hero ut, non diminuta mercede, occasionem eis praebeat Religionis obligationes implendi et relaxationem a labore *(ontspanning)* sumendi modo per contractum vel, huius defectu, per usum localem determinato; art. 1638 *v*.

3. De labore diebus Dominicis hisve, secundum usum localem respectu laboris pacti, aequiparatis generatim non exigendo, nisi contrarium pactum sit vel ex operae indole profluat; item de occasione minorennibus praebenda ut instructionibus quibusdam (1) interesse possint, vide art. 1638 *w*. Pactum huic postremo praescripto contrarium nullum est.

Ad III cfr. n. 277, ad I. — Ad IV cfr. n. 280, V.

274. Quid iuris, si operae debitae per aliquod tempus vel non vel non rite aut integrae sunt praestitae?

Resp. 1° Attento *iure naturali:* I. Si defectus provenit ex culpa famuli, iuste utique pro rata minuitur merces; et famulus compensare insuper tenetur damnum, si quod herus accepit.

(1) « *Lessen in inrichtingen voor godsdienst — voortgezet — herhalings — of vakonderwijs* ».

II. Si defectus provenit ex culpa vel propria electione heri, hic integrum nihilominus solvere debet stipendium.

III. Quando defectus provenit ex casu fortuito:

1° Si *ex parte heri,* ita ut hic uti non possit opera famuli ad laborandum parati, secundum plures herus tenetur famulum indemnem servare. — Aliis autem merito probabilius videtur herum non teneri de casu fortuito.

2° Si *ex parte famuli,* puta ex eius morbo, herus iuste pro rata minuit salarium, quia non debet mercedem nisi pro obsequiis praestitis. — Attamen morbus transitorius, puta aliquot dierum, si famulus ad annum conductus est, ex charitate et aequitate pro nihilo erit reputandus.

Resp. 2° *Ex lege civili* nota 1° ad I. et III. 2°: generatim merces non debetur pro tempore per quod operarius *pactam* operam non praestitit. Attamen ex art. 1638 *c* in casu morbi vel infortunii *(ongeval)* per tempus respective breve retinet ius ad mercedem; nisi morbus vel infortunium deliberata ipsius voluntate vel impudicitiâ causata vel sequelae sint vitii corporis, circa quod hero, cum contractus initus est, de industria falsas dedit informationes.

Merces tamen pro rata minuitur, si et in quantum in tali, i. e. non excepto, casu operario competit pecuniaria compensatio vel pensio *(uitkeering)* ex assecuratione, legitime praescripta, pro casibus morbi vel infortunii, vel ex alia hac ipsa lege admissa causa (1).

Idem statuitur de nonnullis aliis casibus, quibus ob praeceptum aliquod vel officium, pro circumstantiis necessarium, implendum operarius a laborando impeditus fuit sine pecuniaria compensatione.

Ab hisce tamen legis dispositionibus scripto vel ordinationibus *(reglement)* recedi potest.

Nota 2° ad II et III, 1°: pro utraque hypothesi aeque statuitur, operarium non amittere ius ad mercedem; pro rata tamen,

---

(1) Nim.: « *uit eenig fonds, waarin de deelneming is bedongen bij of voortvloeit uit de arbeidsovereenkomst* ». Merces aliter quam per temporis spatium computata aestimatur tanta quanta (« *het gemiddeld loon* ») tempore durantis impedimenti operarius mereri potuisset; eaque praeterea minuitur pro rata sumptuum quibus non operando pepercit.

si casus ferat, secundum supra dicta minuendam; et nisi ab hoc legis statuto eodem, quo supra, modo recessum est; art. 1638 *d*.

275. I. Quaeritur num herus teneatur ad expensas curationis famuli infirmi.

Resp. 1°. Attento solo *iure naturae* ex institia non tenetur, seclusa conventione. — Quid charitas exigat, dependet a maiore vel minore famuli necessitate.

Hinc salva institia herus quas fecit expensas deducere *potest* a salario famulo solvendo, *modo* 1° expensas ne fecerit animo eas condonandi, *et* 2° ne agatur de expensis quas famulus facere noluisset, si scivisset eas a se solvendas.

Resp. 2° Ex lege civili, art. 1638 *ij*, herus quoad famulum inhabitantem in casu morbi vel infortunii quamdiu contractus durat, at summum per sex hebdomadas, providere debet congruam curationem, etiam medicinalem (1), in quantum aliunde non est provisum. Sumptus autem per primas quatuor hebdomadas impensos non potest a famulo repetere, nisi in casu excepto art 1638 *c*, quem vide supra ad n. pr. Resp. 2°, nota 1°.

Quae heri obligatio pacto excludi vel restringi non potest.

II. Quaeritur num operarius post finitum terminum praefixum teneatur supplere tempus, quod aegrotavit.

Resp. Negative, quia obligatio eius est tempori determinato affixa.

§ II. — *Obligationes famulorum et mercenariorum.*

276. I. Operas ad quas conducti sunt rite praestare debent, eo nempe modo quo herus rationabiliter eas fieri iubet.

II. Rebus curae suae commissis invigilare. Cfr. Tr. sq. n. 414, V.

III. Sine ratione legitima ante statutum tempus herum non deserere. Confer et applica dicta n. 272, ad IV.

277. Ad I et III satis consonat ius civile artt. 1639-1639 *d*; ibique, item iuri naturae conformiter, diserte dicitur ad I: operarium debere ipsum praestare operam, neque posse sine consensu

(1) *Verpleging en geneeskundige behandeling.*

heri per alium supplere; ac ad III: famulum inhabitantem teneri se gerere secundum ordinem domus.

Ad I. De ordinationibus *(reglement)* ab hero praestitutis — quibus operarius non ligatur, nisi ipse scripto declaverit se eas acceptare — item de aliis praeterea conditionibus ad earumdem vim requisitis; deque iis mutandis vide artt. 1637 *j-m.*

Quaer. Quid de agendi ratione operariorum, qui sine ratione legitima herum deserunt monendo ipsum sex hebdomadis ante discessum? 278.

Resp. Per se non licet. — Ubi tamen consuetudo viget et communiter ut licita habetur, illa facultas ut per modum conditionis resolutoriae tacite stipulata considerari poterit (1); cfr. n. 280, V.

(1) De hac consuetudine pro provincia Limburgiae testatur Marres n. 360; item de consuetudine vi cuius *elapsis quindecim diebus* post inceptum locationis tempus *sive herus sive famulus* contractum dissolvunt, retentâ a famulo arrhâ ut mercede pro labore praestito.

Quid dicendum de suscepta ex condicto intermissione operarum *(werkstaking)*, ut mercedis augmentum vel laboris imminutio obtineatur? 279.

Resp. Re speculative spectata distinguendum est;

1° Si merces minor sit, quam iustitia exigat, *non peccant* operarii laborem detrectantes donec aequalitas fiat.

Neque iustitiam laedunt qui elapso locationis tempore opus communi consilio sistunt conspirantes in maiorem, iustam tamen mercedem. — Attamen si in *summam* mercedem etsi iustam conspirant, adversari videtur *charitati,* ut n. 258 dictum est.

2° *Peccant* vero, si operas iam ex *iusto* contractu debitas intermittunt, vel vi et metu impediunt quominus alii laborent aut conduci possint.

In praxi, supposita etiam iusta postulatione operariorum, videndum erit quae futurae timendae sint communis intermissionis sequelae, puta: maiora forte damna operariis eorumque familiis obventura, ordinis publici perturbatio; videndum etiam quo studio, si non omnes, praecipui tamen conspirationis auctores ferantur (2).

(1) Cfr. V. Egeren n. 101.

(2) Cfr. Palmieri ad Ball III, n. 536, ed. 3ª n. 882; Marres; n. 365.

§ III. — *Cessatio contractus.*

(Artt. 1639 e-1639 x).

280. **Cessat** conctractus ex lege civili(1):

I. Elapso tempore contractu vel ordinationibus, aut lege vel edicto *(verordening)*, aut, hisce deficientibus, per usum determinato.

In qua hypothesi neque praevia disdicta opus est; nisi vèl 1° scripto contractu vel ordinationibus hoc pactum est; vèl 2° èt secundum legem, edictum vel usum disdicta nihilominus fieri debet, èt partes, ubi licet, ab hac obligatione scripto contractu vel ordinationibus non recesserunt.

Quodsi tempore elapso servitium, neutra parte contradicente, continuatur, contractus ad idem tempus sub iisdem conditionibus censetur renovatus. Idem est si necessaria, secundum dicta, disdicta omittitur, neque huius omissionis sequelas partes consulto determinarunt.

II. Si contractus *in incertum (voor onbepaalden tijd)* est initus-quod factum censetur si nullo modo tempus est designatum-vel ad disdictam, utraque pars contractum dissolvere potest per disdictam servatis legis dispositonibus factam.

Disdicta solum fieri potest *pro die (tegen den dag)*, vel pro uno ex diebus contractu vel ordinationibus aut, his deficientibus, usu ad hoc designatis; quodsi nulla huiusmodi designatio est, disdicta pro omni die fieri potest.

Dies (termijn) disdictae, seu spatium quod disdictam inter et finem contractus interiacere debet, idem est ac tempus quod currere solet inter duas sese subsequentes solutiones mercedis in pecunia constitutae; sed non longius quam sex hebdomadarum. — Scripto contractu vel ordinationibus:

1°. Aliud spatium generatim (cfr. dicendum sub 2°) determinari potest, non tamen longius quam semestre, neque brevius pro hero qnam pro operario.

---

(1) Cfr. nota 1ª ad n. 273.

2°. Pro operariis quorum merces pecuniaria per diem quatuor florenos non superat, longius sex hebdomadarum spatium determinari *non potest, nisi* usus longius spatium designat, quod tum excedi non poterit.

Quodsi statutum est spatium 1) pro una parte solum, idem pro altera quoque parte valet; 2) brevius pro hero quam pro operario, longius spatium valet etiam pro hero; 3) longius quam licet, maximum quod licet spatium valet.

III. Morte operarii.

Non vero morte *heri, nisi* ex contractu contrarium sequatur. Attamen tum heri heredes tum operarius finem contractus ad determinatum tempus initi facere possunt per disdictam ut supra factam, ac si contractus in incertum esset initus.

IV. Si probationis tempus *(proeftijd)* pactum est, eo tempore currente utraque pars per disdictam statim finem facere potest contractus.

Irrita autem sunt pacta quibus statum est tempus vel 1° non aequale pro utraque parte, vel 2° longius bimestri; itemque 3° quibus eaedem partes novum probationis tempus paciscuntur.

V. Utraque pars sine disdicta, vel non servatis regulis pro disdicta valentibus, finem facere potest contractus, dummodo vel 1° eodem tempore alteri parti solvat compensationem, quanta determinatur art. 1639 *r;* vel 2° habeat rationem urgentem, eamque alteri parti statim communicatam. — Alias autem ita sine consensu alterius partis faciendo, *illegitime (onrechtmatig)* ageret.

Rationes urgentes generatim aestimantur: pro hero talia operarii facta, qualitates vel mores: pro operario tales circumstantiae, e quibus sequitur ut cum ratione a respectiva parte exigi nequeat ut contractu stare pergat; artt. 1639 *p* et *q*, ubi praeterea praecipuae, inter alias, huiusmodi rationes recensentur.

Compensatio, de qua sub 1°, si 1) contractus in incertum est initus, aequivalet mercedi pecuniariae tanti temporis quantum ante finem contractus disdicta fieri debet (supra sub II); si 2) ad determinatum tempus, mercedi pecuniariae illius temporis quod secundum artt. 1639 *e* et *f* contractus adhuc durare debuisset (su-

pra sub I). — Quodsi merces non est secundum temporis spatium computata, applicatur art. 1637 *o* (n. 271 ad I, 1).

Pactum quo in gratiam operarii minor compensatio statuitur, nullum est.

Scripto contractu vel ordinationibus maior statui potest compensatio; quae tamen si iudici aequo maior videatur, minuere eam potest. Contra, si lege statuta compensatio damnificato videatur iusto minor, maiorem iuridice petere potest.

Ceterum si alteruter vèl illegitime finem contractus fecit, vèl alteri consulto vel culpabiliter rationem urgentem dedit finem contractus faciendi sine disdicta vel huius regulis non servatis, hicque iure suo usus est, huic alteri parti ius est petendi compensationem vèl art. 1639 *r* statutam vèl plenam.

VI. Quodsi contractus initus est ad tempus quinquennio longius vel ad vitam determinatae personae, operarius nihilominus statim ac quinquennium elapsum est, ius habet renuntiandi contractum, servato pro disdicta spatio semestris.

Quod operarii ius pacto excludi vel restringi nequit; art. 1639 *v*.

VII. Quoad contractum a minorenni initum, quando sive legitimus causam ipsius gerens, sive officialis publicus territorii (1) scripto petere a iudice territorii rescissionis declarationem possit, vide art. 1639 *m*. — Aliis contrahentibus quando hoc concedatur, idque etiam ante inceptum laborem, vide art. 1639 *w*.

ARTICULUS III.

DE CONTRACTU OPERIS PERFICIENDI.

(*Aanneming van werk, — Artt.* 1640-1652).

281. I. Huius contractus obiectum non sunt operae praestandae sed harum fructus, sc. opus ipsum a conductore *(aannemer)* secundum rei perficiendae et materiae adhibendae descriptionem *(bestek)* pro determinato pretio et statuto tempore tradendum locatori *(aanbesteder)*.

(1) *Ambtenaar van het openbaar ministerie bij het kantongerecht.*

II. Conveniri potest ut conductor vèl 1) solum laborem vèl 2) simul etiam materiam praebeat.

Si 2^m, res quocumque modo periens perit conductori, *nisi* locator fuerit in mora rem recipiendi.

Si 1^m, res perit locatori, et *conductor* non cavet nisi de culpa sua; hic tamen *amittit ius in pretium, nisi* res perierit vitio ipsius materiae, vel nisi locator fuerit in mora rem recipiendi. Cfr. art. 1644 sq. — Conductor cavet etiam de factis eorum, quibus ipse opus conficiendum mandavit.

I. Locator pro libitu contractum rescindere potest 282.
modo conductori impensas iam factas, laborem praestitum et lucrum quod secus obtinuisset, penitus compenset; art. 1647.

II. Dissolvitur contractus morte conductoris, *sed* in casu illius heredibus locator solvere debet mercedem laboris et pretium materiae praeparatae, in quantum haec ipsi prodesse possunt: art. 1648.

Quaeritur quid dicendum de hac agendi ratione eorum qui 283.
opera suscipiunt: Concurrentes ad publicam aedificii construendi locationem inter se conveniunt ut suam quisque aestimationem augeat *certâ pecuniae summâ, quae* adiudicato opere a susceptore inter ceteros concurrentes *dividatur*. Vel alio modo: communi consilio pretium praestituunt operis suscipiendi, et deinde sorte vel aliter *susceptorem designant, qui* adiudicato opere *determinatam quamdam summam* inter reliquos concurrentes *dividat?*

Resp. 1° Videri potest locator iniuste cogi ad compensandas aliorum concurrentium expensas — hanc enim, non pretii, rationem habere videtur illud augmentum — et in posteriori casu praeterea iniuste impediri, quominus opus minore pretio locare queat.

2° Nihilominus excusari posse illa praxis videtur, modo pretium *summa illâ computatâ* maneat intra iustitiae limites. Tum enim idem dicendum videtur, quod de monopolio n. 258, et de simili pacto inter licitatores in auctione n. 255 dictum est. Aertnys n. 505.

Quaeritur si is, qui opus pro pretio constituto suscepit, 284.
postea conqueratur se pro pacto pretio non posse sine damno opus perficere, num locator teneatur pretium supplere.

Resp. I. Certo locator non tenetur facile id credere, cum susceptoris fuerit antea rem bene considerare.

II. Si revera ita est, neque ullus alius pro isto pretio opus suscipere poterat, Lehmkuhl (1) affirmat.

Secundum Aertnys non immerito, opinor, potius aequitas suadere quam stricta iustitia iubere videtur, ut pretium suppleatur, *casu fortuito excepto* qui bene non potuit praevideri. Quisquis enim pacto pretio opus conficiendum suscepit illud *periculo suo* suscepit; ratio exceptionis est, quia eiusmodi casus in contractu non comprehenditur.

Porro iniuste ageret susceptor, si sibi consuleret adhibendo fraudes damnosas contra contractum initum, vel deprimendo mercedem operariorum suorum, ita ut cogantur, nisi velint dimitti ac proin victu carere, mercedem iusto inferiorem admittere (2).

ARTICULUS IV.

DE REBUS EXPEDIENDIS VEL TRANSVEHENDIS.

(*Cod. Com. artt.* 86-99).

285. I. Expeditores praestant damna ex negligenti expeditione provenientia etiam in itinere.

II. Vectores praestant 1° omne damnum, quod *in itinere* rei obvenit, *nisi* oriatur ex rei vitio, vi maiore *(overmacht)*, vel culpà aut negligentia expeditoris; — 2° damnum *ex mora, nisi* ex vi maiore provenerit.

Contra vectorem extinguitur actio, si res petita et acceptata atque vectionis pretium solutum est, *et* rei laesio vel diminutio externo indicio apparebat; secus iudicialis inspectio peti potest, modo petatur intra 48 horas a rei acceptatione, et de illius identitate constet.

---

(1) I n. 1127.

(2) Aertnys cum Lehmk. ll. cc.

CAPUT QUINTUM.

DE DEPOSITO.

(*Bewaargeving.* — *Artt.* 1731-1776).

Depositum est contractus quo res alteri custodienda committitur et ab eo suscipitur cum onere eamdem postea in natura reddendi. — Est contractus realis et, naturâ suâ ex codice, potius essentiâ, gratuitus; quando salarium stipulatur, oritur quaedam operis locatio, esto forte nomen depositi retineatur. 286.

Aliud est proprie dictum, aliud improprie quod vocatur *sequestrum* et locum habet quando res, de qua litigatur, alii tertio committitur ut postea reddatur ei cui adiudicabitur.

ARTICULUS I.

DE DEPOSITO PROPRIE DICTO.

Depositarius tenetur I. rei depositae eamdem ac rerum propriarum curam habere, imo *maiorem* 1° si sponte se obtulit; 2° si pretium stipulatus est; 3° si depositum in ipsius cedit commodum; 4° si expresse pactum est, ut praestet *qualemcumque* negligentiam; art. 1744. 287.

II. Re deposita non uti *nisi* de licentia saltem praesumpta deponentis.

Secundum multos consensus praesumi potest quoad usum *pecuniae* non clausae nec obsignatae, modo curetur ut petituro statim reddi possit (1). At non immerito advertit Marres (2) praesertim nostris diebus deponentem, nisi speciales rerum vel personarum circumstantiae interveniant, potius invitum quam consentientem praesumendum esse. — Quoad vero *alias res* fungibiles vel consumptibiles, puta quae secus deteriores fierent vel corrumperentur, ipsius deponentis saepius interest, ut depositum in mutuum convertatur.

(1) Sporer n. 957; Bouvier.

(2) N. 95.

III. Non investigare qualis sit res deposita, si in arca occlusa vel sigillo obsignata ipsi est commissa.

IV. Rem eamdem deponenti statim ac petit reddere, qualis tunc est cum omnibus fructibus si quos produxit. Res namque fructificat, crescit, decrescit et perit domino. Depositarius praestat solum culpam suam.

Si tamen deprehenderit rem esse furtivam, monere debet dominum, ut intra certum et congruum temporis spatium illam repetere possit; qui si repetere negligat, depositarius rem deponenti reddere poterit; art. 1737.

N. B. *De cauponibus* relate ad res viatorum vide art. 1746 sq.

288. Deponens tenetur compensare 1° *impensas* factas ad rei conservationem, 2° *damna* quae occasione depositi accepit depositarius.

Depositarius potest rem retinere, donec ipsi persolutum est, quidquid ei ratione depositi debetur.

ARTICULUS II.

DE SEQUESTRO.

(*Artt.* 1767-1776).

289. Sequestrum aliud est *voluntarium* seu conventionale, aliud *iudiciarium*. In sequestro voluntario depositarius rem reddere non potest, nisi vel post sententiam iudicis vel utriusque deponentis consensu. Ceterum sequestri eaedem sunt obligationes ac depositarii: cfr. art. 1770.

CAPUT SEXTUM.

DE COMMODATO.

(*Bruikleening.* — *Artt.* 1777-1790) (1).

290. **Commodatum** est contractus, quo usus rei alicui gratis conceditur ea lege ut commodatarius postquam re usus fuerit vel post determinatum tempus eamdem in natura reddat.

(1) Sporer, Tr. VI, n. 830 sqq.

Commodatarius tenetur I. Rem servare ut diligens 291.
paterfamilias.

II. Rem non adhibere nisi ad usum in contractu vel rei ipsius naturâ indicatum.

III. Rem reddere tempore condicto vel finito usu intento. Neque ex iure civili rem retinere potest in compensationem eius quod sibi a commodante debetur. Quodsi ante re sua indiget commodans, iudex inbere potest ut statim res reddatur.

IV. Praestat interitum rei vel detrimenta rei obvenientia *ipsius culpâ,* idque ex iure civili etiam culpa levi (1). Imo

Ex iure civili praestat etiam *casum fortuitum* 1° si re usus est diutius vel ad alium finem quam concessa erat; — 2° si rem servare potuisset vèl suam adhibendo, vel modo propriam servare ne maluisset; — 3° si res, antequam traderetur, fuit aestimata.

Commodans tenetur I. Rei vitia aperire nociva, 292.
si quae sint et ipse ea noverit; quod si omittat, praestat damna.

II. Rem non repetere ante tempus conventum vel usum finitum.

III. Compensare factas a commodatario expensas extraordinarias ad rei conservationem necessarias et ita urgentes ut ipsum praevie monere non potuerit.

Contractus non solvitur morte contrahentium, sed transit 293.
ad heredes. — *Excipe:* si res fuit commodata intuitu *solius* personae commodatarii, huius heredes re commodata uti non possunt.

CAPUT SEPTIMUM.

DE MUTUO (2).

(*Verbruikleening.* — *Artt.* 1791-1806).

ARTICULUS I.

DE MUTUO SIMPLICI.

I. **Mutuum** (simplex) est contractus quo unus al- 294.
teri quamdam rerum fungibilium (3) quantitatem

(1) Cfr. Tr. sq. ubi de restitutione ob culpam iuridicam admissam.

(2) Sporer, Tr. VI, n. 515 sqq.

(3) « Consumptibilium » ait codex: cfr. nota ad n. 299.

cedit ea conditione, ut hic eamdem quantitatem eiusdem naturae et qualitatis reddat. — Est contractus *non solemnis, realis* — atque traditione dominium transfertur; id quod ex iure civili certum, et ex iure naturae probabilissimum est — et *gratuitus.*

II. Gratuitus contractus est 1° naturâ suâ, ita ut per se excludat quodvis auctarium ex quocumque titulo etiam extrinseco: et 2° essentialiter, ita ut stipulatio auctarii propter ipsum mutuum contractum mutui destrueret. Qui sc. vere mutuat, eo ipso abdicat ius ad compensationem commodi quod alteri praestat, et quo seipsum privat. Qui itaque ex mutuo auctarium ut sibi debitum exigit, iniustitiam committit exigendo ius cui renuntiavit; lucrum autem *sic* obtentum dicitur usura (1), ipso iure naturae, ut patet, reprobata ut iniusta.

III. Datur obligatio *charitatis* mutuum dandi quando alter, sive dives sive pauper, alterius rebus quidem indiget, ut in necessitate extrema vel gravi ex illis sibi provideat, sed simul spes adest fore ut res acceptas creditori reddere possit. — *Excusant* ab hac obligatione eaedem rationes, quae excusant a praecepto eleemosynae faciendae.

295. Obligationes mutuatarii indicantur in definitione. — Quoad quantitatem tamen reddendam notanda est differentia inter *pecuniam* in qua per se valor *extrinsecus* seu aestimationis, et *alias res* in quibus per se valor *intrinsecus* consideratur. Hinc:

I. *Seclusa speciali conventione* 1° pecunia reddenda est secundum valorem extrinsecum currentem *tempore redditionis;* ita ut quantitas physica seu numerus nummorum reddendus demetiendus sit pro rata minoris vel maioris valoris tunc currentis. — 2° Aliae res, quibus adnumerandae sunt virgae metallicae *(staven),* reddendae sunt in quantitate accepta, sive pretium crevit sive decrevit. — Quoad haec concordant iura naturale et civile; artt. 1793, 1795.

II. *Quodsi* mutuatarius res *eiusdem* naturae reddere *non possit,* solvere debet earumdem pretium.

(1) *Proprie dicta:* eodem autem nomine designatur *omne* lucrum *ex* mutuo *vel* huius *occasione,* sive explicite sive implicite, *iniuste* perceptum.

Qua de re *ius civile* statuit 1° ut, si in conventione tempus et locus reddendi *determinata sint,* attendi debeat pretium currens *tempore et loco redditionis;* — 2° si vero *determinata non sint,* pretium quod currebat *tempore et loco mutui dati;* art. 1801.

Prius illud iterum certo concordat cum iure naturae; — *posterius* vero spectato solo iure naturali omnino dubium videtur.

Dictum est; *seclusa speciali conventione.* — Difficultas 296.
hic movetur, quaenam conventiones circa quantitatem reddendam iure iniri possint. Distinguendo dico:

I. Si mutuans non intendit uti re reddenda nisi ad consumptionem, pactum de reddenda in eadem quantitate et qualitate, sive pretium creverit sive decreverit, imo etiamsi pretii augmentum praevideretur, non videtur repugnare gratuitati sive naturali sive essentiali mutui, quia servatur dati atque redditi aequalitas. — Si itaque inter theologos movetur difficultas, haec sequentem hypothesin spectare mihi videtur.

II. Si mutuans intendit rem vendere seu generatim negotiationi impendere, iterum distinguendum:

1° *Si dubium est,* num pretium postea augeatur an minuatur, idem illud pactum certo licitum erit; quia tunc mutuo adderetur tantum contractus aleatorius cum aequali utriusque partis conditione.

2° *Si praevidetur minutum iri* pretium, certo licitum videtur pacisci, ut quantitas pro rata augeatur; quia aequum non est, ut ex beneficio praestito damnum quis capiat — Observa tamen hoc pactum aliquid detrahere illi gratuitati, quae ad *naturam* mutui pertinet; cfr. n. 294, II, 1°.

3° *Si praevidetur auctum iri* pretium, *et* mutuans rem *servaturus* erat usque ad tempus aucti pretii, tum si pacisceretur de re in eadem quantitate reddenda, de hoc pacto idem resolvendum erit quod mox ad 2^m^.

Si vero mutuans rem servaturus non erat, *dissentiunt* theologi. Equidem puto tale pactum in casu, *etsi* admittatur eo excludi omnem mutui gratuitatem etiam *essentialem,* attamen secundum di-

cenda art. seq. non ideo iniustum esse. — Porro gratuitatem hoc pacto excludi hinc probabiliter affirmatur, quia revera lucrum ex ipso mutuo obtineri videri potest; illinc vero aeque probabiliter negatur, quia mutuatarius per se et ex natura contractus tenetur res acceptas reddere in eadem quantitate.

297. Mutuans tenetur I. Aperire vitia rei quam mutuo dabit, ut dictum est de commodante.

II. Rem non repetere ante tempus condictum. Quodsi tempus determinatum non est, a iudice, si opus sit, erit determinandum.

III. Nihil ultra sortem exigere secundum dicenda art. seq.

ARTICULUS II.

DE MUTUO CUM PACTO DE AUCTARIO.

(Ter leen geven op interessen).

298. I. Ut n. 294, II dictum est, non tam essentia quam natura contractus excludit quodvis auctarium etiam ex titulo mutuo extrinseco percipiendum. Quia vero ea quae ad *naturam* contractus pertinent, ab eo excludi valide et iuste possunt, modo *expresse* fiat, ideo salvâ tum iustitiâ tum substantiâ contractus ob titulum mutuo extrinsecum exigi potest tantum quantum ipse titulus valet. Idque hodiedum theologi unanimiter docent.

II. *Tales tituli* hodie communiter admissi sunt 1° damnum emergens, 2° lucrum cessans, 3° periculum sortis, 4° poena conventionalis, solvenda nim. si tempore condicto sors non reddatur. — Iam vero: lis est de ipsa mutui materia deque lege civili, ut sequitur.

299. Quaeritur num ipsa materia contractus mutui, sc.: res data et similis reddenda, reiiciat omne auctarium ut iniustum, ita ut de ea contractus onerosus a mutuo diversus ne possit quidem iuste iniri. sicut v. gr. loco commodati iuste initur locatio-conductio?

Resp. I. Antiqui omnes et plerique recentiores affirmant; atque consequenter docent ad liceitatem auctarii percipiendi titulum extrinsecum necessario et absolute requiri. Cuius opinionis argumenta huc redeunt:

1^m *Argumentum intrinsecum.* Obiectum mutui est res fungibilis; haec autem *primo usu consumitur.* Talis etiam est pecunia utpote cuius usus sit erogatio (1). — *Est itaque sterilis,* seu fructum nullum producit; atque usus talis rei non est pretio aestimabilis independenter ab eius dominio seu rei substantia. Qui ergo rem fungibilem cum auctario recipit, plus accipit quam dedit, seu accipit titulo pretio non aestimabili.

Obiicienti autem mediante pecunia aliisve rebus fungibilibus, si negotiationi impenduntur, mutuatarium lucrum, idque saepe sat magnum obtinere posse; adeoque ob hunc *titulum, sc. subministratum medium lucrandi,* iuste aliquid recipi posse — *respondetur* hoc lucrum esse fructum *mere industrialem;* praeterea per mutuum rei *dominium* transiisse in mutuatarium; huic proinde soli, tum quia dominus, tum quia ipse solus suâ industriâ rem frugiferam reddidit, competere ius in lucrum obtentum.

2^m *Argumentum extrinsecum* hisce verbis exhibet Bened. XIV (2). « Omne lucrum ex mutuo praecise ratione mutui usuriarum atqui omni iure, naturali sc., divino et ecclesiastico illicitum esse, perpetuo fuit et est catholicae Ecclesiae doctrina, omnium Conciliorum, Patrum et Theologorum unanimi consensione firmata ».

Resp. II. Contradicunt plures recentiores. Qui duplex 300.
mutui genus *distinguunt.*

1° Aliud est mutuum *consumptionis,* quo alteri mutuo datur *res sterilis,* cuius dominium *per consumptionem tantum* domino prodest; et in hoc mutuo propter allatam rationem tenent *iniustum* esse aliquid supra sortem exigere. De hoc etiam mutuo dicunt intelligendam esse doctrinam Ecclesiae de qua supra.

2° Aliud vero mutuum est *productionis,* quo nempe mutuo datur res, quae *accedente* humana industria fructus seu *lucrum pro-*

(1) Quo eodem sensu omnis res fungibilis dici potest consumptibilis. Materia tamen mutui proprie consideratur potius ut fungibilis quam ut consumptibilis.

(2) De Syn. Lib. X Cap. IV, n. 2.

ducere potest. Talemque esse pecuniam ceterasque res fungibiles, quando *non in necessitate* consumuntur, est factum quod negari ullo modo non potest. Qui itaque tales res mutuatur, seipsum privat commodo illudque alteri concedit, quod vere est pretio aestimabile, idque *independenter ab ipso rerum dominio,* sc.: usum lucrativum per certum temporis spatium. *Iniustum* ergo *non est* pro eo compensationem stipulari.

301. Resolvo 1° Ultimo argumento — in quantum affertur ad probandum materiam mutui *negotiationis* aptam esse ad iustum *contractum onerosum* — non video quid opponi possit. Non enim eliditur responso (n. 299, I, 1) ex opinione communi relato. In hac namque posteriori opinione non negatur mutuatarium solum ius habere in *lucrum* quod ipse suà solius industrià obtinet; sed adstruitur tantum *medium lucrandi* illi subministratum esse pretio aestimabile.

2° Dixi: *in quantum etc.* Etenim concludi inde *non* debet *ex ipso mutuo* lucrum iuste acquiri posse, quod, ut dictum, substantiae contractus mutui adversatur. Concludi itaque hoc tantum debet, iuste quidem ex pecunia, vel alia re fungibili productioni seu lucro inserviente, alteri concessa lucrum percipi posse; oportere autem ut fiat « *per alios diversae prorsus naturae* [*speciei*] *a mutui natura contractus* (1) ».

Quo sensu intellecta haec opinio nullatenus adversatur doctrinae ecclesiasticae (n. 299, I, 2), utpote quae respiciat lucrum ex mutuo.

302. Resp. III. Quinimo cum, quidquid in contrarium multi ratiocinantur, nimis tamen evidens appareat, etiam in mutuo *consumptionis* incommodum quod subit mutuans, et commodum quod praestatur mutuatario esse pretio aestimabile, *ratio iniustitiae* usurae seu omnis lucri ex ipso mutuo repetenda est pro variis circumstantiis vèl ex eo quod *incommodum* quod subit mutuans omnibus consideratis *compensatur translatione periculi* rei in mutuatarium, vèl ex *sola essentia* contractus mutui. Prior ista ratio dicenda est temporibus antiquioribus iniustum reddidisse lucrum ex mutuo

(1) Bened. XIV Const. « Vix pervenit » § 3, IV.

perceptum. Hodie vero ob mutatas circumstantias aliter res se habet; cfr. n. sq. et Vermeersch Qu. IX.

Quaeres, numquid ergo dicamus, in posteriori hypothesi, 303.
adeoque hodie etiam *mutuum consumptionis* pro libitu contrahentium *in alterius speciei contractum posse mutari*, et sic licite lucrum comparari?

Resp. Non tam rigorosa iustitia, modo commodi praestiti valor ne excedatur, sed plerumque charitas obstabit. « Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo simplici ac nudo mutuo alteri succurrere (1) ».

Et haec est causa cur haec quaestio *pro praxi* moveri non debeat nisi de *solo* mutuo *productionis seu negotiationis* quod vocant.

Neque tamen hic praetermittendum, ex hoc ipso quod hodiedum, *maxime ex pecunia* alteri credita, tam facile iustum lucrum obtineri potest, ex hoc ipso, inquam, sequi *saepe mutuo etiam consumptionis accedere titulum extrinsecum* lucri cessantis pro quo licite auctarium stipulatur, quoties charitas non dictat et huic titulo renuntiandum.

Resp. IV. 1. Secundo et tertio responsis omnino — quoad 304.
sensum et spectato solo rigore iustitiae — conformiter ius civile art. 1802 statuit: « Licet pro mutuo [improprie dicto] pecuniae aliarumve rerum fungibilium (2) stipulari fenus ».

2. Sed minus sanae theologiae principiis conforme videtur id quod non pauci recentiores asserunt, nim. legem civilem hac sua dispositione creasse *novum* titulum legitimum ad lucrum ex mutuo percipiendum. — Quod probari posse existimant vel

1° ex auctoritate legislatoris transferendi lucri dominium in mutuantem; vel saltem

2° ex communi subditorum consensu seu iuris cessione; quod tandem, addunt,

3° confirmatur auctoritate S. Sedis, quae plus semel declaravit: « non sunt inquietandi [qui lucrum lege concessum accipiunt absque ullo alio titulo], donec S. Sedes aliquid circa hoc definierit ».

(1) Bened. XIV, l. c. V.

(2) « Consumptibilium » ait codex.

3. Quae quominus convincant, obstat:

Ad 1^m deesse rationem, sine qua princeps non potest dominium ab uno in alterum transferre. In sensu enim adversariorum haec dominii translatio non esset nisi contractus iuri naturali positive adversantis, adeoque apertae iniustitiae approbatio. Potius dicatur cum Ballerini: « lex perceptum ex pecuniae praestatione lucrum non quidem facit iustum, sed iustum reperit ».

Ad 2^m Jus illud quod in subditis supponitur, non probatur. Et quomodo probari possit subditos iure exigere posse ut sibi gratis praestetur, quod est vere pretio aestimabile?

Ad 3^m Idem omnino responsum est 18 Aug. 1830 et 14 Aug. 1831 ad dubia in quibus nulla mentio fiebat tituli legis civilis vi cuius lucrum perciperetur. Imo cum deinde nova proponerentur dubia ex hoc ipso exorta, 1° quod in quaesito Rhedonensis Episcopi (ad quod responsum 18 Aug. 1830) nulla fieret mentio tituli legis sed tantum mutui negotiatoribus dati; et 2° quod lex in Gallia nullum ius tribuat percipiendi usuras, sed potius supponat mutuantem ad eiusmodi lucrum ius certum habere; S. Congr. 31 Aug. 1831 respondit: « Provisum in decretis fer. IV 18 Aug. 1830, atque dentur decreta ».

4. Stat itaque pro praxi ex auctoritate S. Sedis non esse inquietandos qui lucrum ex pecunia negotiatoribus credita percipiunt. Controverti tantum potest, qua ratione S. Congr. responsa nitantur.

305. Quantum fenus iuste stipulari potest?

Resp. I. Lex Gallica 3 Sept. 1807 statuit stipulari posse 5 % in materia civili, 6 % in materia commercii; qui autem maius auctarium perceperit, condemnandum esse ad restitutionem vel sortis pro rata reductionem. Idemque determinatur fenus legale, quod sc. non vi contractus sed ex lege quandoque solvendum est.

II. Lex illa viguit etiam in Neerlandia usque ad 22 Dec. 1857; tum vero nova lege idem retentum quidem est quoad fenus legale, de cetero autem seu quoad fenus conventionale lex Gallica est abrogata.

III. Vulgare ideoque iustum fenus communi petitione et oblatione indicatur, *nullatenus vero ex mutuatarii necessitate.*

Iusta et publica huius petitionis et oblationis norma apte mensis publicis, ex. gr. Neerlandica *(de Nederlandsche bank)* datur, quae pro pecuniae penuria aut copia maius vel minus fenus exigunt. — Quod tamen nullatenus impedit, ne propter causam aliquam particularem, puta damni emergentis, maioris lucri cessantis, magni sortis periculi, quandoque maius auctarium exigatur (1).

Quaeritur, num liceat exigere *fenus ex fenere (anatocismus, rente op rente rekenen)?* 306.

Resp. Ius civile art. 1287 hoc permittit, modo fenus pro integro saltem anno sit debitum. — Neque iuri naturali ex supradictis hoc adversari videtur.

N. B. Ex dictis hoc articulo resolvi poterit, quid iudicandum de mutuo pignoratitio (2) et de montibus pietatis; in hisce autem pro auctarii iustitia accedit titulus impensarum, laboris ministrorum etc.

CAPUT OCTAVUM.

DE CENSU (3).

Census *(rente)* variis tilulis tum gratuitis tum onerosis constituitur, plerumque tamen titulo oneroso et praesertim emptione et venditione; quo ultimo maxime modo sumptus *definiri potest:* Contractus quo quis soluto pretio, quod repetere non poterit, acquirit ius fenus seu pensionem annuam percipiendi; cfr. art. 1807. 307.

Distinguunt theologi censum: 308.

I. In *reservativum* et *consignativum* seu constitutivum prout *a cedente dominium* rei, in qua supponitur fundatus, reservatur vel *a retinente dominium* rei suae in ea in alterius gratiam constituitur; cfr. n. 66.

II. In *realem, personalem* et *mixtum,* prout constituitur in re fructifera, vel in persona, vel in utraque.

(1) Marres n. 134; Comp. n. 68.
(2) Cfr. n. 344 sqq.
(3) Sporer, Tr. VI, n. 746 sqq.

III. In *pecuniarium* et *fructuarium*, prout pensio pecunià vel fructibus est solvenda.

IV. In *perpetuum, temporalem* et *vitalitium*, prout pensio solvenda est in perpetuum, ita ut contractus ad utriusque contrahentis heredes transeat; vel per tempus determinatum dumtaxat, ita tamen ut eo tempore elapso sors non sit refundenda; secus enim non haberetur nisi mutuum cum auctario; vel durante vita sive censualistae (creditoris) sive censuarii (debitoris) sive alterius personae unius vel plurium.

V. In *redimibilem* ad nutum alterutrius vel utriusque, et *irredimibilem*. — De censu reali dictum est n. 66.

309. Supposito iustitiam in pretio esse servatam — qua de re valent tradita de pretio emptionis et venditionis — *unanimiter* consentiunt theologi licitum esse censum reservativum et consignativum *realem;* sed et *personalem* per se licitum esse *communissime* contra quosdam concedunt.

Seria difficultas movetur tantum de censu ex parte *censualistae* vel *utrimque redimibili*. Movetur autem haec difficultas inter eos, qui tenent mutuum ratione ipsius materiae reiicere omne auctarium ut iniustum. Inter eos nempe controvertitur, utrum talis census recidat necne in mutuum (usurarium) (1). Cfr. n. 209 sqq. et ex ibi dictis resolve probabilem esse opinionem affirmantem talem censum licitum esse per se, modo sc. limites iusti pretii ne excedantur.

310. Ius civile omnes contractus census tacite saltem admittit, *excepto* tantum censu *perpetuo irredimibili*. Explicite vero non loquitur nisi de censu perpetuo et vitalitio.

ARTICULUS I.

DE CENSU PERPETUO.

(*Artt.* 1807-1810).

311. I. Conveniri tantum potest. ut redimi non possit ante determinatum tempus, quod ultra decennium extendi nequit; vel

(1) Vide Carrière.

non possit nisi creditore praemonito idque termino determinato, qui tamen unius anni spatium excedere non poterit.

II. Cogi potest censuarius ad censum redimendum:

1° Si duobus continuis annis nihil solvit.

2° Si cautionem in conventione promissam dare negligit (1).

3° Si foro cessit.

Quodsi tamen in duobus primis casibus intra vicesimum a iuridica petitione diem suis obligationibus satisfaciat, adhuc a redimendo censu deobligatur.

ARTICULUS II.

DE CENSU VITALITIO.

(*Artt.* 1812-1824).

I. Census constitutus in vitam personae tempore contractus initi iam mortuae omni effectu caret. 312.

Ut creditor censum exigere possit ostendere debet vivere eum in cuius vitam est constitutus.

Ius ad pensionem non acquiritur nisi pro numero dierum, quibus vixit persona designata. Si tamen ex conventione pensio in antecessum est solvenda, pars quae termino adveniente solvi debuit, remanet creditori acquisita ab illa die.

Census taxationem ius civile reliquit arbitrio contrahentium. Quod ad ius naturae attinet, advertisse sufficiet contractum hunc esse aleatorium.

II. Censualista postulare potest rescissionem contractus, si debitor *pactam cautionem* non praebeat. Quo casu nihilominus pensio solvenda computatur seu currit usque ad diem restitutae sortis. — Non vero postulari potest sortis restitutio ob solum defectum solutionis.

III. Si debitor foro cedat, pensio solvenda diminuitur pro rata aliorum debitorum; eaque sic diminuta creditori debet assecurari.

---

(1) Idem dicendum erit si cautionem iam datam destruat. Carrière.

Ceterum census vitalitius neque est ad nutum debitoris redimibilis.

De commercio censuum iam constitutorum vide n. 251.

CAPUT NONUM.

DE CAMBIO (1).

(*Cod. comm. artt.* 100-229).

313. **Cambium** est lucrosa pecuniae cum alia pecunia permutatio. — Quando pecunia permutatur 1° cum alia pecunia *praesente*, v. gr. aurum cum argento, unius regionis cum alterius moneta, dicitur minutum seu manuale; — 2° cum pecunia *distante* seu in alio loco solvenda vel recipienda, dicitur locale; — 3° cum pecunia *alio tempore solvenda*, dicitur temporaneum, si tamen *eodem loco*, dicitur cambium *siccum*, quod proprie non est nisi mutuum cum auctario, de quo proin valent dicta n. 208 sqq.

Si quis directe et personaliter se obligat ad pecuniam in alio loco solvendam, cambium dicitur personale et scriptum quod conficitur *orderbriefje, promesse aan order;* cod. com. art. 208: cfr. seqq.; si vero cuidam tertio mandat ut loco convento solvat, scriptum dicitur *wissel, wisselbrief:* ib. artt. 100-207.

314. Utrumque cambium manuale et locale eiusque lucrum secundum omnes est licitum, quia iustis nititur titulis, puta; labore campsoris, eiusque diligentia in nummis cuiuslibet generis congregandis, eius expensis in famulos, periculis variis quibus se exponit etc. Praeterea in hoc contractu cum pecunia non tam ut talis consideretur, sed potius ratio habeatur ipsius materiae, formae etc., sub hoc respectu iuste etiam spectatur sicut omnis alia merx vendibilis (2). Ceterum praestatur quid pretio aestimabile.

Et hanc ultimam praesertim ob rationem lucrum etiam percipere potest *quilibet privatus*, qui nempe munus publicum cam-

(1) Sporer, Tr. VI, n. 778 sqq.

(2) Carriére.

psoris non exercet, utut nonnulli hoc negant. Hinc v. gr. et famulus recipiens pecuniam auream a domino, ut solvat creditoribus domini, potest, modo nulli inde damnum sequatur, eam permutare cum alia, lucrum pro se retinendo; est enim fructus ipsius industriae.

CAPUT DECIMUM.

DE SOCIETATE (1).

(Maatschap of vennootschap. — Artt. 1655-1689; *Cod. com. artt.* 14-36).

315. I. **Societas** est contractus quo duo vel plures conveniunt de re aliqua in communi ponenda, intentione lucri quod obtinetur inter se dividendi. — Afferri potest quidquid est pretio aestimabile.

II. Alia est universalis, alia particularis. — Non admittitur societas *universalis* nisi *lucrorum*. Particularis est quae res quasdam determinatas vel earum usum aut fruitionem, vel negotiationem aliquam aut artem complectitur.

III. Alia etiam est civilis, alia commercialis.

IV. *Commercialis* alia iterum est sub nomine sociali unius sc. pluriumve sociorum *(onder enne firma)*, alia a commendatariis inita *(bij wijze van geldschieting, en commandite)*, inita sc. inter unum pluresve qui societatis obligationes in solidum praestant, et unum pluresve alios qui pecuniam subministrant — potest etiam societas simul esse sub nomine sociali et a commendatariis inita, — alia tandem anonyma quae nomen sortitur a suo obiecto, in quo sc. negotiatur.

V. Praeterea datur societas cooperantium *(coöperatieve vereeniging)*, de qua vide legem 17 Nov. 1876 (2).

De variis modis quibus variae illae societates ineuntur, item de causis et modis quibus dissolvuntur vide cod. civ. art. 1683 sqq., cod. com. art. 22 sqq. et legem citatam.

---

(1) Sporer, Tr. VI, n. 794 sqq.

(2) Stsbl. n. 227.

316. I. Obligationes sociorum erga tertios per se non sunt solidariae nisi in societate commerciali sub nomine sociali. Cfr. hic. III.

II. Si non fuerit designatus administrator societatis civilis, socii censentur sibi inter se concessisse facultatem ut administret alter pro altero; ita ut quod praestat unus, obliget omnes socios *inter se,* non ideo per se erga tertios.

III. De societate commerciali *sub nomine sociali* statuit Cod. com. art. 17: « Elk der vennooten, die daarvan niet is uitgesloten, is bevoegd ten name der vennootschap te handelen, gelden uit te geven en te ontvangen, en de vennootschap aan derden, en derden aan de vennootschap te verbinden. Handelingen, welke niet tot de vennootschap betrekkelijk zijn, of tot welke de venooten volgens de overeenkomst onbevoegd zijn, worden onder deze bepaling niet begrepen ».

Quodsi haec societas *simul habeat* unum vel plures *socios commendatarios,* de hisce praescribit art. 20, al. 2: « Deze vennoot mag geene daad van beheer verrigten, of in de zaken van de vennootschap werkzaam zijn, zelfs niet uit kracht eener volmagt ».

Et de societate *anonyma* art. 45 al. 1: « De (« daartoe door de vennooten aangestelde ») bestuurders (« deelgenooten of anderen » art. 44) zijn niet verder verantwoordelijk dan ter zake van behoorlijke uitvoering van den aan hen opgedragen last; zij zijn uit kracht der verbintenissen van de vennootschap aan derden niet persoonlijk verbondem ». — Exceptionem duplicem vide al. 3 et art. 39.

317. Ius sociorum. Cum societas non sit corpus morale, hinc ipsis sociis competit ius — vèl in re vèl ad rem pro variis societatis speciebus — in bona societatis, sicut et ipsos sequuntur eiusdem obligationes et debita; cfr. n. 43, III, 2° et n. 46, I.

Porro seclusa speciali conventione, lucrorum et damnorum pars cuiusque socii proportionata erit ei, quam in societatem contulit. Si unus non afferat nisi industriam, censetur idem contulisse ac ille, qui minimum contulit.

Irrita ex iure civili foret conventio, qua *totum* lucrum *uni* tribueretur.

Periculum rerum. Res allatae quarum *dominium* est collatum pereunt *societati;* quarum *usus* tantum vel fruitio fuit collata pereunt *socio*. Cfr. tamen Cod. civ. art, 1668. 318.

N. B. Plura de societatis et sociorum sive inter se sive erga tertios obligationibus et iuribus statuuntur in Cod. civ. art. 1661 — 1682, et in Cod. com. 16-56; quorum praecipua vide nn. 17 et 47. I.

Ius personae. Quaeritur num in nostro iure (1) societas reputetur persona iuridica? 319.

Resp. I. Iurisperitorum nostratium *alii negant* — inter quos tamen sunt qui excipiunt societatem anonymam — *alii affirmant. Negans* opinio saepius *confirmata* est sententiâ Summae Curiae. Vide Marres n. 407; qui ad rem advertit:

II. « Quaecumque... sententia admittatur, *indubium est* societates *commerciales* pari modo ac personas iuridicas 1° possidere bonum commune *(vermogen)* a privato sociorum bono ita distinctum, ut socii atque eorum creditores in eo nullum ius habeant, nisi antea deducto ipsius societatis aere alieno; 2° societatibus *omnibus* etsi civilibus competere *communem personam* standi in iudicio ».

III. *Societas cooperantium* ex art. 6 legis cit. gaudet iure personae, modo satisfecerit conditionibus eadem lege statutis. Cfr. n. 315, V.

Trinus contractus habetur, quando *societati* adiungitur duplex contractus *assecurationis, sortis* nempe *et lucri;* pro quorum utraque assecuratione alter alteri cedit parte lucri quod probabiliter speratur. 320.

I. *Communiter admittunt* tres illos contractus licite iniri vel *cum diversis personis*, vel etiam cum eadem persona sed *successive.*

II. Cum eadem persona *et* simul utrum licite iniri possint, controvertitur. Plures negant, quia recidunt in mutuum cum auctario, eversa societate. Plures alii affirmant ob rationem contrariam.

---

(1) « De *Belgische* wet 18 Mei 1773 maakt *alle handels*-vennootschappen rechtspersonen. Velen nemen dit althans bij de naamlooze aan... En zoo is het in de meeste nieuwe wetgevingen ». Opzoomer IX bl. 26.

Quapropter et insuper propter dicta de mutuo opinio *affirmans* dicenda est tum intrinsece tum extrinsece *probabilis*, modo omnis fraus et inaequalitas absint.

III. Ex communi licet etiam simul et cum eadem persona societatem et assecurationem *lucri* (minoris) inire: num etiam societatem et assecurationem *sortis* non ita communiter consentiunt.

321. Negotiatio actionum *(aandeelen)* societatum anonymarum cum proprie sit emptio et venditio partium societatis seu iuris ad partem lucrorum societatis, cumque ius illud maioris vel minoris aestimetur pro maiori vel minori lucro quod speratur et pro variis aliis circumstantiis: hinc emptio et venditio earum actionum pretio currente per se est omnino iusta, abstrahendo etiam a dictis de mutuo et de censu, a quorum utroque differt.

Adde: Negotiatio haec *(agiotage)* saepius non sine fraude agitur *(zwendelarij Schwindel)*, adeoque cum magno damni periculo pro minus peritis vel nimis credulis; cfr. Koch. Moraltheologie § 148 2, a); et supra n. 251 III et 258 III.

CAPUT UNDECIMUM.

DE MANDATO.

(*Lastgeving. — Artt.* 1829-1856).

322. **Mandatum** est contractus quo quis negotium *in suam gratiam et suo nomine* alteri illud in se suscipienti, gerendum committit. — Est *non solemnis* et hodiedum non essentialiter sed *naturâ suâ gratuitus.*

Mandatum aliud est *generale*, aliud *speciale;* quae distinctio attendenda est, quando lex civilis requirit mandatum speciale.

323. Mandatarius debet 1. susceptum mandatum diligenter exequi; et praestabit omne damnum sive dolo sive negligentia ortum. — *Recipit etiam in se culpam* illius quem subdelegavit 1° si subdelegandi non acceperat facultatem; 2° si acceperat sed personâ non designatâ, et subdelegavit notorie incapacem.

II. Mandati limites non excedere; cfr. art. 1843.

III. Rei gestae rationem reddere, et quidquid vi mandati accepit, etiamsi mandanti indebitum, huic restituere; cfr. art. 1842, et n. 256 sq.

Mandans tenetur I. implere obligationes a mandatario eius nomine susceptas. Quod vero ultra mandati limites confectum est, ipsum non ligat nisi diserte vel tacite illud ratum habuerit. 324.

II. Mandatario praebere quaecumque necessaria sunt ad mandatum exequendum; et compensare *sumptus* erogatos, atque pactam mercedem solvere, etiamsi res prospere non cesserit modo sine culpa mandatarii.

III. Compensare *damna*, si qua mandatarius accepit, nisi ex huius imprudentia secuta fuerint.

Extinguitur mandatum I. revocatione mandantis; quae tamen si soli mandatario significata fuerit, aliis obiici nequit, salvo recursu mandantis contra mandatarium. — Delegatio alterius mandatarii ad idem negotium gerendum censetur tacita revocatio prioris a die quo huic priori secundam delegationem mandans significavit. 325.

II. Renuntiatione mandatarii; qui tamen si culpa suâ inde damnum mandanti creet, hoc compensare tenetur; aliud est, si versetur in impossibilitate mandatum ulterius exequendi absque gravi suo damno.

III. Morte, curatela, interdictione vel fori cessione sive mandantis sive mandatarii. — De morte mandatarii huius heredes tenentur mandantem monere, et interim si quid urgeat, pro circumstantiis providere; quod si negligant, praestabunt damna etc.

IV. Matrimonio mulieris quae mandatum sive dedit sive suscepit.

Nota. Quod mandatarius mortem mandantis aliamve causam qua mandatum extinguitur *ignorans* gessit, *validum* est, atque servandum erga eos qui *bona fide* cum eo contraxerunt.

NB. Mandato valde affinis est negotiorum gestio, et disposita de illo fere omnia huic quoque applicantur; artt. 1390-1394.

CAPUT DUODECIMUM.

DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS.

ARTICULUS I.

DE ASSECURATIONE (1).

(*Cod. com. artt.* 246-308; 392-695).

326. **Assecuratio** est contractus quo quis pro certo pretio se obligat ad compensanda damna vel lucri privationem, alteri ex incerto eventu. obventura. — Scriptura, *polis* dicta, ex communi iurisperitorum solum ad probationem requiritur.

Quando contractus cum societate extranea initur, recte advertit Marres n. 452 expedire ut *speciali stipulatione* conveniatur lites per iudices vel arbitros in patria assecurati, ubi in hunc finem domicilium eligatur, esse dirimendas.

Ex variis, pro variis earum obiectis, assecurationibus Codex art. 247 quinque speciatim memorat; dein artt. 248-286 tradit communes illis omnibus dispositiones; postea singulis speciales.

327. Requiritur ad iustitiam contractus:

I. Ut pretium sit periculo proportionatum.

II. Ut periculum sit utrique parti aequaliter notum.

III. Ut assecuratus servet conditiones expresse vel tacite in conventione inclusas. Praecipue debet invigilare rei assecuratae custodiendae et casum imminentem vel qui iam incepit cohibere vel imminuere si possit. Cavere sc. saltem debet ne ex intuitu assecurationis negligentior evadat.

IV. Ut assecurator habeat unde solvere possit.

328. Assecurator tenetur I. compensare damnum quod evenit ex causa quae sive ex terminis expressis conventionis, sive ex iure, usu vel consuetudine censetur obiectum assecurationis.

---

(1) Sporer, Tr. VI, n. 924 sqq.

Nota 1. *Non itaque* tenetur compensare damnum *ex culpa ipsius assecurati* ortum; neque ex art. 249 damnum quod nascitur *ex ipsius rei vitio vel natura, nisi* contrarium fuit diserte stipulatum. — Attamen quoad proxime dictum raro, testatur Carrière, occurrit in assecurationibus terrestribus applicatio huius principii. Quando res assecuratur contra tale vel tale periculum, parvi refert utrum illud periculum timendum sit ex natura rei, an ex alia causa. Semper standum est inter terminos conventionis. Plures societates maius pretium exigunt, prout res assecuratae sunt magis obnoxiae conflagrationi.

Nota 2. cum Marres n. 468: « Cum quilibet assecurationis contractus speciales quasdam stipulationes contineat, plerumque a societate in suam ipsius gratiam additas, assecurato suadendum est. ut assecurationis instrumentum et conditiones diligenter inspiciat, ne ex ignorantia se periculo damni exponat.

II. Compensare debet integrum damnum, si integer rei valor est assecuratus; si non integer valor assecuratus est, et pars tantum rei periit, per se assecurator tenetur solum partem damni compensare pro rato valore assecurato. Conveniri tamen potest, ut in casu integrum nihilominus damnum compensetur.

Nota 1. Tenetur tantum ipsum damnum compensare, *non huius consectaria,* nisi et hoc sit expresse pactum.

2. Saltem si agitur de assecuratione contra *incendium,* in compensando *per se* is rei deperditae valor computandus est, quem res *perditionis,* non vero assecurationis, *tempore* habebat; cfr. art. 288 sq.

Compensatione praestita assecurator subrogatur in iura, 329.
quae assecuratus habere poterat ratione rei assecuratae; puta: in ius ad restitutionem debitam ab eo qui rem destruxit.

Assecurati peccant I. Qui ipsi res suas assecuratas com- 330.
burunt vel deperdunt.

II. Qui compensationem *petunt et* accipiunt — 1° damni quod non subierunt; — 2° maioris damni quam quod subierunt, nisi forte eo animo petant, ut per transactionem veri damni compensationem obtineant (1); — 3° damni cuius compensatio ex conven-

(1) Marres n. 477.

tionis conditionibus non debetur; — 4° quae rei pretium vel pro rata valorem assecuratum superat.

331. Non vero peccant qui *nulla fraude usi* compensationem *accipiunt* debita maiorem — 1° quam administratores vel mandatarii societatis assecurantis re mature perspecta ultro offerunt; quia liberaliter oblatum est censendum, et ipsius societatis interest liberalem se ostendere; — 2° quam communi consilio statuerunt arbitri, quorum iudicio ex praemissa conventione standum est; haec enim conventio est aleatoria.

332. Quum assecurans plerumque sit societas, hinc pro casu restitutionis debitae, praesertim ab incendiariis aliisve qui *mala fide* compensationem non debitam vel ultra debitam acceperunt difficultas oriri potest cui sit restituendum, eo quod difficulter res ad veros dominos perveniat. Quare dico cum Lehmkuhl (1):

I. « Si institutum assecurationis *publicum* est, i. e. ad ipsam rem publicam vel provinciam pertinens, restitutio fieri potest pauperibus vel *causis publicis*.

II. Si institutum assecurationis *privatum* est, *per se* huic instituto *proxime* restitutio debetur. Quodsi hoc ipsum institutum se suaque damna ex parte reassecuravit, sane *iis* apud quos id factum est, *pars* restitutionis debetur.

III. Nihilominus complures rationes sunt, cur plerumque etiam loco instituti privati pauperes vel causae piae eligi possint, quibus restitutio fiat. Scil.:

a) Saepe in societatibus assecurationis *tot* possident « actiones », ut summa restitutionis, quamvis tota gravis, in singulos distributa pro nullo domino singulari sit gravis materia.

b) Reassecuratio fieri *solet*, idque pro maxima parte rei assecuratae, at apud plura et diversa instituta, neque scitur apud quod vel quae reassecurata fuerit ipsa res damnificata, ob quam restitutio debetur, nisi haec ipsa res assecuratoribus indicetur; quod sane periculis plenum esse potest.

c) Demum non tam sunt assecuratores, quam potius assecurati seu totus horum numerus qui re ipsa ex voluntariis incen-

(1) N. 1134.

diis damnum patiantur. Nam assecuratores in determinando pretio quotannis solvendo certe rationem habent omnium incendiorum, quae accidere solent, etiam voluntariorum (1); alioquin deberet annuum pretium diminui, ne sit iusto maius; ergo coguntur assecurati ad solvendum pretium maius propter ipsa incendia voluntaria, ita ut ab incendiariis accipiant damnum. Verum horum qui sic damnificantur tantus est numerus, ut propter eorum multitudinem restitutio censeri possit devolvi ad pauperes causasve pias».

I. Assecuratio vitae, quam vocant, speciales quandoque 333.
offert difficultates. Ut advertit Génicot I n. 658, VIII, multae et implexae ab asssecuratoribus proponi solent clientibus suis quaestiones, quibus perperam responderi non raro contingit. Ut de contractus valore et de assecurati obligatione rectum iudicium feratur, attendendum generatim et *distinguendum*:

1° num veritate cognita assecurans contractum nullatenus initurus; an solum pretium maius postulaturus fuisse censeri debeat;

2° num assecuratus bona an mala fide egerit.

II. Adverte cum Marres n. 486: «Quodsi cuiusdam societatis statuta de corporis vitiis et morbis aut examinandis aut exponendis tacent, assecuratus non obligari videtur, ut sponte pandat morbum aut corporis vitia illius, cuius vita assecuratur; quia iure merito praesumi potest societatem assecurantem de industria illam conditionem omisisse, ut se aut assecurationis mercede aut maiore assecuratorum numero compenset».

Nota cum eodem n. 485: compensatio ex assecurationis contractu debita, non ut pars hereditatis defuncti reputanda est: quare neque declaratione pro solvendo successionis tributo edenda comprehendi debet.

ARTICULUS II.

DE LUDO (2).
(*Artt.* 1825-1828).

Ludus est contractus quo ludentes conveniunt de 334.
praemio victori cessuro. Est *aleatorius, industrialis* vel

(1) Qua ratione explicari potest cur — si quidem ita sit ut aliquando audivi — ea quae restitutionis titulo transmittuntur, non soleant in societatis aerarium recipi, neque inter «actionum» possessores sed inter alios dividi.

(2) Sporer, Tr. VI, n. 805 sqq.

mixtus, prout sola fortuna, vel sola ludentium industria, vel partim hac partim illâ regitur.

Ordinarie est *onerosus;* quandoque *gratuitus*, quando nim. ab uno vel omnibus vel etiam a non ludente gratis proponitur praemium victori cessurum.

335. Conditiones ad ludi iustitiam requisitae sunt:

I. Ut ludentes de re quam exponunt libere disponere possint.

II. Ut utriusque ludentis consensus sit deliberatus et liber, seu immunis a fraude et metu.

Si tamen de cetero ipse ludus est iustus, non convenit inter theologos, utrum metu vel fraude usus, si lucretur, teneatur ad restitutionem. Sporer n. 809 cum communi affirmat. Nonnulli tamen etiam graves AA. negant, vel negantem sententiam probabilem dicunt. Quum post ludum, seu postquam metu vel fraude inductus *spe lucrandi fruitus est*, contractus proprie rescindi et res in pristinum statum restitui non possint, quaestio et dubium in casu est, *num fraus vel metus* dici debeant *damni efficax causa, an solum occasio.*

III. Ut serventur ludi regulae. — Quaedam tamen astutiae in unoquoque ludo receptae adeoque licitae sunt; qua in re *communi ludentium consuetudine standum est*, nisi aliter expresse ludentes convenerint. — Qui fraude alteri certo nociva usus est, restituere debet tum lucrum quod percepit, tum illud quod alter percepturus fuisset.

IV. Ut servetur aequalitas inter ludentes ex parte tum praemii expositi, tum peritiae. Inaequalitas tamen peritiae compensari potest, si peritior augeat praemium vel alteri quaedam concedat commoda. Neque haec aequalitas requiritur in casu praemii gratis propositi. — Omnis etiam iniustitia abest, quando ludentes libere in notam sibi ludi inaequalitatem consentiunt, quia scienti et volenti non fit iniuria; vel si ludunt duo sibi vicissim ignoti, quia uterque libere se exponit periculo inveniendi lusorem peritiorem.

N. B. Aliae conditiones requisitae ut ludus sit omni ex parte licitus, in aliis expouuntur tractatibus.

Ius civile nullum ludi (neque sponsionis) contractum irri- 336.
tat; negat tamen actionem civilem sive ad exigendum debitum ex ludo (vel sponsione) ortum — excepto ludo ad corpus exercendum habito — sive ad repetendum solutum, nisi victor dolo vel fraude usus fuerit.

De minoribus et aliis ad contrahendum inhabilibus resolvendum est secundum dicta n. 143 sqq. — Utrum vero inhabiles, in casibus lege inhabilitatis vere comprehensis, lucrum ex ludo retinere possint, res dubia videtur; quia ex una parte aequalitas spei et periculi inter ludentes deesse videtur, ex altera tamen parte lex lata est in favorem solorum inhabilium.

De ludo aleatorio *(hazardspel)* cfr. Cod. poen. art. 456 seq.

ARTICULUS III.

DE SPONSIONE (1).
(*Art.* 1825-1828).

Sponsio *(weddingschap)* est contractus quo duo vel 337.
plures de rei veritate vel aliquo eventu contendentes spondent praemium obventurum illi qui veritatem fuerit assecutus.

Conditiones ad sponsionis iustitiam requisitae sunt:

I. Ut res seu eventus, de quo spondetur, eodem sensu sumatur seu intelligatur ab utroque spondente.

II. Ut eventus sit utrique incertus. — Quodsi alter de rei veritate sit plane certus, idque alteri sincere notum faciat, adhuc communiter negant sponsionem esse iustam, non pauci tamen affirmant, idque Sporer n. 829 probabile dicit, certoque admitti potest, si intelligatur de hypothesi quod contradicens non tam intendat stricte spondere quam conditionate donare velle.

ARTICULUS IV.

DE SORTITIONIS CONTRACTU.

Sortitionis *(loterij)* contractus est is quo plures 338.
stato pretio ius acquirunt sortiendi, quisnam rem

(1) Sporer, Tr. VI, n. 829.

exhibitam vel pecuniam sit accepturus, vel quinam multum, quinam parum, quinam nihil sint habituri.

Conditiones requisitae sunt:

I. Ut omnis absit fraus, sive in schedis educendis, sive in solvendo quod promissum est.

II. « Plures AA. (1) opinantur iustitiam requirere ut, nisi in opus pium [vel publicam utilitatem] fructus loteriae adhibendus sit, lucrum moraliter excedere nequeat id quod loteriam instituens percepisset, si pecuniam vel merces suas in aliud honestum negotium impendisset. — Alii tamen (2) probabilius censent hanc regulam esse aequo severiorem: eo quod iustitia in contractu aleatorio est in aequalitate periculi inter ludentes et in aequalitate spei, non in aequalitate lucri ex ludo et negotiatione....

Attamen ubi multum crescit lucrum loteriae, fere necessario laedetur aequalitas omnino requisita inter spem et pretium. — Id non obtinet, quando in opus pium [vel publicam utilitatem] fructus loteriae adhibendus est, cum participantes tunc sponte consentiant, ut plus dent quam accipiant ». Génicot I. n. 663.

339. Ius civile nostrum generatim prohibet omnem sortitionem, pro qua concessa non fuit licentia lege requisita. Porro pro sortitione quae unice instituitur ad finem beneficentiae vel in favorem scientiae, artis aliusve boni communis, et cuius praemia non in pecunia, huicve aequivalentibus chirographis *(geldswaardig papier)* consistunt, neque coniunctim valorem 100 florenorum excedunt, requiritur licentia moderatorum municipii *(burgemeester en wethouders);* quem valorem si superent, requiritur licentia regia, proponente regio Ministro pro iustitia, obtinenda: ita ex lege 6 Iunii 1905 Stsbl. n. 171, qua revocata est lex 22 Iulii 1814 Stsbl. n. 86. Lex tamen illa generatim non spectat ad sortitionem publicam « *Nederlandsche Staatsloterij* ».

Publicam istam Guberniorum sortitionem, etsi in se est licita, et iuste quoque fieri supponitur, experientiâ tamen con-

---

(1) Ut Gury I n. 493; Lehmk. I n. 1137.

(2) Ut Palmieri ad Ballerini III, Tr. VIII, p. III, n. 614; ed. 3ª n. 926.

stat esse valde periculosam atque multis occasionem peccandi deficiendo suis officiis erga familiam aliosve, etc.: fovet enim aestuosam lucri sitim, laboris amorem extinguit, fortunas frequenter absumit, etc.; cfr. Palmieri ad Ball. l. c.; Aertnys I, n. 514.

CAPUT TERTIUM DECIMUM.

DE CONTRACTIBUS SUBSIDIARIIS.

ARTICULUS I.

DE FIDEIUSSIONE (1).

(*Borgtogt. — Artt.* 1857-1887).

340. I. **Fideiussio** est contractus, quo quis in se suscipit alienam obligationem implendam, si debitor principalis eam non impleverit. Contrahitur inter creditorem et fideiussorem. — Est contractus non solemnis; et quamvis ordinarie non tamen necessario gratuitus; contra quosdam. — Obligatio fideiussoris transit ad heredes. Admittitur quoque fideiussio fideiussionis.

Communiter admittunt etiam fideiussionem pro obligatione postea solum suscipienda; sed num in casu fideiussor ante susceptam obligationem principalem pro arbitrio resilire possit, non conveniunt; communius affirmant (2).

II. Ut valida et firma sit fideiussio, requiritur contractus principalis validus et firmus, vel qui saltem impugnari non possit nisi per exceptionem obligato, puta minori vel uxori, propriam. Neque extendi potest ultra obligationem principalem, neque iniri sub conditionibus magis onerosis; si aliter est inita, non quidem irritatur, sed reducitur ad mensuram obligationis principalis.

---

(1) Sporer, Tr. VI, n. 906 sqq.

(2) Cfr. Marres n. 430.

341. Obligatio fideiussoris. I. Non solvente debitore, solvere tenetur fideiussor.

Attamen 1° per se postulare potest, ut *prius bona debitoris excutiantur,* modo bona sufficientia indicet, et ipse in antecessum expensas ad hoc necessarias creditori praestet. — *Excipe:* a) si huic beneficio renuntiavit; b) si in solidum cum debitore se obligavit; c) si debitor exceptionem sibi propriam opponere potest; d) si debitor iam foro cessit; e) in casu fideiussionis iudiciariae, i. e. ex sententia iudicis susceptae.

2° Exspectare potest *iuridicam interpellationem;* uti ex art. 1870 deducit Marres n. 433.

3° Num postulare possit, ut antea debitor fuerit *in mora* constitutus, dissentiunt. Inter nostrates affirmat De Pinto (1), negant Diephuis (2) et Opzoomer (3).

II. Si plures sunt fideiussores pro eodem debito, unusquisque de toto debito appellari potest; sed etiamqui appellatur, exigere potest, ut creditor actionem dividat, nisi beneficio divisionis renuntiaverit.

Nota. Qui ficte solum fideiussit, ut ad instantiam creditoris quandoque fit, si quidem bona fide egerit, ante sententiam iudicis non videtur obligandus ad solvendum; sed alind est si aliquo saltem modo praeviderit debitorem non fore solvendo, adeoque sciens volens causam damni creditoris dederit. Cfr. n. 130.

342. Iura fideiussoris. Postquam solvit:

I. Recursum *(verhaal)* habet contra debitorem pro summa soluta, pro fenere, atque si tempestive debitorem de lite sibi intentata monuerit, pro impensis, et tandem pro damnis si adfuerint.

II. Subrogatur omnibus iuribus quae creditor habebat contra debitorem.

Nota. Non contra debitorem sed solum contra creditorem fideiussor recursum habet, 1° si de *facta* a se solutione debitorem non monuit, et hic secunda vice solverit; 2° si solverit non iuri-

(1) § 1104.
(2) XIII pag. 323.
(3) XI pag. 131.

dice interpellatus neque praevie monito debitore de *facienda* seu proposita solutione (1).

III. Quandonam fideiussor, etiam non solverit, agere possit contra debitorem, ut ab eo indemnis servetur, vel sua obligatione liberetur, vide art. 1880.

Extinguitur fideiussio: I. Generatim sicut aliae obligationes. 343.

II. Speciatim 1° quando facto creditoris fideiussor ipsius iuribus, hypothecis et privilegiis subrogari nequit.

2° Quando creditor bonum immobile aliamve rem in solutionem acceptavit, etiamsi postea evincatur.

ARTICULUS II.

DE PIGNORE (2).

(*Pand.* — *Artt.* 1196-1207).

Pignus est contractus quo debitor rem aliquam *mobilem* creditori suo *tradit* in securitatem debiti. 344.
Quid speciatim requiratur, si res incorporea, puta creditum, in pignus datur, vide artt. 1198, 1198 bis, sq. — Pignus dari potest etiam ab alio nomine debitoris. — Contractus pignoris probatur iisdem modis, quibus obligatio principalis.

N. B. De antichresi *(pand op onroerend goed)* ius nostrum non loquitur. Quare, quia neque reiicitur vel prohibetur, si forte ineatur, ex sola ipsorum debitoris et creditoris conventione atque ex principiis de contractibus in genere de ea iudicandum erit.

Ius pignoris. I. Pignus creditori tribuit ius exigendi debiti solutionem ex re oppignorata, idque prae ceteris creditoribus. Privilegium hoc non subsistit nisi quatenus res tradita remaneat in possessione creditoris vel tertii de quo inter creditorem et debitorem convenit. 345.

II. Creditor ius habet rem oppignoratam detinendi usque ad integram solutionem factam: i. e. donec debitor sa-

(1) Cfr. Diephuis XIII pag. 379 sq.; Opzoomer XI pag. 169 sq.

(2) Sporer, Tr. VI, n. 928 sqq.

tisfecerit tum debito principali tum huius accessoriis, modo tamen re ne abutatur.

Imo si novum debitum oriatur, cuius solutio exigi potest ante solutum prius debitum vel eo ipso die quo hoc solvitur, creditor detinere pignus potest donec utrumque debitum integre sit solutum, licet de hoc nihil expresse sit stipulatum.

III. Creditor, etiamsi debitum ipsi non solvatur, *ex iure civili* numquam propria auctoritate rem in pignus datam sibi appropriare potest. Omne pactum contrarium est irritum. — Tantum

1° Via iuris exigere potest ut res, modo a iudice determinando, vendatur; vel ut res sibi in solutionem tribuatur ad valorem iudicis sententia aestimandum. Vel

2° Creditor nisi aliter conventum est, *elapso termino* ad solvendum definito, *vel si* terminus definitus non est, *debitore monito (na eene sommatie)* de solutione, pignus publice vendendum curare potest servatis consuetudinibus consuetis; vel si in pignus datae sunt merces aut census publici *(koopmansgoederen of effecten)*, quae in nundinis vel in foro distrahuntur *(ter markt of ter beurze verhandelbaar)*, ibidem venditio fieri potest intervenientibus duobus proxenetis publica auctoritate ad hanc negotiationem institutis *(makelaars in het vak)*.

Alienationem pignoris quovis modo factam creditor debitori saltem die proximo significare debet.

346. I. Creditor praestare debet de interitu rei oppignoratae hujusve in peiorem mutatione ipsius negligentia ortis.

II. Debitor vicissim compensare debet creditori impensas necessarias vel utiles ad rei conservationem praestitas.

III. Fenus, si quod pignus producit, computatur pro fenere quod creditori debetur, vel, si non debetur, pro ipso debito solvendo.

347. Ius pignoris est indivisibile, etiamsi debitum inter debitoris vel creditoris heredes dividi possit; consectaria vide art. 1206.

Nota. Hae regulae *non* applicantur in materia commerciali, neque montibus pietatis publica auctoritate constitutis (1), *in quan-*

(1) Cfr. Caput de Mutuo.

tum in Cod. com. (1) vel specialibus decretis aliter est quoad ea dispositum.

ARTICULUS III.

DE HYPOTHECA (2).

(*Onderzetting.* — *Artt.* 1208-1268).

348. I. **Hypotheca** est ius reale in bona immobilia (3), ut ex illis solutio debiti obtineri possit. Est ius indivisibile afficiens singula bona obligata et singulas eorum partes pro integro debito; atque transit ad quoslibet rem retinentes.

II. In iure nostro sola conventionalis agnoscitur hypotheca. — Tantum tutores et curatores lege iubentur dare hypothecam: iidemque sicut et quilibet alii qui ex conventione hypothecam dare tenentur, ad hoc cogi possunt iudicis sententiâ, quae liberum obligati consensum supplebit. Artt. 390 sqq., 506, 1217.

III. Hypotheca concedi nequit nisi per actum authenticum — exceptis casibus lege diserte expressis: cfr. dictum sub II — neque constitui potest nisi in bonis praesentibus; cfr. tamen art. 1220. In quantum requiratur ut et debitum sit determinatum, vide art. 1221.

IV. Ut hypotheca conferat privilegium, requiritur ut sit inscripta in publicis tabulis ad hoc destinatis.

Plures hypothecae in iisdem bonis constitutae ordinantur secundum diem inscriptionis; quae eadem die quamvis non eadem hora inscriptae sunt aequale conferunt privilegium. Exceptiones vide art. 1227 seq.

V. Inscriptio fit sumptibus debitoris, *nisi* adsit stipulatio contraria. In iure nostro perdurat etsi non renovetur. Solum per exceptionem lege speciali 5 Iunii 1878, Stsbl. 90, praescriptum est ut intra biennium a die 1 Ian. 1879 inscriptiones

---

(1) Vide artt. 80, 312-316, 750, 4°.

(2) Sporer, l. c.

(3) Art. 1210 enumerat ea immobilia in quibus *solis* constitui possit.

factae renovarentur. Post illum terminum elapsum denuo quidem inscribi potuerunt; sed, amisso antiquae inscriptionis privilegio, ordinantur secundum novam inscriptionem.

CAPUT QUARTUM DECIMUM.

DE TRANSACTIONE.

(*Dading.* — *Artt.* 1888-1901).

349. I. **Transactio** est contractus quo partes cessione, promissione vel retentione alicuius rei litem inter ipsos exortam dirimunt, vel exorituram praecavent. Requiritur *scriptura*, idque ex verbis legis obvio sensu acceptis *ad valorem;* sunt tamen qui negant; cfr. Marres n. 512; V. Egeren, fasc. XII, n. 65. — De tutoribus et curatoribus, item municipiis et institutis publicis vide art. 1889.

II. Fieri potest etiam *de consectariis civilibus delicti*, sed non impedit actionem ministerii publici.

III. Inter partes vim habet rei iudicatae idque in modum irrevocabilem *(kracht van gewijsde in hoogste ressort)*.

IV. Transactio supponit, adeoque ad valorem *ex utroque iure requirit ius dubium*. Non tamen requiritur, ex communi, dubium obiectivum; sufficit subiectivum etiam ex parte unius contrahentium, idque etiamsi ex mera ignorantia nascatur; cfr. Marres n. 511.

V. Impugnari nequit ob laesionem vel ignorantiam iuris, sed tantum ob errorem quoad personam vel obiectum, de quo lis est, atque ob dolum et vim. Quare etiam 1° si facta est ex errore facti respectu tituli irriti, nisi de ipsa tituli nullitate transactum sit; 2° si innixa est instrumentis quae postea falsa reperta sunt; 3° si facta est de lite iam decisa per iudicium irrevocabile, quod utraque vel alterutra pars ignorabat; aliud est si adhuc appellationi locus erat; 4° si facta est de unico obiecto in quo unum ex transigentibus nullum ius habuisse comperiatur titulis postea inventis; secus si facta est de omnibus negotiis quae partes inter se habere poterant; nisi tamen per factum alterutrius tituli fuerint occulti.

Error in calculo corrigi debet, sed non infirmat transactionem.

Appendix de compromisso.

(*Cod. Act. civ. artt.* 620-657).

350. I. **Compromissum** est contractus quo partes conveniunt de lite inter se orta vel oritura per arbitros dirimenda.

Ex iure civili 1° requiritur scriptura sub poena *nullitatis* (1). — Non potest valide iniri quoad res, de quibus ex lege transigi nequit, neque quoad quasdam alias, de quibus art. 621.

II. Arbitri *per se* non habent mandatum nisi controversiam *diiudicandi,* consequenter aeque ac iudices secundum generales iuris regulas sententiam proferre debent.

Dicitur « *per se* » i. e. nisi insuper sibi datam facultatem habeant *transigendi* litigantium nomine seu, ut habet art. 636, iudicandi ut viri boni secundum aequitatem.

Nota pro praxi. « Cum autem, ut quotidiana experientia constat, lites et controversiae melius et aptius transactione extinguantur, suadendum est contrahentibus, ut arbitris etiam facultatem utriusque nomine transigendi tribuant (2) ». Tribuant autem *expresse,* quia secus illa facultas data non censetur.

---

(1) Ita art. 623. Nihilominus Marres n. 515 *probationis tantum* causa requiri scripturam absolute docet. Qua ratione nescio.

(2) Marres n. 517.

TRACTATUS III.

DE INIURIA ET RESTITUTIONE

SECTIO I. DE INIURIA ET RESTITUTIONE GENERATIM.

CAPUT PRIMUM.

INIURIAE ET RESTITUTIONIS NOTIO.

ARTICULUS I.

INIURIAE NOTIO (1).

351. **Offensa, iniustitia, iniuria, damnum.**

Offensa abstrahit a iuris alieni laesione, estque *alieni animi irritatio,* quae min. alteri sufficiens motivum ac quasi ius quoddam tribuit ad iram, indignationem etc.

Iniustitia et iniuria sunt *iuris alieni laesio.* Distinguuntur seu magis minusve stricte tales sunt ut ipsa iura quae laedi possunt: cfr. n. 8. — Duo haec promiscue sumi consuevere; quamquam proprie *iniustitia in agente* est, *iniuria in patiente.*

Damnum alterius potest esse iniustitiae seu iniuriae *effectus.* Hinc

Definitur injuria (proprie dicta): *iuris alieni* (stricti) *laesio* (passive sumpta).

(1) Sporer, Tr. IV, n. 42 sqq.

Distinguitur 1° ratione *agentis:* iniuria *materialis* et 352.
formalis, prout sine vel cum culpa ius alterius laeditur.

2° Ratione *obiecti:* iniuria *personalis,* qua ius alterius laeditur in ipsa persona, sc. in bonis animi vel corporis; et *realis* i. e. in bonis externis.

3° Ratione *effectus:* iniuria *mera* et *damnosa* prout inde non sequitur vel sequitur damnum: cfr. n. 360, II, sqq. 368 sqq.

Scienti et consentienti non fit iniuria. Haec re- 353.
gula iuris intelligitur tantum de consentiente i. e. de cedente iure suo et libere i. e. absque errore, dolo vel metu iniusto, et valide i. e. quoad ius cui renuntiare potest. Ad quod posterius dictum quoad iura quae abdicari nequeunt

Nota. Sporer (1) distinguit. Quoad eos qui *non sunt sui iuris,* cum aliis concedit eorum consensum esse plane inefficacem. — Verum pro nostro iure civili paulo aliter resolvendum ex dictis de inhabilitate generali ad contrahendum n. 143 sqq.

Quoad eos vero, qui *sunt sui iuris,* censet ipsis consentientibus non fieri iniuriam, sed *solum aliis* vel personis vel statui, pro quibus, vel in quorum iuris laesionem consentire certe efficaciter non potuerunt; ut si quis consentiat in sui occisionem, clericus in violationem suae immunitatis, maritus in adulterium uxoris. Quam opinionem communem dicit. Cfr. Vermeersch n. 142 sqq. — Alii tamen censent consensum in laesionem talium iurium, quae abdicari non possunl, *etiam relate ad ipsum consentientem* nihil efficere (2).

Aliud est, si cum tali iure simul alia iura *ipsius consentientis* laeduntur; ut si secutura praevidentur damna in bonis fortunae.

ARTICULUS II.

RESTITUTIONIS NOTIO, OBLIGATIO, TITULI (3).

Satisfactio. Restitutio late et stricte dicta. 354.

I. Satisfactio debetur pro *pura offensa et mera iniuria,* atque consistit in hoc, quod quis in offensi vel laesi gratiam, il-

(1) N. 49 sq.
(2) Cfr. Ball.-Palm. III, pag. 240 sqq., ed. 3ª n. 272 sq.
(3) Sporer, Tr. IV, n. 51 sqq.

liusque reconciliandi causa, sive agendo sive patiendo aliquid molesti subit. — Quare satisfactio *pro iniuria* est actus iustitiae vindicativae, proinde non debita nisi post sententiam iudicis: *pro offensa* autem debetur ex caritate et pacis humanae virtute.

II. Restitutio sensu *latiori* et minus proprio non supponit ius alterius violatum, et sumitur pro omni executione eius, quod quis ex iustitia praestare debet.

III. Restitutio *stricte* sumpta debetur *pro iniuria damnosa.* Passim hoc fere modo definitur: actus iustitiae commutativae quo ad alterius ius strictum reparandum res aliena domino redditur, vel damnum iniuste illatum compensatur; — brevius: *iuris alieni laesi reparatio.*

N. B. In sequentibus semper, nisi aliud dicatur, agitur de restitutione stricte sumpta.

355. Obligatio restitutionis iam probata est n. 9. — Constat praeceptum restituendi esse *partim affirmativum,* cum obliget ad actum positivum; *partim negativum,* quia prohibet, ne retineatur id quod alteri debetur; quare obligat etiam ad restituendum *statim,* moraliter tamen. Quale primario sit dicendum, non conveniunt. Cfr. Sporer n. 80-83.

356. I. Titulus generalis seu causa vel radix restitutionis debitae, ut iam insinuatum, est *damnum* iniuste illatum. Damnum autem inferri potest bona vel mala fide, potest esse inferenti lucrosum vel inutile. Hinc varii varios, alii plures, alii (numero non re) pauciores titulos speciales deducunt.

II. Tituli speciales apte et communius ad duos reducuntur; qui sunt 1° *res accepta,* 2° *iniusta acceptio.* Quo posteriori titulo comprehensa etiam intelliguntur iniusta damnificatio (non lucrosa, et cooperatio ad utramvis) et retentio (1).

Contractus laesus vel non servatus pro variis circumstantiis ad alterutrum ex dictis titulis reducitur.

III. Differunt inter se hi tituli:

1° Posterior supponit ius alterius *per culpam* esse laesum, non ita prior. Quod alii ita accipiunt, ut prior titulus omnino sup-

(1) Molina, D. 717.

ponat *abesse culpam*, alii ita ut solum *abstrahat* a culpa. Quare possessorem malae fidei alii dicunt ad restitutionem teneri ex titulo iniustae acceptionis, alii vero ex utroque simul titulo; quod tamen practice eodem redit.

2° Prior titulus supponit, aliquid alieni *detineri* in se vel in aequivalenti; non vero posterior.

3° Mensura restitutionis ex re accepta est *res ipsa* aliena, in quantum possidetur in se vel in aequivalenti; ex iniusta acceptione vel damnificatione est *damnum* alteri illatum.

Exponenda speciatim solum sunt 1° res accepta, supposito abesse culpam; 2° iniusta damnificatio, abstrahendo ab iniusta acceptione seu possessione; 3° iniusta cooperatio.

ARTICULUS III.

DE RE ACCEPTA.

Quaestio. Quandonam titulus rei acceptae, seu obligatio restituendi ex illo *solo* titulo existit? 357.

Resp. I. Si res aliena in natura exstat apud possessorem bonae fidei, qui tamen revera nullum, nisi forte vitiosum eam detinendi titulum habet, et de huius possessoris erga dominum obligatione quaeritur, nulla est difficultas, nullum dubium; *res clamat ad dominum.* — Extra hanc hypothesin, i. e.

II. Si res aliena iam non extat in natura apud eum, de cuius obligatione erga rei illius dominum quaeritur, ab omnibus admissa

Regula generalis est: ad restitutionem tenetur is, qui 1° *ditior factus est* 2° *ex re aliena* 3° *cum iactura domini;* qui etiam dicitur rem alienam detinere *in aequivalenti.* — Verum haec regula explicatione, partim etiam probatione indiget (1).

Explicatur regula per partes. 358.

---

(1) Recole quae generatim monuimus de valore et usu regularum quae ad conscientiam formandam conducunt in Tr. de Consc. n. 76.

I. Ditior factus dicitur is, qui plus habet, quam habuisset, si rem alienam non possedisset. *Hanc* conditionem requiri fere omnes consentiunt. Et ratio patet. Qui enim neque rem alterius detinet, neque inde dictior factus est, nullo vero sensu aliquid alieni possidere, seu titulum rei acceptae habere dici potest. — Hinc ad restitutionem ex communissima non tenetur is, qui bona fide consumpsit rem ab aliquo non domino *emptam,* vel rem alienam *sine lucro* alienavit (1).

359. II. Ex re aliena dictior factus

1° *Proprie* dicitur is, qui detinet fructus ex ea perceptos, quos vel in quantum eos *non propria industria* acquisivit. Hunc ad restitutionem teneri, iterum omnes docent; neque speciali probatione indiget, cum clare sequatur ex regula indubitata: *res fructificat domino* (2). Sed hoc proprie pertinet ad hypothesin rei in natura extantis; n. 357, I.

2° *Minus proprie* — satis recte tamen — dicitur de eo, qui rem alienam titulo *gratuito* acquisitam consumendo rebus suis pepercit. Quod quidem moraliter idem est ac fructum ex re percepisse. Quare et hunc ad restitutionem teneri, rursus conveniunt. Magis autem probabitur n. 361.

3° *Improprie* — et minus recte, ut videtur, — dicitur de eo, qui rem alienavit cum lucro vèl proprie dicto (saltem in quantum hoc non propriae industriae debetur) vèl improprie dicto, sc. rem propriam servando. De huius obligatione non ita communtter conveniunt. Sed de hoc n. sq.

360. III. Cum iactura domini. Haec conditio praecipue consideranda est tum quia cum ea connectitur conditio II^a, tum quia hic ea, quae inter AA. sunt controversa, vertuntur. Ideo

(1) Attamen in casu, quo quis bona fide *vendidit* rem alienam titulo oneroso acquisitam, sunt qui ex venditionis nullitate concludunt, venditorem teneri pretium reddere, per se quidem emptori, in casu tamen rei domino ex praesumpta emptoris voluntate. Sed venditionem illam fuisse plane nullam, consequenter de hoc ipsius emptoris iure extra casum evictionis vel spontaneae (non praeproperae et ideo venditori nocivae) restitutionis nequaquam constat. Cfr. dicta de obligationibus venditoris n. 241, sqq. Quidquid est, haec obligatio, si existit, est potius ex contractu.

(2) Ita est attento solo iure naturae: aliter in hypothesi ex iure civili nostro: cfr. n. 57, 3.

Quaeritur. Quo sensu ad obligationem restitutionis inducendam requiritur, ut quis ditior factus sit cum iactura domini?

Resp. I. Sunt casus, quos communiter AA. resolvunt, ac si *sufficeret haec duo concurrere,* quod nim. *èt* quis per rem alienam quovis modo ditior factus est, *èt* dominus damnum cepit. Sed

II. Nonnulli, praecipue inter recentiores, *requirunt nexum inter illa duo,* ut sc. utrumque sit unius *causae effectus* (n. 352, 3°). ita ut quod cessit in emolumentum unius, cesserit in damnum alterius. Casus controversi pertinent ad hypothesim n. pr. 3°. Ad hanc sententiam accedo; et hoc sensu intellecta, quantum adhuc opus.

Probatur regula, sc.: ad restitutionem tenetur, qui ex re 361.
aliena ditior factus est in damnum domini.

Principium ab omnibus admissum est: restitutio proprie dicta semper et solum debetur ob iniuriam damnosam (n. 354, III), supposito, si deest culpa theologica, rem alienam possideri in se vel in aequivalenti (n. 357 et 364).

Atqui iniuria damnosa adest in casibus n. 359, 2°; deest vero in casibus, de quibus ibidem sub 3°. — Pars prior per se patet.

Probatur posterior pars. Qui rem alienam *non consumit, sed alienat* quovis modo, iniuriam (in hypothesi materialem) certo admittit; sed damni causam non dat. Res enim èt superest, èt per se manet in eodem statu. Sed et domini conditio non mutatur, cum ius suum in rem contra actualem possessorem retineat. *Adest* ergo *iniuria;* adest vel rectius aderat iam *et damnum* domini; sed cum illud damnum non sit ortum ex illa iniuria, *non adest iniuria damnosa;* ergo neque obligatio restituendi.

Confirmatur. 1° *Ex parte domini* rei alienatae: in com- 362.
muni sententia dominus, servato suo iure in rem contra possessorem actualem, acquisivisset praeterea ius in pretium rei contra alienantem. Sed huius posterioris iuris nulla ratio afferri potest; neque enim damnum iniuste ei datum, ut probatum est, neque contractus cum eo initus.

2° *Ex parte alienantis.* Hic a) quoad pretium, si accepit, obligatur erga alterum contrahentem. Nam contractus initus est vèl

plane irritus vèl rescindendus; in utraque ergo hypothesi pretium reddendum est, suppositis supponendis, alteri contrahenti. In communi autem sententia alienans manet insuper obligatus erga rei dominum. Sed enim de hac obligatione redit quod supra dictum est. — b) Si gratuito rem alienavit, non quidem obligationem contraxit erga alterum contrahentem; sed nihilominus quoad rem propriam servatam de ipsius obligatione erga rei alienatae dominum idem rursus, quod supra, dicendum recurrit.

Obiiciunt 1° Rei alienatae dominus ius habet, ut vèl rem suam vèl eius pretium seu aequivalens accipiat. Atqui rem, ut supponitur, non recuperat. Sed rei pretium vel aequivalens est penes alienantem. Ergo.

Resp. Rei dominus ius habet, ut unum *vèl* alterum *accipiat: Concedo.* Antequam alterutrum accepit, habet *èt unum* ius in rem, *èt alterum* in aequivalens *simul: Nego.* — Vel alio modo: hoc ius habet contra unam eamdemque personam: *Concedo;* nam hoc est *unum* ius. Contra diversas personas: *Nego;* quia foret *duplex* ius, quod deficiente tum culpa tum contractu non probatur.

2° Aequitas naturalis postulat, ut alienans potius *lucro* cedat quam ut dominus *damnum* ferat.

Resp. Aequitas hoc *suadet: Transeat.* Postulat, seu iustitia *exigit: Nego.*

363. I. Resolvitur itaque ex sententia communi:

1° Ad restitutionem *obligari* qui rem *gratuito acceptam* bona fide *vendidit,* supposito sc. dominum rem ipsam recuperare non posse.

Si tamen apud emptorem res naturaliter vel casu (1) *periit,* dissentiunt, utrum domino an emptori pretium sit restituendum. Alii favent domino, non emptori quia huic nullitas contractus non nocuit. Alii favent emptori, non domino, quia huic res periit.

Quodsi in eadem hypothesi *res aeque periisset* apud dominum, plures venditorem omnino deobligant; tum sc. cessat pro domino ratio damni accepti.

---

(1) Si enim res periit vitio *intrinseco,* quod tempore contractus iam existebat, obligatio venditoris erga emptorem pertinet ad naturam contractus.

Carriere (1) praeterea deobligat eum qui rem utiliter impenderit, *si* rem acquisiverat *ab aliquo emptore;* tunc enim idem est, ait, ac si ipse emisset, quia successit in iura sui auctoris. Adde: in casu semper duo saltem rem alienam in aequivalenti possident; sc. *primus venditor* et *donatarius* de quo in casu. Certo autem non uterque eodem hoc titulo obligatus erga dominum videtur. Sed si alteruter tantum, ergo potius primus venditor, qui vèl primus rem occupavit, vèl successit ditiori facto.

2° Pariter ex sententia communi resolvitur ad restitutionem *obligari* eum qui rem *gratuito acceptam* alteri *donavit, si* loco rei alienae propriam donaturus fuit.

Hic autem Carrière l. c. absolute a communi sententia recedit, quia non proprie, summum occasionaliter, ex re aliena ditatus est, et sine damno domini. Adde: etiam hic ex communi sententia sequi posse, ut plures eodem hoc titulo obligentur.

II. Resolvitur econtra ex alia opinione in praedictis casibus omnibus — alienationis sc. non consumptionis — *alienantem non obligari ex iustitia* erga rei dominum.

III. *Notandum. Ex charitate* datur *obligatio monendi* sive ipsum dominum, sive eum qui vere ex iustitia erga dominum obligatur (puta emptorem vel donatarium), quoties ex utravis opinione non est obligatio restituendi, et monitio sine proprio relative gravi damno fieri potest; practice igitur facilius obligabitur donator, quam venditor.

ARTICULUS IV.

DE INIUSTA DAMNIFICATIONE (2).

§ I. — *De certa damni causa.*

Quaestio. Qualis, *secluso contractu,* debet esse actio (3), quae *in foro conscientiae* et *non expectata sententia iudicis* obligationem restituendi inducat? — Cfr. n. 384. 364.

(1) Comp. 371, II et 373 « Dixi ».

(2) Sporer, Tr. IV, n. 84 sqq.

(3) Nomine actionis intelligitur hic etiam omissio actionis debitae, ut negligentia vel imprudentia.

Resp. Debet esse 1° iniusta, 2° efficax damni causa, 3° theologice culpabilis; seu vere, efficaciter et formaliter iniusta. Quae conditiones exponendae et probandae sunt. Sit itaque

CONDITIO I: *Actio debet esse iniusta.*

365. Ut actio dicatur iniusta, duo requiruntur:

1° ut alter ius strictum habeat in bonum quo spoliatur;

2° ut agens non habeat ius alteri nocendi. Quale ius v. g. iudex habet condemnandi reum convictum et quisque habet vitam suam defendendi, etiam, si opus est, cum occisione iniusti aggressoris.

Ratio: quia ex una parte iniuria haberi non potest, nisi supposito iure stricto in laeso; ex altera vero parte, supposito etiam iure stricto, nemini facit iniuriam, qui utitur iure suo. Sed ulterius, nisi ob iniuriam non datur obligatio restituendi; ergo.

366. Quaeritur num iniusta ex hoc capite sit actio, qua quis alterum impedit a consequendo bono.

Resp. I. Affirmandum, *si ius* strictum (sive in re sive ad rem) in illud bonum alter habeat; neque tunc refert, qualibus mediis impediens utatur. Ratio patet ex supposito, sc. iuris alieni laesi absque iure alteri nocendi.

II. Affirmandum item, *etsi solam spem* seu ius in spem illius boni assequendi alter habeat, *sed mediis iniustis* impediens utatur.

III. Negandum solum est, *si et solam spem* alter habeat, *et mediis non iniustis* impediens utatur.

Ratio II et III est, quia etiam *sola spes* per se iunctum secum habet aliquod *ius* sed *solum ne mediis iniustis* frustretur. Cfr. n. 380, III.

367. *Nota ad II.* 1° In casu restituendum est pro rata certitudine vel probabilitate illud bonum consequendi; spes enim minus valet quam res.

2° Supponitur iniustitia mediorum erga ipsum, qui bonum consequendum sperabat. Quodsi media iniusta immediate solum

sunt erga eum qui bonum *collaturus* erat, vide quae dicentur de causa accidentali posita cum vel sine praevisione et intentione damni secuturi: n. 368, III, sq. 378 sqq.

3° Supponitur praeterea tum collaturus sine peccato bonum illud conferre posse, tum alter ille dignus qui bonum illud consequatur. Secus enim spes consequendi, esto adsit, nullum tamen videtur ius conferre.

Casus negandi foret: si uxor maritum metu vel fraude impediret a prodiga donatione; si pauper fraude impediretur a consequenda eleemosyna, qua abusurus praevidetur. In huiusmodi casibus iniuria admittenda non videtur relate ad impeditam boni consecutionem, esto admittenda quandoque certo sit alia, seu sub alio respectu, puta relate ad famam laesam (1).

Quodsi forte bonum commune periclitetur, ut si agatur de impediendo ne indigno vel inepto officium aliquod conferatur, in hanc resolutionem communiter consentiunt (2).

Conditio II: *Ut actio sit efficax damni causa.*

368. I. Supponitur damnum revera secutum, et requiritur, ut actio physice vel moraliter in damnum influxerit, ita ut damnum secutum agenti possit et debeat imputari. Ratio per se patet.

II. Non sufficit itaque causa mere occasionalis vel conditio sine qua non, quae sc. suapte natura in damnum nullatenus influit, sed qua posita alter sua actione, sive per ignorantiam sive per malitiam, damnum alicui infert. Exemplo sit homicidium vel furtum quod ex mero errore iudicis — cuius nim. erroris homicida vel fur non dederit causam — innocenti imputatur.

III. Neque sufficit causa accidentalis vel remota, quae sc. potest quidem naturâ suâ damnum afferre alteri, sed quae attentis circumstantiis *non habet probabilem connexionem* cum damno, ita ut hoc ex illa neque ut certo neque ut probabiliter secuturum praevideri potuerit. Exemplo sit levis negligentia vel

(1) Cfr. Génicot I, n. 514.

(2) De tota hac qu. cfr. Sporer n. 241-260, coll. Tr. V, n. 595

imprudentia (1), vel damnum unum coniunctum cum vel secutum ex alio damno. Sed

369. Quid si in casu particulari praevidetur certo vel probabiliter secuturum damnum ex causa quae neque proxime neque frequenter, sed remote tantum et per accidens tale damnum creat?

Resp. 1° *Plures affirmant* oriri obligationem restitutionis, quia in casu talis causa, etsi non per se, tamen per accidens est efficax.

2° *Communius negant.* Ratio ex De Lugo (2) est, quod talis causa *non est iniusta*, seu quod virtus iustitiae non prohibet illas etiam actiones, ex quibus remote solum et per accidens damnum alterius sequitur. Quod probat ex paritate cum aliis virtutibus, speciatim cum virtute castitatis quoad effectum pollutionis. Et hic, testatur, est « *communis sensus et praxis omnium* »; quod cum aliis concedit etiam Sporer Tr. V, n. 595.

370. In casibus particularibus saepius difficulter discernitur, num actio posita dicenda sit causa damni satis efficax, necne.

Speciatim dubitatur *de exemplo* quo quis praevidit alium ad damnum inferendum inductum iri. Communius AA. sentiunt exemplum *causam occasionalem* potius quam efficacem dicendam esse. Cum Waffelaert (3) distinguendum videtur exemplum formale quod consilio aequivalet, et materiale quod per se est mera occasio: practice autem exemplum plerumque materiale tantummodo censeri poterit.

Conditio III: *Ut actio sit theologice culpabilis.*

371. Distinguitur culpa *theologica*, quae voluntarie seu *cum peccato formali* admittitur; et *iuridica*, quae *a peccato abstrahit*, proin sine eo adesse potest.

Punctum I: *De culpa theologica.*

372. Requiritur culpa theologica, ut extra contractum et absque sententia iudicis onus restitutionis oriatur. Ita docent fere

(1) Quae tamen supponuntur perfecte voluntariae; nam de culpa interna, levi ex imperfectione actus, dicetur n. 373.

(2) Disp. VIII, n. 76 sq. et D. XI, n. 79.

(3) II. pag. 17.

omnes. Ratio: nisi voluntarie causa posita est, damnum ortum non moraliter imputatur agenti; non enim homo dominus est suorum actuum nisi humanorum (1).

Num gravis culpa semper requiratur ad gravem 373.
obligationem; et num obligationem saltem aliquam contrahat, qui grave damnum cum peccato *ex imperfectione actus* (2) veniali intulit, non conveniunt.

1° Secundum paucos integrum damnum compensare debet obligatione secundum alios *gravi*, secundum alios *levi*. *Ratio*, quia aequitas naturalis postulat, ut damnum potius luat nocens quam omnino innocens.

2° Secundum multos partem damni pro rata culpa, i. e. levem sub levi, reparare debet. *Ratio*: sic proportio servatur inter culpam et obligationem huiusque obiectum.

3° Ex communiori et probabiliori sententia ad nihil tenetur. *Ratio:* a) Non ad integrum damnum reparandum: nam non sub gravi quia non foret proportio inter culpam et obligationem; nec sub levi, quia obligatio *naturalis* in materia gravi non potest esse levis. Posterius hoc Sporer probat ex paritate, ex. gr. cum voto imperfecte voluntario. Qua iam ratione b) neque ad partem tenetur. Praeterea sicut causa ita et obligatio totum damnum afficit; consequenter vèl est ad totum vèl ad nihil. Ceterum damnificatus cum ratione praesumi potest nolle levem illam partem compensationis.

In praxi, quia raro praesumi potest culpa levis in gravi damnificatione, *ordinarie suadenda* est aliqua compensatio, vel amica compositio cum damnificato.

---

(1) « Inferens damnum, si peccaverit etiam formaliter sed putando peccatum non esse contra iustitiam vel non inducere obligationem restituendi, non tenetur ex hac radice ». Haec V. d. Velden n. 140. Illud prius, modo bene intelligatur, de errore sc. positivo et invincibili, admitti potest, neque a sensu communis sententiae discedere videtur, cum in hypothesi revera non adsit *iniuria* formalis. Posterius dictum vero nequaquam admittendum putaverim. Etenim a) restitutio ab iniustam damnificationem vel valde improprie dicitur poena, vel certe non solum est poena, quum eius obligatio ipso iure naturae ex iustitia laesa sequatur; n. 9, 2°; b) dato esse poenam, non erit tamen exorbitans sed ordinaria; et numquid forte etiam ad reatum poenae ordinariae contrahendum requiritur illius scientia?

(2) Cfr. notas in fine huius numeri.

Nota 1° Cum Waffelaert (1): praecedens resolutio *applicanda non est* casui quo quis *ex conscientia erronea* putat se tale damnum voluntarie inferendo venialiter tantum peccare; hic enim cessante errore sub gravi totum damnum reparare debet.

2° De eo qui *per plures culpas veniales deliberate* commissas grave damnum intulit, vide n. 551.

374. Qui inculpabiliter causam damni posuit, ex stricta iustitia, ut cum communissima contra paucos tenendum videtur, praecavere debet damnum; quod si *culpabiliter* negligat, obligatur ad damni reparationem. Quisque enim, sicut cavere ex iustitia debet, ne actione sua alteri noceat, ita etiam impedire debet ne malum ex actione sua imminens sequatur, secutumve perseveret.

Excusat tamen ab hac obligatione damnum proprium maius vel aequale vel saltem grave respective ad damnum alterius. Cfr. Carrière n. 1146.

375. Qui ante damnum secutum retractavit causam culpabiliter positam, reparare damnum

a) *Non tenetur,* si cum prava voluntate *etiam influxum* causae in effectum sustulit; quia tum damnum aliunde secutum est.

b) Si quacumque ex causa influxum efficaciter non sustulit, *tenetur in quantum* in confuso praevidit damnum, cum causam poneret (2); ob contrariam rationem. Est communis.

376. Qui invincibiliter errat *quoad quantitatem damni,* sciens tamen se grave damnum inferre, probabilius non tenetur restituere, nisi quantum in confuso saltem damnum apprehendit, quia in tantum solummodo illud est moraliter imputabile (3).

377. Quid si quis invincibiliter erravit *quoad ipsum quem laesit* et error ille causa fuit actionis damnificativae, ita ut positive voluerit tali tantum personae, non alii damnum inferre:

---

(1) II, n. 266.

(2) Idem est de eo qui causam inculpabiliter positam non sustulit, vel eius effectum non praecavit, quando auferre vel praecavere potuit et debuit; cfr. n. pr. et Vol. I, n. 12, 14.

(3) Est contra De Lugo Disp. VIII, n. 63. Cfr. Carrière n. 1152.

exemplum tritum est: Petrus vult occidere Caium inimicum, huiusve domum incendere; sed reapse per errorem occidit Paulum huiusve domum incendit.

Resp. Omnino adstruenda videtur obligatio reparandi damni cum communi antiquorum (ut concedunt S. Alph. et Sporer) et communiori recentiorum.

Ratio: in ordine ad iustitiam et iniuriam is ipse qui laeditur, est quid mere accidentale, ita ut hic error non attingat actionis substantiam sed relinquat actionem iniustam, efficacem et culpabilem. Hic itaque error non excusat, nisi, ut n. pr. dictum, ab eo damno quod neque in confuso praevisum est.

Sunt tamen, etiam graves AA (1), qui negant vel negantem opinionem probabilem dicunt; quia respectu Pauli, in casu reapse laesi, iniuria non fuit formalis. Sunt tandem quibus propter auctoritatem negantium opinio haec extrinsece probabilis videtur.

Verum allata ratio nimis infirma videtur, quam ut huic opinioni solida aliqua probabilitas tribuatur: certum enim et clarum manet, in casu, etsi non directe et immediate erga Paulum ut individuum ab aliis distinctum, tamen erga hominem aliquem iniuriam materialem simul et formalem, eamque efficacem, esse commissam. — Patet enim ex exemplis damnificatorem rem *certo non suam*, sed *certo alienam* destruere scientem et volentem.

Corollarium. *Quid intentio nocendi efficiat?*

Quaestio. Num actus internus, i. e. animus alteri nocendi facit, ut contrahatur restituendi obligatio quae seclusa illa intentione non oriretur? **378.**

Resp. I. Certo negandum est, si vèl is, cui nocetur, ius strictum nullum habeat (2) vèl agens ius nocendi habeat (3). Ratio data est n. 365.

---

(1) Inter quos S. Alph. Lib. IV (ed. Gaudè lib. III) n. 628 sq., et Sporer Tr. IV, n. 186 et Tr. V, n. 571; cfr. De Lugo Disp. XVII, Sect. III, n. 75 sqq.

(2) Sc. neque in rem, neque in spem; vel non in actionem alterius, si de damno ex omissione quaeritur.

(3) Cfr. n. 365, 2°. Cave hunc casum confundas cum casu n. 380, I.

II. Certo affirmandum est, si actio externa est de se indifferens ad nocendum vel non nocendum alteri, sed ad alterutrum intentione agentis determinari debet. Ex gr.: tollis librum amici vel animo inspiciendi solum et reddendi, vèl animo tibi retinendi.

379. III. Extra hos casus controvertitur, et mea quidem opinione semper *probabiliter negatur* — ratio mox dabitur — quamquam non semper probabilius.

1. *Generalem regulam* alii hanc statuunt: in ordine ad obligationem *restitutionis* inducendam actus internus *numquam supplet* id quod *hoc respectu* deest ex parte actionis externae.

2. Secundum alios econtra semper vel saltem *generatim supplet.*

3. Alii tandem distinguunt casus a casibus, sed iterum alii aliter.

Probatur 1m. Quidquid est de *culpa* damnificantis, huiusve culpae natura seu specie, *obligatio* restitutionis non adest, nisi adversus damnificantem ius habeat damnificatus. Hoc autem ius hic *non* habet ratione *culpae* alterius, imo *neque* ratione peccati iniustitiae, ab altero commissi, sed his suppositis *solum* ratione damni iniurià accepti; consequenter solum ratione actionis externae, ut quae proprie sola damnum creare possit. Si quid ergo in datis circumstantiis deficit ex parte actionis externae, non videtur oriri onus restitutionis. Quo praemisso en praecipuae distinctiones et opiniones.

380. I. Supposito iure in rem: 1° quando ponitur *causa per se efficax,* eaque duplicis effectus et agens ius quidem habet ponendi causam in suum commodum seu generatim ex bona intentione, non vero in damnum alterius; *communiter affirmant,* itàque absolute docet Sporer n. 260 (1).

2° In casu *culpae externae levis* — non sc. ex imperfectione actus, sed ex parte ipsius causae positae — nim. in casu causae accidentalis, vel remotae positae; quibus hic aequiparant causam occasionalem; quo etiam, imo potius, pertinet casus levis

(1) Cfr. dicta de voluntario in causa.

negligentiae (intellige omissionem diligentiae *ex iustitia* debitae) et levis imprudentiae: *plures affirmant, plures negant;* cfr. Sporer n. 102 sqq.

II. In casu *causae* item *accientalis* vel remotae, sed ex qua — secus ac in praecedenti hypothesi supponitur — in dato casu *damnum* alterius secuturum *praevidetur:* iterum *communiter affirmant.* Sunt tamen etiam, qui distinguant, utrum damnificatus habeat ius in rem, an solum in spem. Casus accidere potest, si iniuste occisus relinquit tum fratrem quem sustentabat, tum creditores. Cfr. Sporer Tr. V, n. 595.

Nota ad duas praecedentes hypotheses, quandoque AA. sub alio respectu inter se non convenire, num sc. causa posita accidentalis solum vel remota, an vere per se satis efficax dicenda sit.

III. Supposito iure in spem tantum, si quis alterum mediis de se non iniustis (1) a bono consequendo impedivit: *communiter negant.* Cfr. n. 366, III; et Sporer n. 257 sqq.

Punctum II: *De culpa iuridica.*

Culpa iuridica habetur 1° in omni actione non legi- 381.
tima *(onrechtmatig* i. e. prohibita vel cuius ponendae quis ex lege non habet facultatem), et alteri nociva; 2° in negligentia vel imprudentia seu in omissione diligentiae (ex contractu, lege vel officio) debitae. Art. 1401 sq. — Excusant tantum causae, quae in foro externo probari possunt.

Quo pertinet etiam 3° quod ex lege quisque compensare debet damnum illatum sive a) a personis quibus invigilare debet, vel de quorum actionibus praestat; sive b) per res, animatas vel non animatas, ipsius curae commissas.

Nota ad a) Hic non tam praesumitur culpa ex parte ipsius damni auctoris, sed aliorum, puta parentum, praeceptorum etc., qui nim. non deobligantur ex lege, nisi probare possint se damnum illatum impedire non potuisse. Art. 1403-1405. Sed cfr. n. 412 sq.

(1) Quodsi media iniusta quidem fuerunt sed non immediate erga illum, qui a bono consequendo impeditus est, controvertitur ut iam sub II in fine insinuatum est.

382. Non distinguuntur *culpae* gradus in nostro iure; sed aliquo saltem modo *debitae diligentiae* gradus. Sc.: quoad obligationem, sive ex lege sive ex contractu, rem dandi cuique incumbere dicitur cura boni patris familias; et additur hanc curam seu obligationem magis vel minus late patere pro quibusdam contractibus, quorum sequelae lege indicantur; art. 1271. Quod quidem ipsi iuri naturali omnino conforme est. Liquet enim eamdem negligentiam, quae in una materia vel in uno casu diceretur levis vel moraliter nulla, censendam quandoque esse gravem in alia materia vel in alio casu; puta ex promissione vel contractu oneroso, quo se quis ad exquisitam diligentiam obligavit; vel ex officio quod ex se peculiarem diligentiam imponit, ut officium medici in curando morbo gravi et difficili vel extraordinario (1).

383. Resolutiones. I. Ex culpa mere iuridica — quae, saltem aliqua secundum dicta n. pr., supponitur vere adesse — oritur *obligatio obedientiae* damni reparandi *post sententiam* iudicis; quia lege iusta imponitur. *Non vero ante sententiam;* quia speciem poenae habet; et ipse legislator aliter obligare neque intendit, neque cum ratione praesumi potest intendisse, cum obligatio haec ante sententiam videretur nimis ardua, neque scopo legis exigatur. Est communis. Hinc

II. Qui alterius culpà iuridicà damnum accepit, tuta conscientia illius reparationem postulare potest, etsi certo sciat alterum absque culpa theologica egisse; quia quisque facultate lege iusta concessa uti potest. Sed

III. Qui nullius culpae, neque iuridicae, reus condemnaretur, puta ex errore facti, non teneretur in conscientia exequi sententiam, nisi forte ex charitate, v. gr. ut vitaretur scandalum.

COROLLARIUM: *Quid si Contractus interveniat?*

384. **Quaestio.** Num vel quae culpa, *supposito contractu*, requiratur ad inducendam obligationem reparandi damni alteri vel rei alienae illati? — Cfr. n. 364.

---

(1) Carriére n. 1134; Ballerini ad Gury n. 661.

Resp. I. *Certo ipsi contrahentes ita convenire possunt,* ut haec obligatio oriatur vèl ex sola culpa iuridica, vèl etiam sine ulla culpa et ex casu mere fortuito, idque sine ulla iudicis sententia. Verum *in praxi* haec contrahentium intentio praesumi non potest, sed certa probatione indiget.

II. *Lex civilis* hanc obligationem imponit ordinarie propter culpam iuridicam — art. 1272 — quandoque absque ulla culpa; vid. Cod. comm. art. 91 sqq. de aurigis aliisque vectoribus, et cfr. n. 163, I; 285; 291, IV; 381, 3°; 412 sq.

III. *Posita hac legis civilis dispositione* obligatio ista intelligi potest orta, vèl

1. Ex tacito contractu, quo partes per se contrahere intendunt secundam legis dispositiones. Ita antiquiores communius. Vèl

2. Ex lege per licitum hominis factum, et tum non ad iustitiam strictam pertinet, sed *ad obedientiam;* quia non contractu suscepta, sed a legislatore imposita. Consequenter quia habet speciem poenae, non vigebit in conscientia nisi *post sententiam* iudicis. Ita iam plures inter antiquos resolvebant, idque Sporer (1) probabilissimum dicit. A fortiori autem in nostro iure ita resolvendum videtur, cum, ut communiter iurisperiti docent, in causis incertis et fallaciae obnoxiis, qualis est haec, legislator non intendit obligare ad damnum reparandum, nisi de eo iuridica probatione constet. — Quam ipsam ob rationem

3. Etiamsi ex tacito isto contractu, de quo sub 1, obligatio orta dicatur, nihilominus obligatio *strictae iustitiae* per se — i. e. extra hypothesim Resp. I — non oriretur nisi *post sententiam* iudicis; quia haec tantum est vis legis civilis. Marres, n. 62.

Nota. Communiter hanc resolutionem Theologi, etiam rigidiores, *admittunt,* si agitur de praestanda culpa mere iuridica *in officiis* seu muneribus admissa. Hic nim. accedit ratio ex bono communi petita, cum secus vix quis officium suscipere vellet. Ex dictis resolvitur

(1) N. 279.

385. **Quaestio,** num quis in periculo rem alienam suae praeferre teneatur?

Resp. Dependet a variis circumstantiis, ad quid in casu detentor rei alienae teneatur; seu quousque se extendat prudentia et diligentia rei alienae debita; cfr. n. 382.

Pro foro conscientiae generatim cum de Lugo (1) resolvi potest, detentorem non teneri subire damnum relative grave, quod praevidet sibi non compensatum iri.

Ex iure speciatim commodatarius, qui rem propriam praetulit, *semper* praestat damnum rei alienae; art. 1782. — Ex art. 1789 vero compensari illi debent sumptus extraordinarii. Ex iisdem autem iuris communis dispositionibus inter se collatis De Lugo l. c. concludit priorem dispositionem niti praesumptione doli seu negligentiae.

§ II. — *De dubia damni causa.*

386. I. Si dubitatur 1° de ipsa causa damni, num revera, vel num iniuste posita sit; vel 2° de effectu, num damnum reapse secutum sit; satis consentiunt AA. non existere restituendi obligationem. Ratio: in hisce casibus ipsa iniuria illata est dubia, ergo obligatio certa imponi nequit.

387. II. Si dubitatur de influxu causae (certo positae) in damnum (certo secutum):

1. *Communius* resolvunt *dari obligationem* reparandi damnum, secundum alios integrum, sed secundum plerosque pro rata dubii tantum. Ratio: qui possidet delictum seu causa posita, et praesumptio stat pro eius influxu, donec contrarium probetur. Ratio restringendi obligationem: quia sic melius consulitur utriusque iuri.

2. *Alii* vero onus restitutionis *negant.* Quam opinionem S. Lig. (2) dicit satis *probabilem.* «Ratio, ait, est illa regula generalis, quod nemo obligatur ad restitutionem, nisi omnino de tali obligatione constet, nempe quod ipse fuerit vera causa damni». Et cum

---

(1) Disp. VIII, S. X.
(2) IV, n, 562.

actio, qualis hic supponitur, « non semper sit causa damnii.... influxus non praesumitur, nisi probetur ». Supponitur nim. in horum AA. opinione non causa, quae necessario efficiat damnum, ut v. gr. vulnus lethale mortem causat; sed talis quae potest quidem naturâ suâ damnum creare, sed non ita necessario et ideo neque semper; quales generatim sunt causae morales.

III. Si dubitatur utri ex duabus causis (certo positis) at- 388.
tribuendus sit effectus ex alterutra certo secutus; distinguendum est:

1. Si *alterutra* causa est *iuste* posita, pro ea stat praesumptio, consequenter *altera excusatur*. Est communior.

2. Si *utraque iniuste* posita, ex communi utraque causa tenetur pro rata dubii. Ratio: damnum est *certo* iniuste illatum; quare laesus habet *certum* ius ad restitutionem; huic ergo certo est satisfaciendum.

Ex alia tamen etiam gravium AA. opinione, quae S. Lig. (1) probabilior videtur, utraque adhuc excusatur, eo ipso quod utraque est dubia tantum causa. — *Excipitur* casus, quo uterque vel alteruter eorum, qui causam posuerunt, fuerit etiam *culpabilis causa ipsius dubii* (2). Exempla occurrunt maxime in casibus stupri et adulterii.

ARTICULUS V.

DE INIUSTA COOPERATIONE.

Novem distinguuntur modi cooperandi, sex positivi, tres nega- 389.
tivi, nim.:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Regula. Cooperator tunc et in tantum restituere tenetur, quando et in quantum eius cooperatio fuit iniusta, efficax et culpabilis damni causa, secundum exposita art. I. Unde deducitur:

---

(1) N. 658.
(2) Id. ib.

390. I. Non excusatur a restitutione cooperator, qui facto suo ad damnum concurrit, ex hoc quod, si ipse non concurrisset, alius non defuisset, qui cooperaretur.

II. Qui ad partem damni tantum cooperatus est, pro rata parte tantum ad restitutionem tenetur. Sed

391. Quaeritur, num causa moralis, v. gr. consulens, excusetur a restitutione hac ratione, quod auctor damni iam erat ad damnum inferendum efficaciter motus et paratus, sive ex se sive ab alio?

Resp. I. Si haec cooperatio nihil iam moverit auctorem damni, etsi quidem efficaciter movisset, si nondum fuisset paratus; certo et ex communi cooperator excusatur. Ratio, quia revera non influxit in damnum.

II. Si cooperatio solum effecerit ut damnum, secus nihilominus certo inferendum, citius vel alio modo inferretur; sunt qui cooperatorem obligent, sed alii multo communius et *probabilius* a restitutione excusant. Ratio, quia non in substantiam sed in circumstantiam mere accidentalem influxit.

III. Si cooperatio auctorem iam paratum adhuc magis firmaverit, multi cooperatorem obligant, saltem si eius cooperatio sola efficaciter *suffecisset* (1); si sola *non suffecisset,* plures pro rata influxus eum obligant (2).

Sed multi alii, in *utraque* hypothesi, omnem obligationem negant; quia cooperatio ex hoc ipso quod damnum iam efficaciter praeparatum invenit, dici potest inefficax (3).

In praxi plerumque dubitabitur de influxu. Ceterum cfr. n. 433 sq.

IV. Si cooperatio inferendum damnum auxit cooperator secundum omnes saltem quoad hoc damni augmentum obligatur.

§ I. — *De mandante.*

392. Mandans hic dicitur, qui alium efficaciter induxit, ut *ipsius mandantis nomine* seu in ipsius utilitatem et gratiam damnum alteri inferat: cfr. n. 322.

---

(1) Haec est sententia Sporer, quam dicit communiorem inter RR.

(2) De Lugo D. XIX, n. 6 seqq. et n. 83 sqq.

(3) Hanc Sporer dicit probabilem et communem antiquorum. Cfr. Carrière n. 1123 et 1182.

Non refert quo medio inducat, sive 1° imperio explicito vel implicito, si auctoritate polleat in executorem (proprie *iubens*), sive 2° minis, vi vel precibus, sive 3° contractu explicito vel tacito.

I. Reparare tenetur 1° damnum quod inferre mandavit; 393.
2° etiam illud, quod ex mandati executione saltem in confuso praevidit secuturum.

II. Si damnum accepit ipse executor, erga hunc non obligatur, nisi iniuste eum coegit vel decepit.

Quaeritur num mandans reparare etiam debeat dam- 394.
num, quod mandatarius *ex errore* alii ac mandatum fuerit, intulit?

Resp. Nonnulli, inter quos Sporer, probabiliter opinantur eum teneri reparare saltem illa damna, quae ordinarie ex tali mandato, v. gr. ex homicidio, sequuntur; quia efficaciter talia damna mandavit.

Sed etiam probabiliter negant alii; quia in casu mandatum non videtur nisi causa occasionalis, error vero mandatarii causa efficax. — *Excipiendum* tamen, si error difficulter a mandatario vitari potuit.

Obligatio monendi. Mandans, qui mandato *efficaciter* re- 395.
vocato mandatarium a damno inferendo cohibere non potest, secundum communiorem sententiam *ex charitate* tantum, adeoque non cum gravi incommodo, tenetur damnificandum monere (1); — *ex iustitia* autem, si mandatum *non efficaciter* revocavit; neque tum excusatur nisi ob incommodum, quod a reparando damno iam illato deobligaret. Cfr. n. 368 et 461 sqq.

Quod idem resolvendum est de *consulente*.

Nota. Per se sufficit seria mandati revocatio mandatario nota (2). Quid quandoque praeterea requiratur ad hoc, ut mandans non tamquam consulens obligatus maneat, resolvendum est ex paragrapho sequenti.

(1) Cfr. Carrière n. 1170.

(2) Quodsi forte mandatarius revocationem serio factam, tamen seriam non credidit, vel eius inculpabiliter est oblitus, (cum De Lugo D. XIX, n. 25) mandantem adhuc obligatum « in rigore loquendo » ait Sporer, quo dicendi modo videtur probabilitatem saltem practicam oppositae sententiae negatam nolle; id quod ex aliis locis collatis deduco.

§ II. — *De Consulente.*

396. **Consulens** est; qui efficaciter movet alium ut *hic suo nomine* alteri damnum inferat. — Hinc per se non est principalis causa damni, qualis est mandans; esse tamen quandoque potest; cfr. n. sq.

II. Distinguitur 1° consilium a) *doctrinale* quo quis pronunciat quid sentiat de moralitate, de iustitia vel iniustitia actionis; et b) *impulsivum* quo, actionis moralitate supposita, alter ad agendum impellitur.

2° Utrumque est a) *vestitum* i. e. fulcitum motivis vel mediis exequendi; vel b) *nudum.*

397. Resolutiones. I. Qui dedit consilium impulsivum, tenetur resarcire damnum, quod ex hoc consilio tertiis fuit illatum, non vero quod ipsi executori obvenit.

II. Qui dedit consilium doctrinale vèl *ex officio,* vèl *cum dolo* seu peritiam iactando, tenetur reparare omnia damna tum executori tum aliis inde secutura; idque *primo loco,* vel rectius *ipse solus,* quia executor supponitur bona fide egisse.

III. Qui vero *neque ex officio, neque cum dolo* praedicto, attamen *cum gravi culpa* consilium doctrinale dedit, tenetur reparare solum damnum, quod tertio infertur; id tamen *primo loco,* quia exequens supponitur imprudens potius quam theologice culpabilis. — Non vero tenetur erga executorem, qui si damnum capiat, adscribere hoc debet suae ipsius imprudentiae, qua imperitum consuluit.

398. Revocatur sufficienter, ita ut obligatio restituendi cesset,

1° Consilium nudum sive doctrinale sive inpulsivum, simplici revocatione.

2° Contra communiorem *plures probabiliter* docent consilium vestitum sufficienter revocari afferendo rationes, quae per se, i. e. nisi obstaret executoris malitia, rationes priores eliderent, executoremque persuaderent, quales praecipue — practice non semper tamen — habendae sunt rationes ex fide pe-

titae, seu motiva supernaturalia. Ratio, quia post talem revocationem executor non tam ex alterius consilio, quam ex sua ipsius malitia agere dicendus est (1).

Excipiendum cum nonnullis *videtur* — imo de hoc « satis convenit » ait Génicot (2) — si consulens indicavit modum, medium, tempus opportunum vel quid simile, quo non indicato alter *non potuisset* inferre damnum, vel *certe noluisset*. Cuiusmodi consilium non satis revocari dicunt nisi opponendo obstaculum efficax vel opportune monendo damnificandum. Quamquam communiter huius exceptionis mentionem non faciunt AA.

Nota. Quoad obligationem monendi damnificandum communiori opinioni hoc saltem cum Sporer concedendum videtur, quoties revocatione et confutatione consilii vestiti factis damnum impediri efficaciter non potuit, illam obligationem esse non solum ex charitate, sed *ex iustitia*. Ratio: quia, etsi non potissimum, partim tamen consilium datum adhuc influere pergit — secus ac in casibus consilii nudi vel simplicis mandati. Neque tamen, *ceteris* ut supponitur *praestitis*, haec obligatio adhuc cum gravi incommodo urgenda videtur.

399. Quaeritur num suadere liceat minus damnum unius, v. gr. ditioris, ad maius damnum alterius praecavendum?

Resp. Distinguendo. I. Licet 1° *certo*, si malefactor iam erat ad utrumque damnum paratus.

2° *Valde probabiliter*, *a*) si malefactor iam de utraque persona, quarum alterutri certo damnum inferret, cogitabat, sed adhuc inter utramque anceps manebat; atque *b*) si non indicatur persona determinata, sed solum in genere.

II. Non licere videtur, si indicetur persona determinata, de qua malefactor non cogitabat; *nisi* discrimen inter utrumque damnum tantum sit, ut laedendus non possit esse rationabiliter invitus.

Ratio distinguendi est, quod explicando veritatem utilem suadens *in postremo casu*, non in prioribus, *directe* cooperatur ad damnum, quod reapse inferetur.

---

(1) Hanc opinionem Sporer dicit practice probabilem; aliam *in rigore* verissimam.

(2) N. 538.

Sunt tamen, qui sine distinctione licere affirmant, quia hoc est conforme charitati (1). *Resp.:* haec non est quaestio; sexcenti sunt casus, quibus consentiendo in suum damnum egregie quis charitatem exerceret, et tamen invitus, idque rationabiliter, dici potest.

§ III. — *De Consentiente.*

400. **Consentiens** — non de solo consensu inefficaci seu simplicis complacentiae, quo contra iustitiam non peccatur nisi affectu (quod ipsum solum est contra charitatem); neque de consentiente ut suo nomine et in sui gratiam damnum inferatur (qui potius est mandans), h. l. intelligitur, sed de consensu efficaci dependentiae; seu — is dicitur qui vèl consensu vèl suffragio suo in damnum alterius efficaciter influit.

401. Quaeritur, quid resolvendum, quando iniusta suffragia ultra numerum requisitum data sunt?

Resp. I. Omnes ad restitutionem tenentur, si suffragia tulerunt vèl 1° eodem tempore, vèl 2° ex condicto.

Nota ad 1. Marres (2) et Waffelaert (3) huc referunt casum quo suffragia secreto feruntur. Verum per se parum referre videtur, num secreto an aperte suffragentur. Sed ex modo secrete suffragandi facile orietur dubium, de quo n. 404, ut innuit etiam Sporer.

Ad 2. Cum Lehmkuhl (4): « Antequam suffragium vere a singulis feratur, talis conspiratio (5) potius rationem consilii habet.... Quare qui solum in conventu fractionis consenserit, in comitiis ipsis inter efficaciter suffragantes non est, is non eodem ordine sed plerumque post hos ad restitutionem tenetur.

II. Item tenentur postremo etiam suffragantes, si ex officio seu tacito contractu suffragari debent, *et* suffragium negando alios inducere potuissent ad revocanda suffragia iniusta. Attamen nisi positivum influxum exercue-

(1) Gfr. Gury-Ball. n. 677, Qu. 2; Waffelaert n. 284; Génicot n. 538, IV; Ball.-Palm. n. 144, ubi citantur Vasquez *de Scand.* a. 1, dub. 2, n. 14 (sed Sporer n. 312 citat eundem *de Rest.* c. 9 § 1, pro contraria opinione), et Turrianus.

(2) N. 100.

(3) N. 289.

(4) N. 1007, 4°.

(5) Non stricta, de qua n. 434, I.

runt in priores suffragantes, non videntur obligati nisi ut causae negativae, adeoque post alios.

Addit Lehmkuhl (1) eos etiam pro rata obligari, qui accedendo ad numerum iam completum causa sunt, cur alii qui iniuste abfuerunt, se a restitutione immunes iudicare possint.

III. Extra hos casus, num restituere debeant *ultimi* suffragantes, quando votorum numerus iam erat *certo* completus, controvertitur. Antiquiores communiter negant. Inter recentiores plures affirmant; quia cum sententia vel lex non feratur nisi collatis suffragiis omnibus, ultima non secus ac prima in eam influunt. 402.

Notandum in hac hypothesi quoad primos suffragantes: hi certo in solidum obligarentur, si certo ii soli obligarentur; sed cum de hoc non constet, consequenter et obligatio solidaria dubia dicenda est; cfr. n. 434.

Ceterum relate ad comitia publica haec notatu digna addit Lehmkuhl l. c.: 403.

1. « Praecipue consideranda est suffragatio in ultima et decisiva legis deliberatione, quae communiter tertia vice fit ».

2. « Quae praecesserunt, eatenus tantum consideranda sunt, quatenus fortasse suasionem, *consilium efficax* continent ».

3. « Numerus excessivus aliquando causa esse potest, cur iniqua lex feratur. Quod accidere potest, si comitia superiora ex magno numero suffragantium, qui fuerint in comitiis inferioribus, ad suum consensum moventur; aut si gubernium legi non favet, at magno numero in comitiis pro ea suffragante quodammodo cogitur aut permovetur, ut ex sua parte etiam ad legem accedat. At in hisce casibus influxus, qui ab illis suffragantibus exercetur, iam alius ordinis est, videlicet ad consilium vel coactionem revocatur ».

IV. Qui dubitat, num suffragium tulerit ante an post numerum completum, nec postea certitudinem acquirere potest, restituere tenetur pro rata dubii. Ratio: « hinc factum est, quod non illi omnes qui priores fuerunt, teneantur ad restitutionem propter dubium et incertitudinem, cuius dubii causa fuerunt posteriora suffragia ». De Lugo D. XIX, n. 22. 404.

§ IV. — *De Palpone.*

Palpo dicitur, qui adulando, laudando etc. aut contra irridendo, vituperando etc. alterum efficaciter inducit ad damnum inferendum. 405.

(1) N. 1006, II. 4; cfr. 1007, 5°.

Tenetur ad restitutionem, sicut qui dedit consilium impulsivum vestitum.

§ V. — *De Recursu seu de Receptatore.*

406. **Recursum** praebens seu receptator hic intelligitur is, qui malefactori securitatem, refugium, protectionem praebet in ordine ad damnum inferendum, vel illatum non compensandum.

Non itaque intelligitur, 1° qui defendit damni auctorem in iis, in quibus hic ipse non iniuste agit; v. gr. in vitanda condemnatione ad *poenam* mediis in se licitis; a fortiori

Neque 2° qui eum adiuvat ad propriam, malefactoris, iniuriam propulsandam; v. gr. si malefactor a damnificato ad necem vel aliam vindictam quaereretur; si in iudicio ordo iuris non servaretur.

Ceterum receptatori cuicumque applicanda ea sunt quae modo dicentur

§ VI. — *De Participante.*

407. **Participans** in praeda ad restitutionem tenetur ut iniustus possessor rei alienae.

Participans *culpabiliter* (secundum n. sq.) in actione iniusta damnificante — de quo solo hic agitur —

I. Si animo adiuvandi et suo nomine egit, ad restitutionem tenetur pro rata influxus, idque eodem loco cum ceteris damni auctoribus.

II. Si nomine alieno, puta contractu vel metu inductus egit, tenetur secundo loco.

408. Quaeritur, num liceat ad suum ipsius damnum vitandum cooperari actioni damnificativae?

Praenotandum 1°. Cooperatio distinguitur 1° formalis et materialis; 2° mediata et immediata. — De formali, ut quae semper illicita, hic non quaeritur.

2° Quaestio haec resolvenda est secundum alibi exposita de liceitate ponendi actum, unde duplex praevidetur effectus, unus bonus, malus alter. Hinc

Resp. I. Non licet immediate cooperari 1° *homicidio,* 2° membrorum *mutilationi, nisi* forte fiat ut plures excipiunt, ad ipsius mutilandi vitam servandam, et eo modo, iisque in circumstantiis, quibus ipsius consensus praesumi potest. Ratio, quia utrumque est intrinsece malum, non absolute quidem sed propter ius alterius: cf. tom. I n. 29 II.

II. Licet mediate cooperari ad damnum *in quovis genere bonorum,* data ratione sufficiente(1).

III. Damno *in bonis fortunae,* 1. ex communi licet ex **409.** gravi causa etiam immediate cooperari:

1° Si cooperans intendit et poterit damnum inferendum *reparare.*

2° Si idem damnum nihilominus *certo inferretur* ab auctore principali,

3° Si damnum tam leve infertur, ut pro circumstantiis ex charitate *consentire laedendus debeat.*

2. Extra hos casus num liceat saltem ad *gravissimum* damnum vitandum, controvertitur.

Antiqui communius negant, quia intrinsece malum videtur.

Alii tamen *probabiliter affirmant.* Ratio: periculum quod imminere supponitur, extrema necessitas reputatur; atqui... ergo in casu quia domini consensus vèl praesumi potest, vèl non requiritur, tollitur iniuria et intrinseca malitia actionis (2). At oritur hic dubium, sc.

Quaeritur, num in postremo casu cooperans teneatur ad restitutionem? **410.**

Resp. Videri potest affirmandum quoties cooperans non erat absolute, re et spe, pauper; sicut tenetur qui etiam in extrema necessitate consumit aliena. — Nihilominus S. Lig. l. c. distinguit: *affirmans* si cooperans vitavit damnum *in eodem ordine* bonorum, fortunae sc.; — *negans* si damnum vitavit ordinis *superioris,* ut mortem, mutilationem, gravissimam infamiam. Ratio: in priori casu pepercit rebus suis, non in posteriori.

---

(1) Cfr. dicta de cooperatione in Tr. de Virt. Theol.

(2) Cfr. n. 553. Ita cum Molina S. Lig. n. 571.

§ VII. — *De Causis negativis.*

411. Ut quis tamquam causa negativa damnum alterius reparare teneatur, praeter tres conditiones n. 364 sqq. expositas — vel potius ad hoc ipsum, ut requisitae illae conditiones in omissione concurrant — requiritur

I. Titulus quo ex stricta iustitia obligetur damnum alterius praecavere; sc. vèl 1° *officium, quo per tacitum contractum* ad hoc se obligavit. — Probabilius, contra nonnullos, ad hoc non sufficit officium quo quis aliis solum praeest, ita ut *ex pietate* potius *subditis* invigilare, quam aliorum damna impedire teneatur (1). — Vèl 2° *contractus expressus.* (Omissio *iniusta*).

II. Ut damnum impedire potuerit. (Omissio *efficax*). — Idque

III. Plerumque saltem, sine gravi damno suo, quocum nim. ordinarie contractus et officia huius generis non obligant. (Omissio *culpabilis*).

412. Nota ad. I. *Ex iure civili,* art. 1403, praestant et in iure appellari possunt:

1° *Parentes vel tutores* de damno, quod inferunt eorum filii minores *contubernales,* in quos potestatem parentelam vel tutelam exercent.

2° *Herus,* et qui aliis negotia sua gerenda demandant, de damno, quod eorum famuli vel mandatarii aliis inferunt operam sibi demandatam praestando — non itaque quod tantum occasione huius operae praestandae inferunt.

3° *Institutores et opifices* de damno, quod eorum alumni vel famuli inferunt, quo tempore eorum custodiae subsunt. — Ad haec autem iterum

413. *Notandum* 1° id quod n. 381 sq. de harum dispositionum sensu et vi pro foro conscientiae expositum est. Praeterea

2° Communiter, etiam iurisperiti, docent, parentes et praepositos, qui damnum a filiis vel subditis illatum repararunt, ab ipso damni auctore pretium erogatum repetere posse.

(1) Cfr. Marres n. 112.

3° Praedicti omnes non tenentur solvere *mulctas* impositas, quia poena obligatio personalis est censenda. — Contra

4° Opifices et quilibet operis conductores *(aannemers)* quoad rem perficiendam et tradendam, ad quam contractu se obligarunt, vi contractus personaliter obligantur; quam obligationem proinde in mandatarios suos transferre non possunt.

Resolutiones. I. Qui suffragium non ferendo non 414.
obstitit iniustae sententiae: 1° *non tenetur,* si ius suffragii habeat *ex privilegio;* — 2° *tenetur,* si habeat ex officio, quo bonum publicum vel privatum *ex iustitia* tueri obligatur.

II. Ad restitutionem 1° *non tenentur,* qui impediunt, ne cuiuspiam delicti rei condemnentur ad *poenam mere vindicativam;* neque ex communiori officiales et iudices, qui negligunt denuntiare vel ad poenam vindicativam condemnare reos. Ratio, quia poena ante sententiam non est debita. — 2° *Tenentur* vero iidem *quoad damna futura* quae societati vel tertiis ex eorum negligentia orientur.

Item 3° tenentur magistratus qui impositas iam mulctas non postulant.

III. Ad restitutionem 1° *non tenetur* confessarius, qui mere negligit, etsi culpabiliter, monere poenitentem de restitutione facienda. — 2° *Tenetur* vero confessarius, cuius silentium propter circumstantias aequivaleat responso deobliganti; quod facile accidere potest, si poenitens interroget confessarium, neque ratio sit tacendi vel dissimulandi.

IV. Ad restitutionem probabilius *non tenetur* testis, etiam vocatus et legitime interrogatus, qui renuit manifestare quae novit, vel etiam falso dicit, imo iurat se nihil scire; *modo nullo speciali titulo iustitiae* erga reum vel litigantes obligetur, *neve falsum* deponat quoad ipsum factum de quo inquiritur.

V. Famulus, qui culpabiliter non impedivit damna domino illata, ad restitutionem

1. *Certo tenetur,* si expresso vel tacito contractu rei familiaris vel quarumdam rerum domini cura specialis ipsi est commissa.

Quod quidem generatim seu quoad curam rei familiaris maxime contingit *famulo qui a vidua* vel famulae quae a viduo conducitur; partim vero illis quibus *alicuius loci,* v. gr. culinae, cura committitur, vel etiam *ad breve tempus,* puta absentiae heri, aut *pro casu transeunte,* v. gr. ad negotium aliquod perficiendum, vel quando quacumque de causa famulo *traditur clavis* cubiculi, armarii etc. ubi res domini servantur.

2. Secluso contractu, de quo supra, seu per se loquendo:

1° Ex communiori sententia famulus *non tenetur* quoad damna ab aliis famulis vel personis domesticis illata. Ratio patet ex resolutione quae sequitur.

2° Quoad damna ab extrancis illata communius, saltem antiquiores affirmant; quia ea praecavendi onus tacito contractu in se suscepisse una cum famulatu censetur. — Verum allata *ratio valde dubia,* hodie praesertim, videtur; cum potius famuli soleant se non ultra limites specialis operae pactae obligare. Quare, nisi in casu speciali satis constet, tacitum illum contractum famulatui accessisse, imponenda *non est restituendi obligatio.*

CAPUT SECUNDUM.

DE RESTITUTIONIS OBIECTO.

ARTICULUS I.

DE POSSESSORE BONAE FIDEI (1).

415. Obligationes et iura possessoris bonae fidei, quem supponimus rem nondum fecisse suam secundum dicta de praescriptione vel etiam de possessione rerum mobilium, sunt:

I. **Quoad rem.** 1° Haec si in natura possidetur, quamprimum domino restituenda est, ut patet: cfr. n. 357, I. Ita saltem *per se:* cfr. n. sq.

---

(1) Sporer, Tr. IV, n. 107 sqq.; n. 136 sqq.

2° Si res ipsa iam non possidetur, sed obligatio pretium seu aequivalens rei restituendi contracta est secundum tradita n. 358 sqq., en

Regula: debetur restitutio 1° summum in quantum, sed numquam ultra quam quis *ex* re aliena ditior factus est; — 2° nec unquam ultra damnum quod dominus *per* possessorem accepit. Hinc

Resolves ex 1° — a) Ex communi sententia de qua l. c., qui rem *maiori pretio vendidit,* quam ipse emerat, restituere tenetur hunc excessum, *si* vel in quantum non propriae industriae debetur.

b) Qui tenetur, quia *rem propriam servavit,* si haec *minoris* valet quam res aliena consumpta, non obligatur nisi secundum valorem rei propriae.

Contra ex 2°. — Si *res servata pluris valet* quam res consumpta, tenetur solum secundum valorem rei consumptae.

II. **Quoad fructus.** — 1° *Ex iure naturae* posset solum retinere mere industriales, ac in aliis restituendis deducere aestimationem industriae.

2° *Ex iure civili* nostro potest retinere omnes fructus bona fide iuridica usque ad diem iuridicae petitionis perceptos. — Percepti autem censentur fructus naturales et industriales, quando a re frugifera sunt separati; civiles per diem percipi censentur (1).

III. **Quoad impensas factas.** — 1° Potest repetere necessarias et, partim saltem, etiam utiles, eas sc. quae fuerunt necessariae:

a) ad rem servandam, vel etiam — ex iure civili art. 630 — ad rem meliorandam;

b) ad fructus, quos restituere debet, comparandos.

2° Non vero repetere potest impensas ordinarias et communes, *usufructuarias* dictas, cum vi iuris civilis nostri ea in propriam possessoris utilitatem cesserint.

3° Quoad impensas voluptarias, ex iure civili art. 636 eas repetere non potest; potest tamen ea, quae congessit, auferre, *modo* res detrimentum inde ne capiat.

(1) Cfr. n. 57. 3.

Quodsi auferri nequeant, non quidem dubitandum puto, quin dominus hac iuris dispositione stare possit. — Attamen si res illae sunt alicuius pretii pro domino, v. gr. si ideo rem carius vendere potest, cum Carriere (1) *aequum* dico, ut pretium refundat; vel etiam, si dominus ipse easdem expensas fecisset; *nisi* tamen — ego addo — possessor satis compensatus sit fructibus quos retinere potest (2).

416. Possessor rei alienae, *etiam* qui eam acquisivit *emptione:*

I. Rem ordinarie gratis reddere debet. — *Excipe*, i. e. emptor ab ipso rei domino, ut pretium sibi refundat, postulare potest, 1° si rem emit in nundinis etc.; vide n. 221. 2° Si emendo utiliter negotium domini gessisse reputatur. Ad quod requiritur, a) ut rem emerit animo eam domino reddendi; b) (per se) ut emerit minori quam valet pretio, et c) ut dominus non iam gratis, vel admodum minori, quam emptor, pretio illam recuperare potuerit; art. 1393.

II. Rem furi reddere, ut ab ipso recuperet pretium;

1. Certo non potest, *si iam vindicat* rem sibi dominus.

2. *Secus;* 1° certo potest, *si* dominus *aeque a fure* rem vindicare potest.

2° *Alias* controvertitur: *Probabiliter negatur,* quia foret actus domino nocivus, adeoque iniustus. *Probabiliter affirmatur,* quia non haberetur nisi rescissio contractus; qui est actus duplicem habiturus effectum. Atqui.... Ergo. — Idque probabiliter extenditur ad emptorem *malae* fidei.

III. Etsi non possit pretium a suo venditore recuperare, tamen rem alteri vendere vel consumere non potest generatim, *excepto* sc. si in casu, de quo supra (I, 1°), dominus pretium solutum refundere nollet (3). Contra « de negotiorum gestor heeft niet het recht van terughouding » (4).

---

(1) N. 1061.
(2) Cfr. n. 78.
(3) Cfr. Marres n. 27.
(4) Summa Curia 31 Oct. 1856.

ARTICULUS II.

DE POSSESSORE DUBIAE FIDEI (1).

Supponimus dubium possessoris esse *positivum*. Non loquimur de eius obligatione inquirendi satis nota.

Distinguendae sunt hypotheses tum factae et neglectae inquisitionis, tum antecedentis et supervenientis, tum perseverantis et cessantis dubii.

Inquisitione facta vel prudenter iudicata inutili et a) *dubio perseverante* (cfr. n. 419): 417.

1. Qui bona fide incepit possidere, rem totam retinere potest; idque ex communiori et probabiliori sententia *etiamsi* rationes contra ipsum sint validiores. Ratio, quia eius possessio dat ius certum rei possessae insistendi. Ex iure autem possessionis deducitur ius etiam consumendi et alienandi; dummodo, si vendat, emptorem de aliquali dubio et inde periculo imminente moneat. Ita communior.

2. Qui cum dubio incepit possidere: 418.

1° Si *possessorem bonae fidei* re spoliavit, huic totam rem cum fructibus restituere debet. Sequitur ex praecedenti resolutione.

2° Si spoliavit *possessorem ab initio dubitantem,* et res est *certo alterutrius,* haec pro rata dubii inter utrumque est dividenda, quia neutri possessio favet.

3° Si rem occupavit *dubitans num esset vacans,* dubium deponere et rem bona fide nunc occupare potest (2).

4° Si *titulo de se dominii translativo,* ut emptione, donatione, rem acquisivit *dubitans num alter esset rei dominus*:

1) Si a possessore bonae fidei — adeoque ordinarie et per se, quia in dubio bona fides praesumitur, mala probari debet — probabiliter rem retinere potest, quia auctor totum suum ius in successorem transtulit (3).

---

(1) Sporer, Tr IV, n. 138 sqq.

(2) Carriere n. 471. Marres n. 43, II. 3°.

(3) De Lugo D. XVII, n. 83. Carrière n. 472 et 1099. Molina D. 723, n. 6. V. Egeren Fasc. IX, n. 112.

2) Si a persona suspecta, ita ut in datis circumstantiis bonam fidem praesumere ne potuerit quidem:

a) Si acceperit animo rem suo domino forte comparenti reddendi, aequiparatur possessori bonae fidei.

b) Si vero postea tantum, mutata voluntate, hunc animum concepit, pro rata dubii partem rei restituere debet, ex communi, probabili domino (1), *si compareat; secus,* ex communiori, pauperibus vel causae piae; sed secundum alios (2) *probabiliter* non tenetur restituere.

Nota. Sunt qui hic — ad 4^{m} — omissa omni distinctione, generatim resolvunt rem pro rata dubii esse restituendam (3).

Communiter vero resolutionem sub 1) ob praesumptionem et rationem datam admittunt, si agitur de herede vel legatario.

419. b) *Cessante dubio,* possessores de quibus nn. pr., et qui secundum supra dicta egerunt, obligantur vel non obligantur ut possessores bonae fidei.

420. II. **Inquisitione culpabiliter neglecta** — suppositis sc. spe detegendi dominum et scientia obligationis inquirendi — in casu dubii *supervenientis* i. e. ab eo:

1. Qui bona fide inceperat possidere, postea vero dubitabat,

1° *Cessante dubio,* seu *domino certo* comparente, huic *ut possessor,* a tempore neglectae inquisitionis, *malae fidei restituere tenetur,* « omnium consensu », ait Sporer n. 139. Et revera passim AA. ita absolute resolvunt.

---

(1) Uni, vel pluribus, paucis tamen, qui hanc partem inter se dividant; cfr. n. 437.

(2) Inter quos Sporer n. 183 cum De Lugo D. XVIII, S, 1. Nim., idque semel pro semper *nota,* quod possessor *malae fidei,* si domino ipsi non potest, restituere debet pauperibus seu causae piae, hoc Sporer com aliis, contra communiorem *probabilissime* dicit non esse iuris naturalis sed *positivi* (n. 393); id autem *probabiliter non extendi* ad huiusmodi dubia, delicta sc. certa seu certo commissa quidem sed ob dubium neglectum (n. 183).

(3) Lessius L. II. C. 14 n. 15. Salmant. Cap. I. n. 61, quos sequitur S. Lig. L. IV n. 625, et hunc iterum Gury n. 625 et Marres n. 44. Minus recte itaque pro sua opinione tres postremi citant De Lugo, Carrière et Molinam. Molina quidem l. c. n. 3 videri potest aliter docere, sed n. 6 clarius ibi dicta explicat et probat.

Attamen ut certa ab incertis discernantur, *noto:* si in hypothesi res ipsa iam non possidetur, ad obligationem restituendi *aequivalens* seu pretium (1) et compensandi alia damna domino secuta certo adstruendam, *insuper* supponendum est, *certo constare* omissionem inquisitionis causam fuisse, cur dominus non sit tempestive detectus. Quod quidem accidere potest, si v. gr. testes certi nunc defuncti sunt; per se vero, quod certus dominus nunc comparet, hoc non probat, etiam antea futurum fuisse ut certo detegeretur. Ratio huius notae restrictivae: requiritur causa damni certo efficax. Accedit in hypothesi nostra, quod possessor, eo quod fuerat bonae fidei, si inquirendo ad solam probabilitatem, esto maiorem, pervenisset, ad nihil ne quoad rem ipsam quidem obligatus fuisset; ergo neque nunc obligatur nisi in quantum certitudo habetur.

2° *Perseverante dubio,* 1) si *dominus probabilis* compareat, *et* propter neglectam inquisitionem iam certitudo obtineri nequeat,

a) ex communi restituere debet *pro rata spe,* qua dominum iniuste privavit;

b) sunt qui obligationem restringunt ad casum quo dubium, quod superveniebat, erat de iure determinati hominis, quia secus nemo erat qui ius quoddam contra possessorem praetendere poterat; sed

c) alii *probabiliter absolute negant,* quibuscum sentio ob rationem mox sub 1° in fine datam.

2) Si *neque probabilis dominus* compareat, communius obligant ad restituendum pauperibus vel causae piae; sed alii *probabiliter* omnem obligationem *negant;* quod in nostra quidem opinione (pro hypothesi pr.) a fortiori admittendum est; ceterum autem cfr. nota ad n. 418, 4°.

In casibus dubii *antecedentis,* i. e. inquisitione culpabiliter ne- 421.
glecta ab eo:

2. Qui cum dubio incepit possessionem; hic quidem *magis* quam possessor de quo n. pr. *aequiparandus est possessori*

(1) Extra casus sc. quibus etiam possessor bonae fidei teneretur.

malae fidei; a quo tamen aliquatenus differt, quia supponitur etiam pro se habere dubium fundatum seu rationem probabilem. — Varios casus distinguemus. Itaque

1° In casu n. 418, 1° de obligatione ut possessoris malae fidei — sive cessat sive perseverat dubium — non est dubitandum. Ratio, quia utut ipse dubitaverit, nihilominus possessoris praecedentis *certum ius iniuria certo damnosa et culpabili* violavit.

2° *Quodsi* forte in eadem hypothesi *alius dominus certus* compareret, relate ad hunc, aliud, mea quidem opinione, resolvendum foret, quia *huius ius* antea *dubium* erat, et constare deberet neglectam inquisitionem certo in eius damnum cessisse, ut n. 420, 1° notatum est.

3° In casibus n. 418, 2°, 3° et 4° prius ut patet facienda est inquisitio, si quidem utilis iudicari possit. Tum

1) *Perseverante dubio* manent *quoad rem ipsam* eaedem, quae ibi, resolutiones. — *Quoad rei pretium vero* (1) et alia damna non videtur difficultas facienda, cum ex supposito de nullius damno, ut ex neglecta inquisitione certo secuto, constet.

2) *Cessante dubio,* seu comparente vel detecto domino certo, ex communi sententia (n. 420, 1°) a fortiori adest obligatio ut possessoris malae fidei. — Idem autem, quod ibidem, etiam hic notamus, et ob rationem (priori loco) ibi datam, obligationem quoad rei pretium aliave damna eodem modo restringimus. — Ceterum si titulo oneroso res acquisita fuit, observentur dicta n. 416.

Nota. Qui mala fide possedit rem, sed postea fundate dubitat, num res sua sit necne, iam obligatur ut possessor dubiae fidei, quia prius iudicium attendi non amplius debet.

ARTICULUS III.

DE POSSESSORE MALAE FIDEI ET DAMNIFICATORE INIUSTO (2)

422. Ne saepius idem dicere cogamur, pro ratione omnium quae hoc art. dicenda sunt, praemittimus ea quibus nituntur

(1) Extra casus quibus etiam bonae fidei possessor obligaretur.

(2) Sporer, ll. cc. et n. 178 sqq.; et. n. 231 sqq.

Principia. — I. Nemo ex re aliena ditescat cum iactura domini.

II. Suam quisque praestat culpam. — Speciatim hic attendatur ad culpam iniustae detentionis, seu restitutionis dilatae.

III. Res clamat ad dominum; (per se et naturaliter) fructificat et crescit, item descrescit et perit domino. — Ex quibus primo deducitur.

Regula generalis: talis restitutio est facienda, ut possessor non ditescat ex re aliena, ut dominus nullum damnum ferat, sed neque hic ditescat ex alieno. — Dein deducuntur 423.

Regulae speciales. I. Res ipsa quamprimum reddi debet, *vel eius pretium*, etiamsi possessor inde locupletatus non fuerit. 424.

II. Fructus omnes restituendi sunt, quos ipse percepit, etiamsi dominus eos percepturus non fuisset — est communis — imo multo probabilius, etiamsi iam consumpti sint; quia eo ipso quod extiterunt, fuerunt domini. — De fructibus, quos ipse *non percepit sed* dominus *percepturus* fuisset, deque iis, quos *nec percepit ipse nec percepturus* fuisset dominus, mox sub III.

Excipiuntur fructus *mere industriales, nisi* tamen domino debeantur titulo lucri cessantis.

III. Damna omnia resarcienda sunt, quae domino intulit, et in confuso saltem praevidit; sc.: a) *damnum emergens*, et b) *lucrum cessans*. — Proinde etiam fructus, quos ipse non percepit, sed quos dominus percepturus fuisset. Quo veniunt quoque fenera pecuniae.

Nota. Fructus, quos dominus percipere potuisset, sed revera percepturus non fuisset, et quos neque possessor percepit, ex probabiliori et communiori non debentur. — Contraria itaque iuris civilis dispositio, art. 634, poenalis haberi potest, non urgenda ante sententiam iudicis. — Postremo ex iisdem principiis resolvuntur nonnullae difficultates speciales, seu

Quaestiones. Ad quid tenetur possessor malae fidei, quando tempore quo eam detinuit, res varium valorem vel pretium habuit, vel habuisset, si a tempore furti commissi (vel iniustae acceptionis) usque ad tempus restitutionis servata fuisset? 425.

Resp. I. Si res adhuc extat apud furem (1), tum

1° *Si crevit,* reddenda est uti accrevit.

2° *Si decrevit,* reddenda est *addendo* tantum quanto deterior facta est, *nisi* decreverit ex vitio intrinseco vel casu fortuito, *et* aeque decrevisset apud dominum, secundum ea quae dicentur n. 427.

II. Sive res extat sive non amplius extat apud furem:

3° Si *vel* apud furem crevit, et iterum decrevit, *vel* res crevisset, modo ablata ne fuisset, *et* domino, quocumque modo (consumptione, venditione etc.) profuisset summus rei valor vel pretium, modo aut ablata ne fuisset, aut tempore summi valoris vel pretii fuisset restituta, fur obligatur secundum summum valorem vel pretium. — Elucidatur triplici exemplo sequenti.

Casus adesset: 1) Si fur surripuit frumentum, quod dum retinuit, pretio crevit iterumque decrevit; quodque dominus servasset, sed vendidisset tempore maioris pretii.

2) Si, in eadem hypothesi ex parte furis, dominus non quidem servasset frumentum ad tempus aucti pretii; sed tamen si eo tempore fur reddidisset, illud tunc vendidisset (2).

3) Si fur statim vendidit vel consumpsit frumentum, quod dominus servasset, et tempore maioris pretii vendidisset.

III. Si res non amplius extat apud furem:

4° Si furi quovis modo profuit summus rei valor vel pretium, secundum illa obligatur, etsi domino non profuissent.

5° Si incrementum valoris vel pretii (quod res habuit, vel habuisset, si hucusque fuisset servata) furi non profuit (quia aut rem vendidit, consumpsit etc. antequam creverat; aut quia eam servavit usque dum iterum decreverat); sed neque domino profuisset, etiamsi vel ablata res non fuisset, vel tempore maioris pretii seu valoris reddita ei fuisset; tunc fur non obligatur quoad illud incrementum, sed satisfacit reddendo vel rem eiusdem speciei et valoris ac surripuit, vel pretium quo dominus similem rem sibi comparare potest.

---

(1) Per furem hic intelligimus quemlibet malae fidei possessorem.

(2) Laymann L. III, Tr. II, Cap. IV, n. 5; De Lugo D. XVIII, n. 132.

«In praxi cum fere non innotescant omnes praefatae circumstantiae, plerumque sola urgenda est compensatio valoris, quem tempore furti res habuit». Gury n. 648.

Quaeritur, quid si aliena res per manus plurium malae fidei possessorum transiit. 426.

Resp. I. «Quoad rem, haec restituenda est ab eo, qui eam adhuc tenet, vel in alium valorem mutavit, aut consumpsit, vel quovis modo amisit». Gury n. 650. — Secundum alios tamen, si ultimus malae fidei possessor neque rem detinet in se vel in aequivalenti, neque eam iniuste destruxit vel consumpsit, quoad valorem rei inter iniustos possessores primo loco tenetur fur (1). Pergit Gury: «Hoc autem deficiente tenetur raptor. Quodsi neuter officio suo satisfecerit, ceteri per aequas portiones rei pretium solvere debent. Tandem in ceterorum defectu quisque ad totum tenetur (2)».

Resp. II. «Quoad rei fructus et damna singuli ad compensationes tenentur pro rata temporis, quo unusquisque rem detinuit. Si autem reliqui pro sua damnificationis et fruitionis parte non compensant, totius damni reparatio singulis incumbit, pro rata tamen temporis elapsi a die, quo successive facti sunt rei alienae iniusti possessores. Ita communiter».

Quaeritur, num possessor malae fidei restituere teneatur, pretium rei, quae apud ipsum periit. 427.

Resp. I. Affirmandum 1° si res apud dominum non periisset.

2° Etiamsi apud dominum periisset, sed apud possessorem periit 1) culpâ ipsius possessoris, 2) culpâ alterius, 3) antea (3) vel 4) postea quam apud dominum periisset.

II. Negandum 1° si periit ex vitio intrinseco.

2° Ex communiori et probabiliori, si periit èt eodem circiter tempore èt eodem periculo *communi*, quibus apud dominum periisset.

---

(1) Cfr. n. 433 et 447. Vid. De Lugo D. XIX, n. 119 sqq.

(2) De eo tamen, qui rem reddidit ei, a quo ipse eam emerat, vide n. 416, II, 2, 2°.

(3) Cfr. tamen nn. sqq.

Nota. Consonat quoad hunc et praecedentem casum *ius civile,* art. 634, *modo* ne agatur de fure: cfr. notam sequentem.

III. Controvertitur, si periit quidem eodem tempore, sed *non eodem periculo,* quibus periisset apud dominum. — *Affirmari potest,* quia possessor rem *huic* periculo exposuit; *negari* quia omnino accidentale et domino *perinde* est, utrum res ipsius *hoc an illo* periculo pereat.

Nota 1. *Ex iure civili,* art. 1480, a restitutione *numquam excusatur fur,* quocumque modo res periit. Iis itaque in casibus, quibus solo iure naturali attento fur deobligaretur, haec iuris civilis dispositio erit poenalis habenda, et non urgenda ante sententiam iudicis.

2. Quaestio praecedens disserit solum de compensanda ipsa re, non de fructibus, aliisve damnis vel lucro cessante, si et hisce compensandis locus datur.

428. Quaeritur, num ad restitutionem teneatur, qui destruxit vel consumpsit rem secus certo perituram apud dominum.

Resp. I. Ipso tempore periculi, v. gr. incendii, qui destruit vel consumit:

a) *Rem in ipso loco periculi,* unde secus certo erepta non fuisset, *non tenetur* ad restitutionem. Ratio, quia in iis circumstantis res erat ipsi domino et in communi aestimatione nullius valoris. Neque tenetur *etiamsi* ipse potuisset rem salvare, sed noluerit; quia non salvando egit tantum contra charitatem (1).

b) *Rem* prius periculo subductam et *in tuto positam,*

---

(1) Quoad postremo dictum advertit De Lugo D. XVIII n. 146: « non posse facile casum cum illis circumstantiis contingere; quia si [ipse] poterat, si vellet, rem eripere, non ergo erat inevitabiliter peritura res ipsa; ergo debet ex iustitia solvere *aliquid,* quantum sc. posset pro re in illo periculo posita inveniri et offerri ». — Marres n. 35 addit: « Qui vero huiusmodi rem consumpsit, et *rebus suis pepercit,* titulo rei acceptae nobis videtur ad restitutionem obligari, quia rem alienam in aequivalente adhuc detinet ». *Verum* ratio haec *in casu* non convincit, quia consumens non est ditatus in *damnum domini.* — Errat autem cl. A. dicendo: « lta [i. e. negat obligationem] De Lugo de destructione tantum ». Nam quamvis De Lugo l. c. n. 77 (quem numerum citat) de destructione tantum loquitur, tamen n. 144 idem expresse docet de consumente.

ita ut iam neque idem neque aliud periculum rei immineat; *certo tenetur,* quia res salvata clamabat domino (1).

II. Si casus, quo secus res certo erat peritura, nondum evenerat, sed tamen iam proxime imminebat:

1) Vasquez (2) et, teste Laymann, *alii absolute docent* destruentem vel consumentem in loco periculi imminentis *non teneri* — ob eamdem rationem — *nisi tantum* ad compensandum *usum* pro brevi illo tempore, quod apud dominum adhuc res extitisset, *si* hic usus fuisset pretio dignus; itemque *fructus* si qui tempore illo fuissent percepti (3). Sed

2) *Communiter distinguunt,* et *excusant* a restitutione, *si* periculum illud iam certo et communiter praevidebatur; quia in eo statu res erat nullius valoris. — *Aliter* vero resolvunt, « si tempore damni dati non erat notitia interitus vel periculi futuri. Ratio est, quia cum periculum illud ignoraretur, res illa tantum vere valebat apud homines, sicut si peritura postea non fuisset (4) ».

III. De possessore malae fidei, qui rem alienam salvare voluntarie negligit, vel destruit etc., quae secus *in communi periculo* aeque apud dominum ac apud ipsum certo erat peritura, eadem generatim AA. docent, quae supra exposita sunt.

Excipit tamen hic De Lugo (5) — contra Vasquez et Lessium ll. cc. — et ad restitutionem obligat possessorem *suppositis* 1° furem non potuisse eo tempore rem domino reddere, vel eam

---

(1) De Lugo, qui id, ait, « omnes fatentur »; l. c. n. 77 et 148. Nihilominus contrariam opinionem tradit Gury n. 646 scribens: « Plures hoc extendunt etc. » et citat De Lugo ac Elbel ibid. [i. e. n. 80], nec ullum alium. Quid vero sit de priori citatione, iam patet; ad Elbel quod attinet, hic n. cit. hunc casum ne tangit quidem, sed tractat casum proxime sequentem sub II.

(2) Cap. II. § III, Dub. III, n. 6; et Cap. V, § I, Dub. XI, n. 68-72.

(3) Pro hac opinione De Lugo et Laymann citant Lessium Cap. XII, n. 93; sed hic mentem suam non ita clare exponit; potius tamen loqui videtur in sensu opinionis communis. — V. d. Velden, qui n. 163 excusat furem rem alienam consumentem, non explicat utrum de hoc an de praecedenti casu loquatur.

(4) Sporer n. 213 sqq. (dicens esse commune, et citans Mol. Disp. 726, n. 2; Tamb. Lib. VIII, Tr. III. Cap. II, § IX, n. 8; et Layman Lib. III, Tr. II, Cap. IV); De Lugo l. c. n. 76 sqq. et n. 143 sq.; ita et Elbel ut certum n. 80 sq.

(5) N. 145 sqq.

reponere in loco, unde eam abstulerat; et 2° eum potuisse, si voluisset, rem salvare. Censet nempe, hisce circumstantiis concurrentibus possessorem teneri ex iustitia stricta rem domino morali diligentia custodire. Quod quidem probabilius videtur; imo commune esse testatur Sporer (1). *Oppositum* tamen propter auctoritatem DD. c. c. non improbabile dico.

429. Ad n. 427 sq. nota. 1° Iis in casibus, quibus supposuimus rem fuisse certo apud dominum vel in communi periculo perituram, *si iam supponimus* rem non fuisse quidem certo liberandam, sed tamen *spem probabilem* fore ut liberaretur, vel periculo non exponeretur; plures quidem possessorem obligant ad compensandam totam rem. Sed De Lugo (2) et cum eo Sporer (3) docent restituendum solum esse pro rata dubii. — Nullatenus autem hic applicandum, quod dictum est de causa dubia. In casu enim possessor certum reddidit damnum, quod alias probabile tantum fuisset.

2° *Si* possessor malae fidei, vel alius rem secus perituram non destruxit etc. sed *vendidit,* in quacumque hypothesi obligatur (praeterquam erga emptorem, etiam) erga dominum. Iis autem in casibus, quibus ex iustitia tenebatur rem salvare, obligatur insuper quoad damnum vel lucrum cessans, quae ipsi domino ex illa venditione praevideri debebant oritura; *nisi* tamen non potuisset alio vel meliori modo rem a periculo eripere quam vendendo.

3° Casu vel periculo communi, quo supponitur res fuisse peritura, *non* intelligitur casus, in quo secus *alterius iniuriâ* fuisset ablata vel destructa (4); *nisi* forte agatur de iniuria inevitabili et sine spe restitutionis faciendae, uti v. gr. de iniusta incursione hostium.

430. Quoad ius deducendi expensas a se factas, sunt qui possessori malae fidei denegant facultatem ullas cuiusvis generis deducendi. Sed

I. Ex iure naturali — 1° deducere potest ex opinione, quam Carrière (5) dicit multo communiorem et praeferendam,

---

(1) N. 218.
(2) N. 137.
(3) N. 210.
(4) Cfr. n. 390, I.
(5) N. 1080.

impensas non tantum necessarias factas ad rem servandam et fructus percipiendos (1); sed etiam utiles quibus tamen auctus sit valor rei; id autem, ut plerique restringunt, in tantum solummodo, *in quantum* ipse dominus eas impensas facturus fuisset ad rem eodem modo servandam aut meliorandam.

2° Non vero, generatim saltem, impensas voluptuarias. Attamen etiam hic Carrière (2) *excipiendum* putat, si congesta auferri non possint, et inde valor rei auctus sit.

II. *Ius civile* — 1° quoad impensas *necessarias* concordat cum iure naturali; art. 634.

2° Quoad *utiles* quae *non* sunt factae *ad servandam rem*, sensus art. cit. non est ita clarus; *videtur* tamen ius eas deducendi *negare* (3).

3° Quoad *voluptuarias et* eas quas possessor *in propriam utilitatem* fecit, *denegat* facultatem eas computandi; salvo tamen iure possessoris ea quae congessit auferendi, modo res inde detrimentum ne capiat; art. 636.

4° Statuit art. 635, eum qui *vi* rem alterius occupavit, *sumptus omnino nullos* deducere posse. Quae tamen *poena* non est in conscientia subeunda nisi *post sententiam* iudicis.

Iniustus damnificator restituere tenetur 1° totum aequi- 431.
valens rei damnificatae; 2° totum aequivalens damnis praevisis, ut expositum est in praecedentibus.

Monita pro praxi.

I. « Confessarius non nimis anxie cum poenitente computet admodum 432.
incertum quandoque pretium, tum rei ipsius tum illius fructuum, atque deducendos sumptus aut forte erogatos, aut forte impensos pro labore et iudustria; nec scrupolose aestimet damnum cuiuslibet generis domino forte illatum. Sed rem, spectatis circumstantiis, *nomine domini*, cuius res utiliter gerit, ex aequo et bono cum iniusto possessore [vel damnificatore] componat; 1° ne nimium petendo et nihil obtinendo nedum faveat, noceat domino; 2° quia rationabiliter praesumere potest, dominum, quo certius rem suam recuperet, in restitutione sibi debita non ultimum exigere qua-

(1) Fructus intellige, quos restituere vel compensare debet.

(2) N. 1084.

(3) Cfr. art. 658 (N. 78); item art. 634 conferatur cum art. 630.

drantem; 3° quia iniusti possessores [et damnificatores] non omne damnum illatum ne in confuso quidem praevidere solent».

II. « Prudentia requirit, ut confessarius etiam ad bonam fidem, et animum poenitentis ad debitam restitutionem magis aut minus paratum attendat. Animadvertat etiam (1), fieri posse, ut iniustus possessor, qui ratione *rei* malae fidei fuerit, *fructus* tamen bona fide perceperit, atque aut consumpserit, aut destruxerit (2) ».

III. Fructuum, qui percepti sunt, vel percipi potuerunt ex rebus parvis et vilibus, quarum nim. similes dominus facile, si voluit, comparare sibi potuit, restitutio vel compensatio exigi non censetur (3).

ARTICULUS IV.

DERESTITUENDI OBLIGATIONE IN SOLIDUM.

433. I. **Obligatio in solidum** ea est, qua si plures in idem damnum influxerunt, singuli praestant totum damnum.

II. Oritur ex hoc, quod singuli *iniuste*, efficaciter et *culpabiliter*, in integrum damnum influxerunt, ita ut hoc integrum singulis imputari possit.

III. Distinguitur a) alia *absoluta*, qua ante alios tenetur 1° *possessor* rei alienae (4), 2° *causa principalis* damni. Alia est

b) *Conditionata*, qua 1° tenetur *causa secundaria* in defectu causae magis principalis; uti consulens in defectu exequentis, hic in defectu mandantis; et 2° tenentur *causae aequales*, sive principales sive secundariae; quae nim. per se pro rata sua parte tantum, sed unus in defectu alterius etiam pro huius parte tenentur.

434. Difficultas est in determinando, quandonam singulis causis *aequalibus* totum damnum imputari possit. — Quae ut solvatur,

Distinguendum est. Qui in totum damnum influxerunt — id quod hic semper supponitur (5) —

---

(1) Uti monet De Lugo Disp. XVII, n. 53.

(2) Marres n. 39.

(3) Gury, Casus n. 614.

(4) Cfr. n. 426, I et 447.

(5) Non agitur sc. de casu, quo plures quidem unum damnum intulisse dici possunt, idque etiam simul, sed absque ullo mutuo influxu vel dependentia; ut qui ex eadem rerum copia aliquid auferunt.

I. Partialitate causae *at simul* totalitate effectus — seu, ut alii dicunt, totalitate causae et negative — hi certo et omnium consensu tenentur, nim.:

1° Ii quorum *cooperatio fuit necessaria,* quamquam *non sufficiens,* ad damnum inferendum. V. gr. si decem suffragantur pro sententia vel lege iniusta, quae minori decem numero suffragiorum ferri non potuit; — si tres auferunt rem, quam duo auferre non potuissent (1).

2° Qui egerunt *ex conspiratione stricta,* ita nempe ut, nisi ad unum omnes concurrissent, damnum non fuisset illatum. — Tum enim vi conspirationis singulorum cooperatio fuit necessaria. — Num etiam in solidum obligentur, qui concurrunt

II. Partialitate causae *tantum* — seu, ut alii vocant, totalitate effectus quidem sed partialitate causae — id quod dicitur de iis, quorum singuli *neque sufficientem neque necessariam* causam posuerunt, seu in totum quidem damnum, at pro sua quisque parte tantum influxerunt; ut si quinque rem unam auferunt, quam etiam tres abstulissent; vel si quis alium ad furandum inducit, ita ut motivum ab ipso propositum neque solum suffecisset, neque necessarium fuerit ad furem efficaciter movendum: controvertitur. — Utraque opinio certo extrinsece probabilis, *negans* vero intrinsece *probabilior* videtur; cum in casu revera non singulis seorsum, sed tantum omnibus simul integrum damnum abscribi possit.

Huc referendum puto casum, quo plures ad damnum, sive dividuum sive individuum, concurrunt *de commnni consilio,* non tamen ex conspiratione stricta (2). — Num tandem teneantur in solidum, qui influxerunt

III. Totalitate causae — et positive, addunt alii — i. e.

---

(1) Huc de Lugo refert generatim casus, quibus duo ponunt singuli partialem, simul autem efficacem damni causam; ut si duo alicui suggerunt motiva ad furandum, quae non singula sed coniuncta suffecerunt ad furem determinandum. Disp. XIX, n. 84 et 86. Verum, nisi supponatur insuper mutuus influxus vel dependentia, solum *per accidens* contingere videtur, ut in huiusmodi casibus totum damnum a singulis dependerit.

(2) Cfr. De Lugo l. c. n. 83 et 96.

quorum singuli posuerunt causam de facto *sufficientem*, etsi *non necessariam* ad totum damnum inferendum; v. gr. duo quorum uterque lethale vulnus occiso inflixit, vel furi motivum efficax ad furandum proposuit, vel qui simul unam rem auferunt, quam etiam singuli soli abstulissent:

Communiter affirmant (1) *saltem si simul* causam posuerunt (2):

Sunt tamen, qui hanc hypothesim a praecedenti vel non satis distinguunt, vel etiam cum ea confundunt. Hoc autem immerito, cum satis clare pateat casuum differentia.

Sunt etiam, *pauci* tamen, qui casum casui pro resolutione aequiparant, *si agitur de causis physicis* et obligationem solidariam *negant;* idque *probabiliter*, opinor. Quoad causas enim physicas vere dubitatur, num concurrere possint duae causae adaequatae unius effectus; hoc autem in hypothesi requiritur; n. pr. II. Quod singulae quidem de facto *suffecissent* i. e. quod singulae *potuissent* etiam sine alterius causae concursu damnum inferre — plus autem in hypothesi probabiliter ne supponi quidem potest — hoc non sufficit ad obligationem solidariam. Aliud est de causis moralibus (3).

435. I. In praxi pro casu obligationis solidariae conditionatae « advertendum, quod rudes, etsi teneantur in solidum, raro expedit obligare ad totum, cum difficulter isti sibi persuadeant, se teneri ad restituendam partem a sociis ablatam; quinimo satis praesumi valet, quod ipsi domini, quibus debetur restitutio, consentiant, ut illi restituant tantum partem ab iis ablatam, cum aliter valde sit timendum, ne nihil restituant, si obligentur ad totum (4) ».

II. In dubio, num quis efficaciter in integrum damnum influxerit, eo ipso *practice* obligatio in solidum imponi nequit (5).

---

(1) Quinimo « nec de hoc ulla est controversia », ait Sporer. n. 349. Revera plerique saltem ita absolute docent.

(2) Si enim causae non sunt simul positae, *omnem* obligationem pro causa posteriore negari a pluribus, iam dictum est n. 391, III.

(3) De Lugo Disp. XIX, n. 5. Adverte tamen etiam quoad causas morales notam praecedentem.

(4) S. Lig. n. 579 in fine.

(5) Cfr. n. 386 sq.

CAPUT TERTIUM.

DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS ET SOLUTIONIS.

Pleraqua ex dicendis de circumstantiis solutionis, seu restitutionis late dictae, huc propter materiae affinitatem remisimus.

ARTICULUS I.

CUINAM RESTITUENDUM? (1)

436. I. Restitutio facienda est *per se* personae laesae, vel ei qui in huius iura successit, sive domino sive legitimo possessori, qui nempe rem iusto titulo vel saltem bona fide possidebat.

Nota. Res tamen immobilis, et rerum mobilium universitas, etiam malae fidei possessori reddi possunt, modo dominus moneatur; ne sc. restituens gravi damno sese exponat, eo quod possessori ex lege civili actio possessoria competit.

437. II. Si dubitatur, cuinam inter paucos res debeatur, tradenda est illis in communi, ut ipsi pro rata dubii rem inter se dividant, vel de ea transigant. — *Quodsi* possessor sine incommodo pro rei valore relative gravi, ut propter periculum infamiae, rem ita tradere non possit, potest ipse eam inter eos pro rata dubii dividere.

438. III. Si dominus penitus ignoratur; vel, si notus adiri nequit:

1° Possessor *bonae fidei* probabilius a) rem mobilem ut inventam retinere, b) immobilem praescriptione acquirere potest.

2° Possessor *malae fidei,* si non ex iure naturae, de quo dubitatur, saltem ex iure canonico secundum communem sententiam restituere debet causis piis vel pauperibus. Hoc enim statuitur de acquisitis per usuram vel simoniam, idque communiter extendunt ad omnia ex delicto debita (2).

(1) Sporer. Tr. IV, n. 358 sqq.

(2) Duo ad rem hic notat Aertnys. 1° Hoc « locum habet, cum defraudati *pauci* sunt: si enim *multi alicuius Communis* damno affecti fuerint puta in ven-

Possessor tamen *pauper* seipsum aliis pauperibus praeferre, et quasi sibi restituendo obligationem suam extinguere potest. Est communis.

439. Quaeritur ad n. pr.. 2° quid si, re pauperibus tradita, dominus compareat?

Supposito rem non esse traditam nisi quando sperari amplius non poterat fore ut res ad dominum reverteretur:

Resp. I. Restituens ad nihil amplius tenetur; non enim ratione rei acceptae, ut patet; sed neque ratione iniustae acceptionis, quia culpam illam iam purgavit.

II. 1. *Ex iure naturae* neque pauperes tenentur aliquid restituere, *si* rem bona fide *consumpserunt* (1).

Imo *secundum plures* nec etiam *si* res adhuc in specie *extaret;* quia res ipsis erogata est vèl secundum rationaliter praesumptam voluntatem domini, vèl quando hic iam ius suum in rem amiserat (2). *Alii aliter* resolvunt, quia distributio in pauperes conditionate facta censenda est. Quod quidem *in praxi* communiter *verum* est, *quando* (3) ex adventu domini arguitur, non fuisse adhi-

---

ditionibus.... et ignoratur in particulari quibus damnum datum sit, tunc... restitutio omnino, quoad fieri potest, facienda est civibus eiusdem loci, ubi fraus commissa est, non pauperibus; quia cum damnum passi aliquatenus cogniti sint, videlicet, emptores ordinarii, ipsis, quantum fieri potest, damnum compensari debet, puta vendendo illis vel merces meliores, vel viliori pretio, vel maiori pondere aut mensura, vel aliter. Verumtamen censet S. Alph, huiusmodi venditores non *sub gravi* teneri civibus restituere sed satisfacere suae *gravi* obligationi, si pauperibus restituant. Quapropter excusantur etiam a veniali, si restituant pauperibus, accedente aliqua rationabili causa », N. 345, 3° Edit. 4ª — 2° Num etiam *simplex damnificator* pauperibus, loco domini ignoti, restituere debeat, « nulla invenitur de hac quaestione apud DD. disputatio. Quidam extendunt doctrinam traditam... ad quaecumque damna data... Plerique [i. q. citat Sporer Tr. IV, Cap. III. n. 101, (Edit. Bierb. n. 386); sed perperam; vid. Sporer. Tr. V, n. 590] tractant dumtaxat de bonis acquisitis, tacent vero de puris damnis datis ». N. 346, 4°. Neque eadem est ratio; possessor enim ex alieno ditescit, non ita simplex damnificator.

(1) Secundum omnes, ait Sporer n. 389.

(2) Cfr. n. 73, IV.

(3) Ita Sporer rectius loquens quam De Lugo, qui D. XXI, n. 102 sic *communiter* arguendum esse dicit. Cfr. Ball.-Palm. Tom. III, P. I. n. 156 sqq. et P. II, n. 191: ed 3ª n. 83 sqq. et n. 404.

bitam sufficientem diligentiam — *sed* hoc est contra hypothesim — secus vero non attenditur ad casus mere possibiles vel fortuitos.

2. *Ex iure civili* dominus servat ius repetendi a) rem mobilem ablatam vel amissam per triennium, b) rem immobilem donec praescripta est. — Sed, supposito secundum dicta sub 1° pro iure naturae dominium translatum fuisse,

Nota. Si agitur de causa pia, ita ut res ipsi erogata bonum ecclesiasticum evaserit, *pro foro conscientiae* ius civile negligi potest; si vero ipsis pauperibus immediate res data est, *practice* difficultas non occurret.

IV. Res *reipublicae* debita apud nos tradenda est Regio Mini- 440.
stro aerario publico praeposito. Res *municipio, corpori morali, instituto* vel *societati* debita tradi debet illis, qui eorum bona et res administrant; *nisi* quandoque prudentia suadeat aliâ viâ uti, qua tamen dominus certo indemnis fiat v. gr. sublevando pauperes, quorum cura illis speciatim incumbit. Res autem quae pro republica aut civitate materia levis reputari potest, ex praesumpto consensu pauperibus regni aut civitatis tribui potest. Marres n. 133.

ARTICULUS II.

DE RESTITUTIONIS ET SOLUTIONIS ORDINE.

§ I. — *Ordo inter Creditores* (1).

Ex iure naturae I. Res aliena in specie extans 441.
apud debitorem reddenda est, prae omnibus aliis creditoribus, domino — vel, ex communi, *pauperibus* secundum dicta n. 438, 2°. — Attamen, quando pauperibus reddenda foret, De Lugo (2) excipit casum debitoris pauperis, qui secus satisfacere non posset creditoribus certis.

II. Debita ex titulo oneroso vel delicto prius solvenda sunt, quam debita ex titulo gratuito, sive haec ante

(1) Sporer, Tr° IV. n. 484 sqq. — Supponitur debitor *omnia* debita solvendo impar.

(2) Disp. XX, n. 7.

sive post illa contracta sunt. — In haec omnes consentiunt, et rationes satis patent.

III. Debita ex delicto a) pauci putant esse praeponenda debitis ex contractu oneroso, quia quoad illa laesus censetur magis invitus; b) alii pauci postponenda putant, quia posteriora nituntur fidelitate simul et iustitia; sed c) communiter aequiparanda censent, quia idem est vinculum iustitiae.

IV. Creditores tempore priores num praeferri debeant posterioribus, controvertitur. Communius et probabilius *negatur;* quia omnes per se immediate ius, idque aequale, in personam tantum debitoris habent, non in eius bona nisi mediate.

V. Creditores certi (noti) incertis (pauperibus etc.) *ex communi antiquiorum praeferri debent,* quia illi habent ius proprium et immediate, hi vero ex lege naturali solum vel canonica, adeoque et remote tantum. *Aliter* multi *recentiores* probabiliter docent, quia ad hos transit ius illorum. — Satis tamen *omnes consentiunt* certos praeferri *posse,* ob praesumptum creditorum incertorum consensum, ut sc. debitor se liberet a creditoribus certis, qui ne ipsum persequerentur secus timendum saepius foret.

VI. Creditores pauperes ius strictum satis certo *non habent,* ut praeferantur divitibus. — Quodsi tamen in necessitate saltem gravi versentur, ex praesumpto creditorum consensu secundum legem charitatis praeferri possunt.

442. *Ex iure civili,* propter ius praelationis quibusdam creditoribus concessum, ordo servandus est sequens:

Primo loco veniunt, qui praeferentiam habent ex pignore vel hypotheca, respectu sc. rei sibi obligatae; *nisi* lex contrarium diserte statuat; art. 1180 (1).

Secundo loco, qui praeferentiam habent ex privilegio in *determinata* quaedam bona; art. 1185 sqq. (2).

Tertio loco, qui praeferentiam habent ex privilegio in omnia bona *in genere;* art. 1195.

---

(1) In quo ius nostrum discrepat a pluribus aliis legislationibus recentioribus.

(2) Quinimo locator hoc iure uti potest in res etiam non conductoris proprias.

Quarto loco creditores communes seu chirographarii; quibus *pro rata* solvitur, nec attenditur tempus quo debita sunt contracta; art. 1178.

Communiter, contra nonnullos, theologi docent, has de praelatione leges esse *in foro conscientiae* observandas; quia nim. sunt iurium *determinativae*, ita ut indirecte saltem obligationem gignant (1). Attamen sicut iura creditoribus concessa non sunt ultra mentem legislatoris extendenda, ita et consequenter neque obligationes debitorum. — Quoad utraque, et attento utroque iure

Quaer. I. Num *debitor* creditori prius petenti prius solvere; 443.

II. Num etiam sponte unum creditorem aliis praeferre; et

III. Num *creditor*, qui alterutro modo solutionem accepit, eam integram retinere possit.

Praenotamen 1. Ad omnia negandum est, si debitor solverit tempore, quo *iam foro vel bonis cesserat;* ex dictis n. 148.

2. Ex hoc quod *iura hypothecae et pignoris* sunt *realia,* quae nim. ipsas debitoris res afficiunt, communiter deducunt graviter laedi ius strictum creditorum hisce iuribus gaudentium, si ex rebus ipsis obligatis prae ipsis aliis creditoribus solveretur. — Extra hos casus:

Resp. ad I. Creditori petenti prae aliis solvere, *speculative* loquendo *probabilius* aeque *illicitum videtur* ac solvere non petenti, ut mox ad II dicetur, et ob eamdem rationem; quia nullo iure (2) petitioni ulla efficacia tribuitur. Nihilominus *affirmativa* opinio *satis probabilis* videtur, tum quia ita fert usus in commercio receptus maxime si dies solvendi advenit, tum quia plerumque solutio sine magno incommodo negari non posset. Quam postremam ob rationem, casu quo vere existit, haec opinio *practice* imo *probabilior* mihi videtur, quia alii creditores non possunt esse rationabiliter inviti (3).

---

(1) Cfr. n. 14, II.

(2) Saltem apud nos. Ex iure Romano antiquiores satis communiter aliter concludebant.

(3) Cfr. Marres n. 310; Gènicot n. 603, 7°.

444. Resp. ad II. a) Debitor ex communi antiquorum sententia iniuste agit, si ipse sponte uni creditori non privilegiato, neque petenti — neque quoad tempus priori, secundum non improbabilem exceptionem (1) — neque pauperi in gravi necessitate versanti (2), prae aliis totum debitum solvat; quia ipse ex iustitia erga omnes creditores aeque obligatur, idque ex ipso iure naturali, ideoque per se omnibus pro rata solvere tenetur.

b) Recentiorum plures vel *affirmant,* vel saltem licere censent creditorem monere ut petat. Quod *probabile* videtur. « Difficulter enim aliquis evadat argumentationem, quam instituit Lugo (3): Quodsi liceat prius petenti integre satisfacere, cur non licebit eum ut amicum monere, ut prius petat? quod nihil aliud est, nisi non petenti integram solutionem offerre; siquidem offerendo debitor monet creditorem, creditor annuendo petit, atque sic solutionem accipit (4) ».

445. Ad I et II. « In iure recentiore, ut recte advertit Marres (5), debitor, dum res suas gerit solvere potest creditori etiam non privilegiato petenti (6) prae altero creditore privilegiato non petenti (6), quia in hoc iure creditoris privilegium solummodo robur habet, postquam debitoris res iuridice apprehendit ».

Ex eadem ratione A. l. deducit (7), debitorem *etiam privilegiato* creditori prae non privilegiato *offerre* non posse solutionem, quia cum aliorum damno ius privilegiati ultra fines a legislatore constitutos et tacita conventione firmatos extenderet. — *Sed talem* esse legislatoris mentem, ut debitor ad hoc ut privilegio creditori concesso satisfacere possit, expectare *debeat* iuridicam apprehensionem, nedum satis constet, *vix probabile* videtur.

446. Resp. ad III. 1° Ex dictis nn. pr. iam concludi potest *creditores* saltem in tantum probabiliter solutionem petere et acci-

(1) N. 441, IV.
(2) Ibid. VI.
(3) Disp. XX, n. 174.
(4) Lehmkuhl n. 1027.
(5) N. 310, III.
(6) « Petenti — non petenti ». Haec A. l. addit conformiter suae opinioni neganti licere ut praeferatur non petens.
(7) N. 309.

pere, solutumque sive petierunt sive non petierunt integre retinere posse, in quantum probabile est, debitorem eis licite solvere debitum; verum

2° *Supposito etiam* ex sua parte *debitorem illicite agere solvendo,* quod, ut dictum, revera communius supponitur in casu sponte oblatae solutionis:

1) *Communius* resolvunt, etiam creditorem a pari iniuste agere, et restituere debere quod accepit, vèl omne vèl pro rata pro variis circumstantiis.

2) *Plures* saltem ut probabile *excipiunt,* si creditor *bona fide* solutionem accepit; quia tunc non tenetur ex iniusta acceptione, ut patet, neque ex re accepta, cum non acceperit nisi quod sibi debebatur.

Alii creditorem ab iniustitia et a restitutione *excusant, etiamsi* solutionem acceperit *sciens imparem* esse solvendo debitorem, *modo* vi vel fraude usus ne fuerit. Ratio: creditores non sese mutuo a suo iure excludunt, neque unus alterius iuri invigilare tenetur; quare, cum suum quisque ius tantum prosequatur, permissive se habere potest ad hoc, quod inde aliis creditoribus solvi non poterit. Idemque resolvunt, *etiamsi non privilegiatus* solutionem acceperit prae alio privilegiato. Quod quidem *probabile* videtur tum extrinsece (1) tum intrinsece.

Neque obstat ius civile. Nam lex civilis praescribit quidem, quomodo debitoris solvendo imparis bona inter creditores, sive privilegiatos sive communes, *distribui* debeant; sed nullibi patet legislatorem prohibere voluisse creditores, ne in petenda vel accipienda solutione alios praeveniant; neque irritat solutiones contra suum praescriptum factas; quinimo neque generatim neque per se ullas solutiones a iudice irritandas declarat (2).

§ II. — *Ordo inter debitores solidarie obligatos* (3).

447. Inter debitores qui diverso modo ad idem damnum concurrerunt:

(1) Ita praeter Sporer n. 506 in fine, docent Laymann L. III. Tr. II, Cap. XI, n. 6, ass. 7; Lessius Cap. XV, Dub. V, n. 40 sq., pluresque recentiores.

(2) Cfr. n. 148 et lex de cessione fori art. 42 sqq.

(3) Sporer, Tr. IV, n. 354 sqq.

Primo loco obligatur possessor, qui rem alienam habet in se vel in aequivalenti; *vel* qui mala fide eam consumpsit aut destruxit, etiamsi inde ditior non sit factus. — *Excipitur* tamen cum De Lugo (1) et aliis, *si* consumens vel destruens ditior non est factus, *et* rem consumpsit vel destruxit nomine alterius, qui damnum in se suscepisse censeri debet (2).

Secundo loco obligatur mandans, cui aequiparandus consulens, qui consilio doctrinali exequentem *in errorem invincibilem* induxit (3).

Tertio loco obligatur raptor seu executor. — Quodsi hic suo et simul aliorum nomine damnum intulit, obligatur 1° simul cum aliis quorum communi nomine damnum datum est, ut causa principalis; 2° ut executor, ante alias causas positivas et negativas.

Quarto loco obligantur ceteri cooperatores *positivi*, sc. consulens (consilio impulsivo, non doloso respectu exequentis) et alii. Qui obligantur omnes simul pro rata, i. e. secundum gradum uniuscuiusque influxus in damnum; num etiam obligentur in solidum, vide n. 434.

Quinto loco obligantur causae negativae, quae probabilius *per se* omnes simul tenentur. — Dari tamen potest aliquis ordo; sic v. gr. custodes vel praefecti particulares obligantur ante praefectos generales, si hi posteriores neglexerunt tantum suum officium invigilandi ut particulares officio suo debite fungerentur.

448. Si unus ex debitoribus solidariis totum restituit:

I. Liberantur omnes minus principales, sed

II. Obligantur erga eum 1° causae magis principales quoad totum; 2° aequales pro sua quisque parte. Si v. gr. quatuor causae aequales et solidariae tenentur restituere 12 florenos, et unus totum restituit, atque ex tribus aliis unus tantum vult et potest ei satisfacere, reddere debet saltem tres florenos, nim. pro sua ipsius parte. At

(1) Disp. XIX, n. 120.
(2) Cfr. n. 426 et 433, III.
(3) Cfr. n. 397.

Quaeres, nonne debet et alios tres solvere ex sex florenis quos duo alii debent?

Resp. Eum ad hoc obligari, revera videtur sensus opinionis quam Sporer (1) sequitur, atque communem dicit. Sed *probabiliter negari* videtur cum Ballerini (2), eo quod ratio obligationis in solidum existit solum erga creditorem, non erga socios debitores.

Si condonationem debiti a laeso obtinuit: 449.

I. Causa principalis, liberantur omnes secundariae.

II. Si secundaria, non liberatur causa magis principalis.

III. Si una ex aequalibus, non liberantur aliae, *nisi* contrarium praesumi possit; liberantur tamen a restituenda parte socii condonata.

Ex iure civili 1. Si uni ex debitoribus solidariis ex contractu debitum est remissum, liberantur omnes alii, nisi creditor contrarium diserte exprimat; art. 1476.

2. Condonatio facta debitori principali liberat fidejussores, non vice versa; facta uni ex fidejussoribus non liberat alios; art. 1478.

ARTICULUS III.

DE RESTITUTIONIS ET SOLUTIONIS TEMPORE (3).

Restitutio proprie dicta facienda est quamprimum et in 450.
quantum moraliter fieri potest; n. 355. — Ex communi tamen dilatio etiam diuturna restitutionis per se est unum tantum numero peccatum continuatum, nisi sc. quis modo propositum restituendi conceperit, modo iterum abiecerit.

Monita pro praxi I. Per se, i. e. nisi bona fides excu- 451.
set, ad quod praecipue in casu difficilioris restitutionis faciendae attendendum est, quo eodem casu insuper secundum generalem prudentiae regulam monitio pro circumstantiis aut facienda aut omittenda est:

---

(1) N. 357.
(2) Tom. III, P. II, n. 173: ed. 3ª n. 389.
(3) Sporer, Tr. IV, n. 403 sqq.

Absolutione indignus est 1° qui restituere *non vult*, vel non intra breve saltem temporis spatium, rem gravem, quam commode statim vel brevi restituere potest.

2° Qui *nihil agit*, quo facultatem restituendi, vel suo tempore solvendi, sibi comparet, si ea nunc destituatur; vel qui iusto maiores impensas facit, praevidens se inde imparem reddi restitutioni, vel suo tempore solutioni faciendae.

3° Qui ita *futiles praetextus* affert ad restitutionem vel solutionem differendam, ut prodat affectum non reddendi vel solvendi quamprimum possit; uti illa: « non auferam mecum bona illa in tumulum — restituent heredes — restituam per testamentum — iam filiis meis praecepi ut restituant ».

II. Quamvis sincerum quamprimum restituendi vel suo tempore solvendi propositum in rigore semper sufficiat ad validam absolutionem: prudentis tamen confessarii est in singulis casibus gravis restitutionis vel solutionis faciendae indicare, quid praestet; sc. utrum differre absolutionem, donec restitutio vel solutio sit peracta, an contra statim absolutionem concedere, ne poenitens simul et a sacramentis avertatur, et restitutionem vel solutionem negligat. Idque maxime si agatur de poenitente, qui iam bis vel ter restitutionem vel solutionem pollicitus promissis nondum stetit.

III. Caute agere debet confessarius *cum moribundo* restitutioni vel solutioni obnoxio. Sic autem procedere poterit:

1° Si poenitens videatur esse in bona fide, nec supersit tempus eum de sua obligatione prudenter monendi, aut praevideatur probabiliter saltem non profutura esse monitio, hac omissa erit absolvendus.

2° Si vero fructus monitionis speretur, aut si poenitens non sit in bona fide, fortiter simul et suaviter erit admonendus de sua obligatione et ad illam exequendam adiuvandus.

3° Si obligatio occulta sit, nec statim fieri queat, erit inducendus aeger ad summam pecuniae confessario vel potius, si fieri potest, viro fideli committendam, ut postea creditori secreto remittatur; vel ad eam summam in testamento relinquendam omissa obligationis mentione.

4° Si obligatio non sit occulta, nec statim adimpleri possit, confessarius efficiat, ut per heredes certo facienda curetur, sive per schedulam creditori tradendam etc. Gury n. 632.

Sedulo tamen confessarius curet, ut non tantum sigillum confessionis non violet, sed etiam ne suspicionem quidem violationis incurrat. Marres n. 15.

Quaeritur, num qui restitutionem vel solutionem distulit, teneatur compensare damnum creditori emergens et lucrum cessans? 452.

Resp. I. Si distulit culpabiliter, generatim affirmandum quoad damna, quae praevisa in confuso saltem fuerunt.

Quam obligationem pro debitore *ex delicto* plures extendunt ad damna etiam extraordinaria seu fortuita; quod tamen, ante sententiam iudicis, alii probabiliter negant.

II. Si distulit ex legitima causa, 1. *debitorem ex delicto* adhuc plures obligant ad compensanda quaecumque damna. Alii tamen excusant a compensandis extraordinariis, quae nim. praevideri non potuerunt. Imo alii adhuc probabiliter eum excusant a damnis resarciendis, nisi haec praevidens posuisset voluntariam causam dilationis (1); addiderim: vel nisi ab initio impotentiam restituendi et damna inde secutura praeviderit.

2. *Debitorem ex re accepta* communius excusant (2).

3. *Debitor ex contractu* obligatur 1° si est *in mora theologice culpabili;* quae, ut advertit Marres (3), supponit debitorem esse in mora secundum praescripta iuris civilis (4); lex enim aeque favet utrique contrahenti.

(1) Cfr. Lacroix Lib. III, P. II, n. 252.

(2) Est contra Molinam Disp. 554, n. 3, qui supposito debitorem *in proprium commodum* differre restitutionem eum teneri dicit; « ex tacito pacto ac conditione, sub qua licite velle potuit eam dilationem restitutionis ».

(3) N. 196 et 202.

(4) « De schuldenaar wordt in gebreke gesteld, hetzij door een bével of andere soortgelijke akte [a], hetzij uit krachte der verbindtenis zelve, wanneer deze medebrengt dat de schuldenaar in gebreke zal zijn door het enkel verloop van den bepaalden termijn »: art. 1274. — [a] Ut debitor *interpellatus reputetur*, ex mente legislatoris, secundum doctrinam iurisperitorum, sufficit quaelibet monitio; *ad iuridicam* vero interpellationis *probationem* requiritur, ut fiat per apparitorem vel simili actu, i. e. scriptura quae eamdem vim probandi habeat seu scriptura privata, qua debitor agnoscit se monitum fuisse. Marres n. 199.

2° Si ita *expresse conventum* est;

3° *Ex iure civili* art. 1279; 1) si *postquam* est in mora constitutus, *adhuc negligit* (1) implere suam obligationem; 2) si res pacta solum dari vel fieri potuit *intra quemdam terminum,* quem debitor non servavit. si v. gr. tradere debuit merces, quas creditor in primis sequentibus nundinis venderet. Qua de re

Nota a) *Pro foro conscientiae* probabilius requiritur sententia iudicis.

b) Ex art. 1286 *fenus moratorium* — debitum sc. a non solvente pacto tempore certam quamdam pecuniae summam — *debetur absolute;* i. e. creditor non tenetur damnum secutum probare; non tamen currit nisi a die iuridicae petitionis.

Extra hos casus debitor ex contractu non obligatur.

ARTICULUS IV.

DE RESTITUTIONIS LOCO ET IMPENSIS (2).

453. Res bona fide possessa reddenda est in loco debitoris, seu ubi res est, nec alio transmittenda nisi *impensis domini.* — Contra

II. Res mala fide occupata vel retenta reddenda est in loco domini, i. e. ubi dominus eam possideret, si ablata vel retenta non esset, idque *impensis debitoris,* iis tamen deductis expensis, quas etiam dominus fecisset. — Quodsi expensae faciendae nimiae forent, ex praesumpta domini voluntate licebit loco rei reddere huius pretium; quod cum hodie minimis expensis transmitti possit, inutile iam erit inquirere, quanto damno hanc ob causam subeundo debitor excusaretur.

454. Quaeritur, quid si res transmissa casu vel aliena infidelitate perit, vel ad dominum non pervenit.

---

(1) « *Na* in gebreke te zijn gesteld, *nalatig blijft* ».

(2) Sporer, Tr. IV, n. 437 sqq.

Resp. I. Possessor bonae fidei ad nihil tenetur, *modo* prudenter egerit (1).

II. Debitor ex delicto 1) ex communi et probabiliori sententia non liberatur, quia eius delictum manet causa damni, quod fert dominus.

Excipe, si dominus rei tradendae periculum aliquo modo in se suscepit; nim.:

1° Si ipse per procuratorem rem iam accepit.

2° Si indixit, quonam modo res sibi traderetur.

3° Si debitori concessit facultatem eligendi nuntium vel viam aptam. Excipe praeterea,

4° Si debitori modus in iure seu a iudice est designatus.

2) Contraria nonnullorum opinio hac paesertim nititur ratione quod taciti — intellige: rationabiliter praesumpti — et expressi consensus eadem est vis. — Sed in casu obstat, quod domini consensus non est late sed stricte interpretandus; inde differentia.

Secunda haec opinio, saltem generatim, non videtur solide probabilis.

Attamen 1° non est improbabilis exceptio pro casu, quo restitutio fuit confessario commissa. Hic enim potiori iure quam quilibet alius ex praesumpta domini voluntate considerari potest ut ipsius quasi-mandatarius seu negotii gestor; qui proin nomine creditoris restitutionem accipere possit. Id quod etiam plures ex communis sententiae patronis concedunt; « quod non audeo damnare », ait Sporer n. 481.

Num etiam 2° probabilis sit pro casu, quo confessarius bona fide et errore inculpabili ductus restitutionem pauperibus fieri iussit, non affirmaverim, nisi forte ex tota creditoris liberalitate eius consensus satis colligi potest, cum pauperes dici nequeant negotii gestores creditoris. Quamquam confessarius subsequens, qui rem comperit, non minus quam in praecedenti casu prudenter aget, si dissimulat (2).

---

(1) Sporer n. 474 quoad hoc debitorem ex re accepta, si agitur de debito personali et indeterminato, aeque obligatum adhuc dicit ac debitorem ex contractu. Quod tamen admittendum non videtur, cum dispar omnino sit ratio.

(2) Lehmkuhl n. 1030 sq.

« Quodsi tamen velis [poenitens] sequi sententiam modo propositam, non audeo te iterum obligare », ait Sporer n. 482.

N. B. De debitore *ex contractu* quoad haec dictum est in Tr. pr.

ARTICULUS V.

DE RESTITUTIONIS ET SOLUTIONIS MODO (1).

455. I. Sufficit generatim modus, quo dominus efficaciter indemnis reddatur. — Quare per se non requiritur, ut fiat palam, advertente domino, vel per ipsum debitorem.

II. Sufficit etiam probabilius simulata donatio (2). — Quodsi tamen creditor donationem fictam vera donatione rependeret, secus non donaturus, haec donatio ut per errorem facta invalida foret; quare *per se* acceptum retineri non potest; cfr. n. 162 (3).

456. III. Quaeritur, num satisfaciat, qui restituit vel solvit creditori creditoris sui.

Resp. Distinguendum est. 1. Si agitur de debitis eiusdem speciei, neque de re in individuo debita, v. gr. si agitur utrimque de summa pecuniae; satis consentiunt debitum extingui; sed videtur etiam *per se* licite fieri. In casu enim habetur primo solutio cum subrogatione — haec nim. supponenda est — dein vero compensatio, seu debiti et crediti inter se contributio; atqui utrumque iure tum naturali tum civili (4) valide et licite fit. Ex gr.: Ioannes debet Petro 100 florenos; totidem debet Petrus Paulo. Ioannes solvendo 100 florenos Paulo ab hoc subrogari supponitur in eius creditum erga Petrum, ad quod Petri consensus non requiritur.

---

(1) Sporer, Tr. IV, n. 463 sqq.

(2) Contra Billuart, qui Diss. VIII, art. XX eam sine causa non sufficere opinatur propter onus gratitudinis, quod creditori imponitur.

(3) Ab obligatione ulterioris restitutionis Sporer n. 467 excipit casum, quo ita restitutum est ex rationabili causa, v. gr. ob periculum famae. Supponere videtur eamdem causam perdurare.

(4) Art. 1437 et 1461 sqq. Nota tamen ex art. 1463 compensationem locum non habere nisi quoad debita pecuniarum et rerum consumptibilium.

Dixi *per se*, i. e. nisi cedat in damnum aliorum creditorum; quod accideret, si ita solventis creditor foret suis debitis solvendis impar, et ita solveretur tali illius creditori qui esset aliis postponendus, vel cui pro rata solum solvendum foret. Tum enim is qui solveret cui nihil debet, nulla videtur ratione a peccato saltem contra charitatem excusandus.

Sunt autem plures, qui hunc agendi modum per se illicitum habent, quia adversatur recto iuris ordini.

2. Si agitur de debitis diversae speciei (1) vel de re in individuo debita, *per se* illicitum, imo non sufficiens erit; *nisi* nempe ei, cui solvitur, propter circumstantias licita sit occulta compensatio, vel aliam rationabilem ob causam creditor sic solventis non possit esse invitus (2).

CAPUT QUARTUM.

DE CAUSIS A RESTITUTIONE VEL SOLUTIONE EXCUSANTIBUS (3).

Regula. Quoties creditor consentire rationabiliter aut praesumitur aut debet in omissionem vel dilationem restitutionis vel solutionis, haec omitti vel differri potest. **457.**

ARTICULUS I.

CAUSAE OMITTENDI RESTITUTIONEM VEL SOLUTIONEM (4).

Causae omittendi sunt: I. Condonatio facta a creditore a) ad donandum habili et b) omnino libere (5). **458.**

(1) Attamen ex art. 1463 « Leveringen van granen en levensmiddelen, welke niet betwist worden, en waarvan de waarde bij prijscouranten bepaald is, kunnen in vergelijking gebracht worden tegen vereffende en opeischbare geldsommen ».

(2) Cfr. De Lugo Disp. XXI, n. 145 sqq.; Lessius Cap. XVI, Dub. V; Lacroix n. 453.

(3) Sporer, Tr. IV, n. 511 sqq.

(4) Id. ib. n. 540 sqq.

(5) Cfr. dicta de contractibus generatim, et speciatim de donatione.

Sufficit remissio tacita vel rationabiliter praesumpta. Praesumi praecipue potest in favorem filiorum, coniugis et famulorum, facta respective a parentibus, coniuge et hero. Quoad famulos tamen hoc intelligitur tantum de esculentis et poculentis *ab ipsis* furtim consumptis (1). — Ceterum est stricte interpretanda.

II. Compensatio tum 1° improprie dicta seu occulta, de qua n. 556 sq.; tum 2° proprie dicta seu legalis, quae locum habet, quando ex utraque parte debitum est eiusdem rationis et aeque exactioni obnoxium *(opeischbaar)* (2).

III. Sententia iudicis in causa *vere* dubia, *sine fraude* obtenta, quae reum liberat, sive de iure sive de facto dubitatur. Iudicis enim est dubia solvere.

IV. Compositio, auctoritate S. Pontificis facta; quae legitime obtineri potest, ubi agitur de bonis incertis, et adest iusta causa.

V. Interitus rei quando excuset, dictum est n. 363, 427 sqq. et quoad debitorem ex contractu in Tr. pr. Cfr. etiam n. 454.

VI. Impotentia perpetua, de qua n. 465.

459. Quaeritur, num impossibilitas in eodem genere bonorum restituendi excuset, an vero obligationem restituendi in genere inferiori relinquat?

Resp. 1° Multi negant excusare; quia quamvis bona superioris ordinis non possint secundum se pretio aestimari, tamen eorum defectus potest aliquo modo resarciri, atque damni effectus, puta moeror, tolli vel minui.

2° Alii, imo recentiores communiter affirmant excusare; quia 1° quantacumque restitutione in alio genere bonorum obtineri nequit finis iustitiae commutativae, quae est aequalitas reparanda; 2° quia ius strictum debet esse certum et posse demonstrari. — Consentaneum tamen per se esse dicunt, ut confessarius pro poenitentia aliquam compensationem imponat.

460. Quaeritur, num a restitutione vel solutione liber sit is, qui immemor debiti quaedam creditori gratuito donavit.

---

(1) Cfr. n. 546, II.

(2) Cfr. n. 456.

Resp. 1. Communius negant; quia eo ipso quod debitor voluit gratuito donare, noluit extinguere debitum. Neque ad rem facit, quod debitor, si debiti meminisset, non donasset; quia solum attenditur, quid reapse fecerit, non autem quid in alia hypothesi facere voluisset. Praeterea error debitoris non fuit, ut supponitur, de motivo donationis, neque positive dedit causam donationi.

2° Alii satis probabiliter affirmant; quia in qualibet liberali praestatione quisque censendus est voluisse prius satisfacere obligationibus institiae. Haec nempe generalis voluntas praevalere videtur voluntati actuali donandi. Fuit ergo donatio invalida, utpote involuntaria. — Consentit Sporer pro casu restitutionis bonorum incertorum causis piis faciendae.

Excipe ob ipsam rationem datam, si ex circumstantiis pateat, debitorem etsi debiti memorem nihilominus gratuito donaturum fuisse (1).

Sequitur ex hac altera opinione, probabilius obligationi restituendi pauperibus bona incerta satisfieri eleemosynis erogatis *post* contractam huiusmodi obligationem, etsi ignoratam vel oblivioni datam.

ARTICULUS II.

CAUSAE DIFFERENDI RESTITUTIONEM VEL SOLUTIONEM (2).

461. **Causae differendi** solum per se, *per accidens* tamen etiam *omittendi*, si nim. *perpetuo* sunt duraturae, enumerantur quatuor: impotentia debitoris, damnum creditoris vel aliorum, cessio bonorum, ingressus in Religionem.

I. **Impotentia debitoris** non tantum 1° physica, sed etiam 2° moralis, i. e. grave incommodum per accidens seu *extrinsece* restitutioni annexum; sc.:

1. Necessitas propria vel suorum excusat, quando debitor 1° vel vere non habet, unde solvat; vel 2° etsi habeat, tamen

(1) Sporer, Tr. IV, n. 514 sqq.
(2) S. Lig. n. 700. Lacroix n. 452, alii.

solvendo incidet in necessitatem extremam vèl quasi-extremam; vèl 3° si solvat, incidet in necessitatem vere gravem; dummodo, ut communius docent, creditor ipse non sit in necessitate aequali gravi; quamquam et tunc debitorem *non ex delicto* nonnulli probabiliter excusant, nisi rem creditoris propriam retineat (1). Sed

Quid, si *uterque* vèl iam est vèl mox erit in necessitate extrema vel quasi-extrema, prout statim fiet vel non fiet restitutio vel solutio?

Resp. 1° Si alteruter *ante* alterum in eam necessitatem incidat, consentiunt pro illo esse resolvendum.

2° Quodsi vero utriusque *eadem* est conditio, multi obligant, multi, imo communius et verius ut testatur Sporer, excusant debitorem (2).

Nota 1. *Qui suâ malitiâ* alterum in necessitatem sive extremam sive gravem coniecerit, ex communissima *non excusatur* eo quod ipse est *in aequali necessitate.*

Nota 2. Qui in extrema necessitate iuste consumpsit rem alienam in specie existentem, quam *iam antea mala fide* occupaverat, vel detinebat, secundum plures transacta necessitate non est liber a restitutione, etiamsi tempore quo eam consumpsit, erat pauper re et spe. Alii vero eum probabiliter excusant (3). — Sunt qui obligant etiam debitorem ex contractu, sed hoc videtur communius negari. — Ratione impotentiae moralis excusat

462. 2. Periculum, proprium vel suorum, boni superioris ordinis, uti famae, pudicitiae. *Excipe,* si bonum superioris ordinis ita attenuatur, et bonum inferioris ordinis ita augeatur, ut in communi aestimatione hoc pluris valeat quam illud. — Excusat

463. 3. Damnum in rebus propriis multo maius, quam quod creditor ex dilatione accipit; ut si quis vendere deberet res proprias longe minori pretio quam valent. Sed

---

(1) Etiam debitorem *ex delicto* excusant Lessius Cap. XVI, n. 19 et 31, et Salmant. Tr. XIII, Cap. V, Punct. XV, n. 273; sed supponunt necessitatem valde gravem, quae a quasi-extrema vix differt.

(2) Carrière putat ex mente plurium probabilius obligari debitorem *ex delicto* qui habet *in specie* rem creditoris.

(3) Busemb-S. Lig. n. 623.

Quid, si aliud *detrimentum* non est subeundum, nisi *lucri cessantis*?

Resp. I. Non sufficit generatim. — Excipitur, seu

II. *Sufficit* 1°, si debitor hoc lucro indiget, ut aliis creditoribus satisfaciat; quia quilibet creditor rationabiliter velle debet, ut maius ceterorum creditorum damnum cum aliquali suo damno vitetur (1). 2° Probabiliter etiam, si ex dilatione debitor magnum captare potest lucrum, creditor vero nullum capiet damnum neque lucri privationem (2). — *Utrumque* secundum mentem AA. intelligendum videtur de lucro, non ex rebus creditoris in specie existentibus, sed ex rebus propriis obtinendo, saltem si agitur de debitore ex delicto (3). — Excusat

4. Iactura status iuste acquisiti. — Plures excipiunt, si 464.
debitor culpa sua, v. gr. ludo, comissationibus, ad hanc necessitatem devenit. Sed iure merito S. Lig. (4) et aliis hoc nimis durum videtur. In casu tamen notanda est obligatio procurandi sibi facultatem restituendi, etiam cum aliqua diminutione status (5).

Quodsi ipse status fuit iniuste acquisitus, eius iactura, ut patet, per se non excusat. Si tamen iniustitia esset occulta, et ex restitutione fama graviter periclitaretur, debitor hac ratione excusaretur; n. 462.

Nota ad causas 2°, 3°, et 4° loco expositas. Secundum omnes excipiendum est, si creditori ex non facta restitutione oriretur aequale periculum, damnum vel iactura status. Sic v. gr. qui alterius famam laesit, cum propriae famae iactura illam reparare debet.

Impotentia perpetua esset causa etiam *omittendi* resti- 465.
tutionem vel solutionem. Ad hoc tamen generatim gravius incommodum requiritur quam ad solam dilationem. — Hic autem speciatim ad n. 463

Quaeritur, quantum damnum subeundum excuset in perpetuum?

---

(1) Lessius l. c. n. 24; Salmant. l. c. n. 271.
(2) Cfr. S. Lig. n. 697.
(3) Cfr. Sporer n. 531.
(4) N. 702, « Dicendum II ».
(5) Cfr. n. 451, I, 2°, et Sporer n. 526.

Resp. Probabiliter excusatur:

1° debitor *ex contractu* ob damnum *duplo maius* quam debitum;

2° debitor *ex delicto* a) excusatur ab omni restitutione ob damnum *quadruplo* excedens damnum creditori obventurum; — b) ut restituere possit pauperibus vel causae piae sufficit damnum duplo maius, si agitur de re minoris momenti; sed requiritur maius seu omnino excessivum, si agitur de re maioris momenti (1).

466. II. **Damnum creditori vel tertio** obventurum est ratio differendi restitutionem rei, qua sc. dominus in suam vel aliorum perniciem praevidetur abusurus. Imo in casu, ex charitate saltem (2) restitutio differri *debet,* nisi grave damnum proprium timeatur. — Quodsi creditor praevideretur re sua abusurus quidem, non tamen ad usum illicitum, eo prorsus invito restitutio differri non posset.

467. III. **Cessio sive fori sive bonorum** apud nos, saltem *per se, non excusat* a restitutione vel solutione postea facienda, quamprimum sc. iterum — supponitur enim actualis impotentia — fieri poterit. Quod quoad priorem constat ex lege de cessione fori art. 195; quoad posteriorem ex Cod. Act. civ. art. 706, ex quo cessio bonorum praeter effectum de quo art. 708 (3) alios non habet quam de quibus inter creditores et debitorem conventum est. — Dico: *per se;* attendendum sc. est ad consensum expressum, tacitum vel etiam rationabiliter praesumptum creditorum.

Idem a fortiori dicendum est de iuridica solutionis dilatione *(surséance van betaling),* de qua v. lex de cess. f. art. 213 sqq.

Nota. Qui foro vel bonis cessurus est, ex rebus suis legitime acquisitis retinere et occultare potest, quantum necessarium est ut se suosque sustentet, donec per iudicem ipsi fuerit provisum. — « Sed observant AA. vix unquam licitum esse cum cessore concurrere ad occultanda bona, quia plerumque ultra necessitatem retinet (4) ».

---

(1) Cfr. De Lugo Disp. XX, S. VIII; S. Lig. n. 598. Cfr. supra n. 453 II.

(2) Ex iustitia secundum communiorem, ait Sporer n. 374, si agitur de damno iniusto alteri inferendo.

(3) N. 148. II.

(4) Carrière de Contr. n. 419 in fine.

IV. **Ingressus in Religionem**; de quo 468.

Quaeritur, num debitis gravatus et solvendo impar a) possit ingredi Religionem, et b) a debitis liberetur, si ingressus fuerit?

Resp. I. ad a). 1° *De iure naturae* probabilius non potest, si brevi, puta inter biennium, habere possit unde solvat, nec eo tempore gravi damno spirituali exponatur; secus potest (1). — Est contra alios, qui vèl absolute affirmant, vèl negant (2). — Magis tamen AA. consentiunt, si vèl agitur de debitis gratuito contractis, vel de restitutione incertorum seu pauperibus facienda.

2° *Ius canonicum* plerumque obstabit.

Resp. II ad b). 1° *Religio* certe non tenetur haec debita solvere ex bonis propriis; 2° certo tenetur solvere ex iis quae ingressus attulit; num etiam quae ei iam solemniter professo obveniunt, non ita constat.

3° *Religiosus* non solemniter professus (3) solvere debet ex bonis, quae habet vel acquirit; qui item 4° debet cum superioris licentia tamen praestare laborem, qui nec statum nec conditionem eius dedecet, et quo debita extinguat; de solemniter professo aeque probabiliter hoc negatur ac affirmatur.

Scholion. De debito dubie soluto.

I. In dubio negativo *pro debitore,* item, quod eodem 469. redit, si propter solitam debitoris negligentiam praesumptio stet contra ipsum, *hic certo solvere tenetur.*

II. In dubio positivo *creditor certo potest petere* solutionem, et si accipiat, retinere donec certo constet iam prius fuisse solutum. — Sed

Quaeritur, quid de debitore, qui dubitat, probabiliter 470. iudicans debitum iam esse solutum.

Resp. I. *Multo communius* AA. eum obligant ad *solvendum integrum debitum.* Ratio 1ª: debitum — i. e. ius petendi solutio-

---

(1) Hanc sententiam Sporer n. 564 dicit probabilem, sibique placere fatetur.

(2) Negans « sententia (mihi semper vera visa) communior DD. » ait Sporer n. 561.

(3) Cui Marres n. 154 et Lib. I, n. 172 bis (Ed. 1 Lib. II, n. 381) aequiparat solemniter professum in Neerlandia et Belgio, propter Decretum 1 Dec. 1820, confirmatum 31 Iulii 1878.

nem — possidet, donec certo sit solutum; — 2ª: debito certo non satisfit per solutionem incertam.

II. *Aliqui* cum Laymann (1) docent solvendum esse *pro rata dubii*, saltem si etiam creditor dubitat; quia aequum non est, ut ipsi totum solvatur, cum non habeat nisi ius probabile.

III. *Pauci* debitorem *omnino deobligant*, quia imponi non potest obligatio dubia; atqui eo ipso quod debitor iam probabiliter solvit, probabiliter liberatur, seu dubia est eius obligatio.

Concludo. Sententia Iª est extrinsece probabilior; dubia tamen videtur propter dicta in P. I n. 66 sqq.

Sententia IIª videtur aequitati vel certe communi fidelium agendi rationi magis consona, et ut talis suaderi potest. — Quamquam verae probabilitati obstat, quod nedum aequalitatem reparet, hanc pro dimidia parte vel laesam relinquit, vel imo laedit.

Sententia IIIª satis probabilis videtur ob dicta l. c. — Consentiunt Waffelaert (2) et Génicot (3); accedunt Gury (4) si debitori faveat maior probabilitas, Marres (5) si pro eo stet ratio pro rei materia admodum gravis atque nulla ratio contra eum; et Haine (6) si debitor est probus diligensque in debitis solvendis.

SECTIO II. DE INIURIIS ET RESTITUTIONE IN SPECIE.

CAPUT PRIMUM.

DE BONIS ANIMI SUPERNATURALIBUS ET NATURALIBUS.

471. **Restitutio** ob iniuriam in bonis animi supernaturalibus.

I. Qui medio iniusto, mendacio, dolo, vi, alterum efficaciter induxit in peccatum, vel errorem noxium, sive practicum

(1) Lib. I, Tr. I, Cap. V, § IV, n. 42.
(2) II, n. 260 sqq. Item in op. *De dubio solvendo* n. 357 sqq.
(3) N. 602.
(4) N. 721.
(5) N. 155.
(6) II, Qu. 180.

sive speculativum; vel a consecutione boni supernaturalis, puta ab ingressu in Religionem aut a perseverantia in illa, impedivit: tenetur ex iustitia 1° tollere vim etc., 2° supposita culpa theologica, reparare damna temporalia, si quae secuta sunt, et in eodem ordine reparari possunt.

Controvertitur autem, utrum etiam *per se ex iustitia teneatur* inductum in peccatum revocare ad poenitentiam. Antiqui plures affirmant; communius obligationem iustitiae restringunt ad casum, quo seductus medium conversionis non haberet vel ignoraret.

3° Si etiam *aliis,* ex. gr. monasterio, damnum secutum sit, videndum utrum hoc proxime et per se, an remote et per accidens cum causa posita coniunctum sit. Si prius, v. gr. si quis a Religione avertit iuvenem, qui per dotes suas personales multum ei utilis fuisset, tenetur ad restitutionem; si posterius, v. gr. si iuvenis ille amplas suas divitias secum in Religionem probabiliter allaturus erat, non tenetur saltem per se; tenetur secundum plures, si egerit animo nocendi Religioni (1).

II. Qui non iniusto medio usus est, non contrahit obligationes ex iustitia — nisi forte alium induxerit ad peccatum iniustitiae, secundum dicta de consulente — sed plerumque ex charitate secundum tradita de scandalo.

Restitutio ob iniuriam in bonis animi naturalibus. 472.

I. Qui medio iniusto alteri nocuit in bonis animi naturalibus, puta in memoria, usu rationis, item in scientia vel arte sive addiscendis sive docendis, de eo pari modo resolvendum ac n. pr. I.

II. Qui munus docendi, pro quo stipendium accipit, absque sufficienti scientia suscepit, vel valde negligenter implevit, *insuper* acceptum stipendium pro rata restituere tenetur (2).

---

(1) De Lugo Disp. IX, n. 34 sqq.; Sporer Tr. V, n. 117 sqq.; cfr. n. 368 sq., 379 sq.

(2) Cfr. Carrière n. 1309.

CAPUT SECUNDUM.

DE BONIS CORPORIS (2).

ARTICULUS I.

DE HOMICIDIO ET MUTILATIONE.

§ I. — *De Occisione Innocentis in genere* (3).

473. I. Numquam licet directe occidere innocentem, sive privata sive publica auctoritate. — Directe occidit, qui mortem vèl intendit ut finem, vèl assumit ut medium ad alium finem.

II. Illicitum etiam est indirectum homicidium innocentis sine iusta ratione permissum. — Mere casuale tamen non imputatur.

III. Licitum esse potest indirectum innocentis homicidium ex gravissima ratione permissum in causa de se bona vel indifferente.

IV. De directa et indirecta mutilatione et percussione violenta innocentis eadem resolvenda sunt servata proportione; excepto quod licet amputatio membri ad servandum totum corpus.

Percussio ex levitate materiae venialiter tantum peccaminosa esse potest. Qua ratione puerorum rixae plerumque a mortali excusari possunt. Secus dicendum de mutilatione.

§ II. — *De Occisione Malefactorum.*

474. I. Publica auctoritate licet, non autem privata, occidere malefactores, et tyrannos, iniustos alieni regni invasores vel usurpatores (4). — Princeps legitimus, regimine tantum tyrannus, nequaquam à subditis occidi potest.

---

(1) Sporer, Tr. V, Cap. II sq. n. 150 sqq. et n. 365 sqq.

(2) In specie de abortu etc. agitur infra § VI, n. 488 sqq.

(3) Attamen actu invadentes, vel quandiu contra illos bellum geritur, a quolibet cive, reipublicae auctoritate, ut hostes publici occidi possunt.

II. Superiores non supremi nec occidere nec mutilare, sed solum moderate verberare possunt sibi subiectos delinquentes.

III. Aequalibus, v. gr. fratribus etsi natu maioribus, neque verberare delinquentes licet, nisi ex consensu hanc habentis potestatem.

§ III. — *De Occisione Aggressoris iniusti.*

Regula (1). Vim vi repellere cum moderamine inculpae tutelae omnes leges et omnia iura permittunt, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam. — Hinc 475.

I. Vitam suam etiam cum occisione aggressoris iniusti defendere, ex communissima sententia licet. — Neque obstat charitas propter damnum spirituale aggressoris, quia hic non est in extrema necessitate; se ipse enim libere periculo exponit, ab eoque liberare se potest. 476.

II. Moderamen inculpatae tutelae imprimis supponit aggessionem esse iniustam. Ex communi tamen sufficit, ut sit materialiter iniusta; ut si aggressor sit furiosus, amens, ebrius. — Praeterea tres requirit conditiones.

1. Ut sit *vera aggressio per violentiam,* sive aperta vi sive occulta per insidias intentata.

2. Ut sit *vera et necessaria defensio,* facta sc. in ipso actu aggressionis, aut cum certum est alterum esse aggressurum, non item ante aggressionem vel postquam iam omnino cessavit (2).

3. Ut defensio *non excedat modum necessitatis* aut regulas prudentiae; si v. gr. invasus possit fugere, clamare cum spe auxilii, aut tantum verberando vel vulnerando se liberare, non licebit occidere.

III. Ad 1^{m} et 2^{m}. — 1. Licet actu et proxime insidiantem etiam praevenire, nim. qui actu et proxime mortem parat, quae nisi praeveniendo evadi iam non poterit.

2. Non vero licet occidere eum, qui solum *decrevit vel minatus est* se mortem illaturum (3). Est contra nonnullos.

---

(1) Ex Cap. « Si perfodiens » III De homicidio.

(2) Cfr. tamen nota ad n. sq. II.

(3) Cfr. prop. 18^{a} ab Alex VII damnata: Denzinger n. 989.

Ad 3m. — 3. Invasus omnino *tenetur fugere* aggressorem, quoties fugere potest cum spe evadendi et sine magno dedecore. Quamquam illud magnum dedecus practice communiter hodie negant.

Attamen *non fugiens*, cum potest et debet, 1° probabiliter, contra multos, peccat solum contra charitatem; 2° si dein vitam secus servare iam non potest, vi et armis licite se defendit.

IV. Non tantum indirecte vel per accidens, ut quidam volunt cum S. Thoma, sed etiam directe et per se fas est, aggressorem occidere, nim. tamquam medium hic et nunc necessarium ad sui defensionem.

477. **Extensio regulae.** Quod dictum est de vita sua cum aggressoris occisione defendenda, communiter contra nonnullos extenditur non solum ad tuendam membrorum integritatem, sed etiam:

I. Ad bona fortunae cum morte furis defendenda; modo agatur de re, relative saltem, magni momenti, quae aliter servari non possit (1). — A fortiori extenditur:

II. Ad pudicitiam defendendam, tum quia haec pluris etiam aestimatur quam bona fortunae, tum quia accedit periculum consentiendi in peccatum (2). — Extenditur tandem ratione charitatis

III. 1. Ad *proximi* vitam defendendam *absolute* i. e. sive invasus in sui occisionem consentit sive non consentit. — Attamen tum quia in casu ex utraque parte, invadentis et invasi, urget charitas, quinimo plerumque magis inclinat pro vita invadentis, tum quia in occisione alterius vix vitari potest magnum incommodum, ideo *privatus* homo raro ad talem proximi defensionem obligatur.

2. Ad *proximi* bona et pudicitiam defendenda, sed *per se conditionate* solum, sc. nisi invasus *positive* invadenti consentiat.

Per se: nam illi, in quem invasi damnum vel infamia recideret, absolute licet invasum aeque ac seipsum defendere.

---

(1) Vide propositiones 31m, 32m, 33m ab Innoc. XI damnatas: Denzinger n. 1048 sqq.

(2) Hic etiam *post factum* concedunt licere mulieri sollicitatae, ut aggressorem ictibus non periculosis percutiat, ut discedat, neve facile redeat.

IV. De honore tuendo idem passim antiqui docuerunt. Sed fatendum est, *rarum* esse *in praxi* casum, quo honor aliter quam occidendo, defendi nequeat. Quae et videtur ratio, cur damnata sit propositio hoc permittens (1). Post quam damnationem sententia negans ita iam invaluit, ut vix speculativa ipsi probabilitas tribuatur. Nihilominus si *factis* honor petitur, non tenetur quis passive se habere, sed potest iniuriam avertere, et si aggressor vim adhibeat, vim vi repellere.

§ IV. — *De Duello.*

Duellum in stricto iuris sensu (2) est a) *singulare* duorum 478.
vel plurium (3) *certamen* b) *ex* praecedenti *condicto de loco et tempore* c) *cum periculo* mortis vel gravis vulneris initum. Tres itaque conditiones adsint, oportet. — Dicitur *publicum* seu solemne quando fit cum certis caeremoniis, sc. cum electione certorum armorum; cum testibus, patronis dictis; vel cum sociis, secundantes quos vocant; secus simplex vel *privatum* audit. — Utrumque

I. Privata auctoritate initum est gravissimum peccatum, ut patet (4).

II. *Licet tamen* pugnare cum provocante ad duellum etiam arma ab illo acceptando, si mors ab illo intentetur, aut amissio bonorum magni momenti secutura sit, nisi pugna acceptetur, nec adsit alia ratio hoc periculum evadendi. Hoc enim non est proprie duellum acceptare, sed se defendere contra actualem aggressorem iniustum; cfr. n. 475 sqq.

At *non liceret* se conferre ad alium locum, *nisi* forte alio modo periculum evadi non posset; *neque licet* ad defensionem indicere aliud tempus determinatum (5).

---

(1) Prop. 30ª ab Innoc. XI damnata: Denz. n. 1047.

(2) Qui sensus attendendus est, ubi agitur de poenis.

(3) Ita tamen ut singuli et determinati contra singulos et determinatos pugnent; v. gr. principalis contra principalem, socius unius contra socium alterius.

(4) Vid. prop. 2ᵐ ab Alex. VII, 24 Sept. 1665, aliasque a Bened. XIV, Const. « Detestabilem » damnatas, quibus etiam catholicorum quorumdam nonnullis opinionibus omnis probabilitas est adempta. Denz. n. 973 et n. 1343 sqq.

(5) Gury-Ball. I n. 405.

III. Publica auctoritate initum duellum, modo fiat *ad bonum commune,* est licitum; sed non amplius initur.

§ V. — *De Restitutione ob Homicidium et Mutilationem iniusta* (1).

479. I. Pro damno naturali vitae, membrorum, sanitatis, quia nec reparari nec pretio aestimari potest, probabilius nulla restitutio debetur (2).

II. Pro damno spirituali num compensatio debeatur, non conveniunt. Non pauci affirmant. *Multi* de hac obligatione tacent, vel eam *negant* propter rei omni ex parte incertitudinem. — *Excipe* casum, quo certo constaret de aliquo damno secuto: si v. gr. occisus certo curaturus fuisset tot Missas pro anima sua celebrandas, quod ne reipsa fecerit, homicida impedivit.

III. Damnum temporale *ipsi laeso* illatum, seu *mortem antecedens* certo est reparandum. — Coalescit hoc damnum 1° *ex impensis* erogatis in laesi curationem; iis tamen deductis, quae ipse sanus insumpturus fuisset in victu ordinario; 2° *ex damno emergente et lucro cessante* pro temporis spatio, quod laesus adhuc vixit, vel quo consuetae operae vacare non potuit.

Haec restitutio debetur a) etiam occisi *heredibus quibuslibet,* item b) *ab heredibus* homicidae; sed c) *ab ipso quoque laeso* certo condonari potest. — Quando autem occisus declaravit tantum se homicidae remittere, per se accipi hoc non debet nisi de odio, quod solum ex lege charitatis deponere debet.

480. Quoad damnum temporale *tertiis* illatum et *mortem subsequens* distinguendum est:

I. Erga eos qui cum occiso unam personam moralem constituunt i. e. erga familiam tenetur homicida; quia propter intimam connexionem horum damnum proxime et per se ex homicidio secutum censeri debet. — Horum numero habentur parentes, uxor et liberi; hisque debetur compensatio tum *sustentationis,* quam occisus eis praestabat, tum *lucri,* quod ab ipso

(1) Sporer, Tr. V, n. 577 sqq.
(2) N. 459.

adhuc sperabant, in quantum eis hoc profuisset. — Quae damni reparatio fieri debet secundum spem vitae et conditionem occisi (1).

Non vero tenetur homicida compensare *impensas funeris*, quia illae aliquando item faciendae fuissent. — *Si tamen* ratione occisionis, v. gr. extra patriam, maiores impensae fieri debuerunt, homicida excessum solvere debebit.

Quaeritur 1°, num in compensando lucro cessante aliquid deduci possit pro labore, quem laesus exercere debuisset? 481.

Resp. 1) Pauci affirmant; quod 2) Molina admittit in hypothesi, quod laesus si bene valeret, libenter acceptaret minus lucrum sine labore, quam maius cum labore. Quae videtur etiam opinio S. Lig. (2).

Verum 3) communiter et multo probabilius negant. Ratio: de facto totum lucrum iniurià cessavit, ergo totum resarciendum est. Nec attendenda voluntas interpretativa laesi, quae nihil ponit in actu. Imo et valde incerta est haec praesumptio; quum potius quisque praesumi debeat malle operari, quam vulneribus vel aegritudine ad otiandum cogi.

Quaeritur 2° num *haec* restitutio remitti possit *ab ipso laeso?* — Cfr. n. 479, III. 482.

Resp. Videtur negandum, quia agitur de laeso iure non tam occisi, sed ipsorum parentum etc.

Quia tamen plures, iique graves AA (3) contrarium opinantur, sententia affirmans ut extrinsece probabilis pro praxi tuta videtur. Horum praecipua ratio haec est, quod quidquid superstites acquirunt, per voluntatem defuncti acquirunt.

Quaeritur 3° num praedictis restitutio debeatur, etiamsi vèl 1° facile sibi subvenire possint; — vèl 2° aliunde accipiant, quod ab occiso sperabant, si v. gr. uxor aeque bene nupserit? 483.

---

(1) De Lugo, Disp. XI, n. 47 hanc proponit regulam: « Fingas vendi spem illam, quam habebat is, cuius alimenta... impedivisti ». Addit autem: hanc restitutionem melius fieri per compositionem et transactionem.

(2) N. 639.

(3) Inter quos Lessius, Molina, Sanchez, Tamburini, S. Lig. n. 630 qui imo dicit esse commune. Sporer n. 599 sq. dicit esse dubium et controversum, longe probabilius autem negari.

Resp. ad 1m. Omnino affirmandum videtur. Illa enim circumstantia nihil mutat casum; nec iustitia distinguit, num dives sit an pauper, qui iniuste bono iusto privatur. Nec valet ratio in contrarium allata; quod nempe ipse occisus nihil iis ex stricta iustitia debebat, sed tantum ex pietate. Quod verum quidem est, sed nihil probat; quia vera ratio obligationis homicidae non est obligatio occisi erga parentes etc., sed horum ipsorum ius laesum (1).

Resp. ad 2m Negandum videtur, quia de facto damnum non acceperunt.

484. II. Erga alios consanguineos quos occisus sustentabat, pauperes quibus benefaciebat, eosque qui ex testamento quaedam ab eo accepturi fuissent, homicida non tenetur, etiamsi horum damnum praeviderit, et *probabiliter etiamsi intenderit* (2).

III. Erga creditores vero secundum Sporer (3) propter eorum ius strictum in rigore loquendo omnino vera est sententia multorum, homicidam teneri ad restitutionem. Verum, addit, recte notat Laymann (4), id praxi non observari, unde contrarium absolute docent plures.

Neque tenetur erga eum cui forte homicidium *imputatur, modo* tamen ne quid egerit, ex quo alii in errorem induci debuerint (5).

485. Qui in duello alterum occidit, vel vulnerat,

I. Ad nihil tenetur, ex communi contra paucos, si laesus vel 1° ad duellum provocavit; vel 2° illud libere acceptavit; quia scienti et volenti non fit iniuria (6). — Neque tenetur erga occisi parentes etc., quia occisus suo consensu effecit ut occisor non violenter adeoque nec iniuste eos privaverit emolumentis, quae ab occiso sperabant.

II. Ad omnia damna reparanda tenetur, si laesus vi, metu vel fraude coactus duellum inivit.

---

(1) Aliter Sporer n. 594, qui inter duos casus propositos non distinguit.
(2) N. 368 sq., n. 379 sq.
(3) N. 595.
(4) L. III, Tr. III. P. III. C. VI. n. 4.
(5) N. 368.
(6) N. 353.

Eadem resolvenda de occidente vel vulnerante in rixa ex utraque vel alterutra parte voluntaria.

Invasus qui in sui defensione non servavit moderamen inculpatae tutelae: 486.

I. Si solum eo quod non fugit, etsi potuisset et debuisset, ex communi (1) ad nullam tenetur restitutionem (2).

II. Si plus egit, quam necesse fuit, 1) plures eum obligant ad integrum damnum reparandum, quia integrum gravi iniuria intulit. — 2) Alii obligant pro rata culpa, quia ubi minor est culpa, minor esse debet et obligatio. — 3) Alii omnino deobligant, quia laesus sciens et volens huic periculo se obiecit. Confirmatur ex communi doctrina de duello. Quae opinio videtur satis probabilis.

Quaeritur, num a restitutione liberentur heredes homicidae, si hic extremo supplicio afficiatur? 487.

Resp. Communiter negant, quia poena satisfacit iustitiae vindicativae, non vero commutativae. Plerique tamen sentiunt heredes occisi censeri posse cedere iure suo, nisi compensationem exigant.

Nonnulli affirmant, quia iudex suâ sententiâ spectare et comprehendere censetur damna subsequentia ut circumstantiam homicidii aggravantem. Quod practice probabile habere Sporer videtur (3).

§ VI. — *De Abortu, Craniotomia et Acceleratione partus* (4).

Abortus est letifera foetus ex utero materno expulsio. 488.

Acceleratio partus seu praematura parturitio ea intelligitur, quae arte eo modo et eo tempore procuratur, ut foetus extra uterum vivere possit, sc. post medium septimum gestationis mensem.

Nota. Communiter hodie ut certum habetur omnem foetum humanum statim a conceptione animari, idque anima rationali. — Olim viguit opinio, foetum masculinum circa 40^{m}, femineum circa 80^{m} diem animari; quae opinio ut *norma iuris* ab Ecclesia accepta fuit. Quare ubi agitur de poenis, et ius adhuc vigens distinguit, distinctio haec attendi etiamnum potest et debet. Ceterum vero hypothesis foetus inaminati communiter a Theologis deseritur.

---

(1) Contra De Lugo. Quod testatur Sporer n. 582.

(2) Cfr. n. 476, III, ad 3.

(3) N. 601.

(4) Sporer, Tr. X, cap. IV, n. 698 sqq.

489. Acceleratio partus, ut ex eius notione deducitur, licita est, *modo* fiat *ob rationabilem causam, et differatur quamdiu absque periculo potest* exspectari; quia nempe foetus eo minus evolutus et fortis prodit, quo citius praematuratur partus.

490. De abortu, cum nihil aliud sit quam foetus nascituri occisio, eodem modo indicandum quo de occisione innocentis, n. 473. Hinc

I. Indirecte procurare abortum — seu *permittere* in causa 1) de se *saltem indifferente,* quae 2) *saltem aeque immediate* tendit in bonum finem intentum, et 3) *ex ratione graviori quo* magis ea causa in abortum influit — licet, *modo* insuper foetus *ne privetur baptismo* alias certo, ut omnes docent, neve baptismo alias probabili, ut communius requirunt, contradicentibus tamen quibusdam gravibus AA. Cfr. Vol. III, n. 44. — Qua de re

Nota 1. Instrumentum iam habetur, quo scissis membranis aqua ope siphunculi in uterum iniecta foetus immediate tangi et baptizari potest. Qui baptismus, cum saltem valde probabiliter sit validus, cessarunt difficultates hoc respectu motae. Sed cfr. Vol. III, n. 84, III-V.

2. Pharmaca, quae ipsum foetum interimerent, scientia medica non admittit. Imo qualia praescribi solent, remote tantum in abortum influere possunt. Dummodo ergo bonus finis intendatur, vix opus est ut in iis adhibendis scrupulus habeatur.

491. Resolves 1° cum Capellmann (1). Punctio membranarum licita est, quando fit ut uterus reponatur; quia repositio, quae absque uteri imminutione obtineri non posse supponitur, saltem aeque proxime sequitur ac eiectio foetus.

2° Cum Marres (2). Usus forcipis, ceteraeque operationes chirurgicae, quae eo fine adhibentur, ut non tantum matri sed etiam proli quo meliori fieri potest modo, subveniatur, licite in partu difficili fieri possunt, etiamsi quandoque exinde praeter intentionem aut matris aut infantis mors sequatur.

---

(1) *Medic. pastor.*, ed. lat. pag. 14 sq., ed. lat. 8ª pag. 17.
(2) N. 268.

3° Eadem ratione censeo, licite fieri membranarum scissionem eo fine, ut foetui, qui in utero iam moriturus praevidetur, potius immediate tacto satis certus, quam super membranas valde dubius (1) baptismus conferatur.

II. Indirecte procurare abortum, seu permittere *sine causa,* vel ex levi causa, grave peccatum est. Cfr. n. 490 et Vol. I. n. 7 sqq. 492.

III. Directa procuratio abortus, sive hic ut finis sive ut medium intenditur, item craniotomia (2) semper graviter illicitae sunt. Constat hodie — contra moderna medicorum placita, et contra nonnullos etiam theologos, qui antea saltem probabiliter excipiendum putabant casum, quo matri in vitae discrimine aliter succurri non potest — ex responsis S. Officii 28 Maii 1884 et 19 Aug. 1888 quoad craniotomiam; et 24 Iulii 1895 quoad abortum vel potius quoad utrumque, cum tunc responderit: « Negative [i. e. non licere abortum inducere, etiamsi mater in praesenti vitae discrimine versetur, neque aliud suppetat medium] iuxta alias decreta, diei sc. 28 Maii 1884 et 19 Aug. 1888 ».

Nota 1. In plerisque casibus hodie matri et proli succurri potest per operationem caesaream, laparotomiam similesque operationes. Etenim ob mirabiles progresssus quos ars chirurgica, praesertim adhibita methodo aseptica, hodiedum fecit, multo minus periculum matri ex huiusmodi operationibus creatur.

2. Si quando *dubitatur* utrum id quod mater gerat, sit foetus an merus tumor, ut fieri potest in conceptione extra-uterina, neque ullum medium datur ad hoc dubium solvendum, licitum videtur id quod matri imminens vitae periculum creat tamquam tumorem extirpare: nam ius certum matris ad vitam servandam videtur praevalere periculo mere probabili occidendi foetum. — Si vero de conceptione extra-uterina *constat,* numquam licet abortum directe inducere (3).

Monita pro praxi. I. Animadvertat confessarius *medicum* ob doctrinam, supra dictis contrariam, ab auctoribus de arte obstetricia scribentibus passim traditam *facile in bona fide* versari, si agitur de liberanda matre e vero vitae discrimine. 493.

---

(1) Cfr. Vol. III, n. 62, I. Capellmann. op. cit. pag. 103, ed. lat. 5ª pag. 108 sq.; cfr. Gury n. 239.

(2) Idem significant vel eodem redeunt perforatio, embrytomia, embryotlasis, cephalotomia, cephalotripsia.

(3) Génicot n. 376. Cfr. Resp. S. Off. 4 Maii 1898 (Ephemerides liturgicae anni 1898, pag. 478.

II. Sed *absolutione indigni* censendi sunt medici — nisi perversam agendi rationem mutare velint — qui legitimum foetus ius ad vitam negantes abortus *leves ob rationes*, ex. gr. ad infamiam vitandam, ad infirmam matris valetudinem corroborandam, ad leve aut remotum aliquod vitae periculum praecavendum, procurent; *vel etiam absque ulla verae necessitatis causa excusante*, quando sc. praematura parturitione matribus adhuc succurri potest, illo letifero remedio abutuntur (1).

III. Quando sacerdos novit medicum, ut matris servet vitam, alterutrum remedium adhibere velle, quum utrimque sit periculum, haud oportere videtur sacerdotem chirurgi consiliis se immiscere; nil enim proderit, et in se mortis suscipiet odium.

Quodsi *chirurgus* quid liceat *petit*, pro veritate utique respondendum erit. — Si mater quid sibi faciendum sit rogat, dicendum videtur oportere chirurgum orare, ut vitae foetus omni qua possit ratione consulat (2).

ARTICULUS II.

DE STUPRO (3).

§ I. — *De Stupratoris Obligatione praecipue in ordine ad matrimonium stupratae.*

Stuprum, ubi de *restitutione* agitur, dicitur fornicatio cum *innupta* qualicumque, etiam vidua vel corrupta.

494. I. Si puella sponte consensit 1° per se ad nihil erga eam stuprator tenetur; neque erga eius parentes; nam a) non pro damno temporali, quod nempe sequitur in ordine ad matrimonium conveniens ineundum, quia quoad hoc puella est sui iuris; ergo ipsa ius parentum non laesit, consequenter neque stuprator; b) neque ratione dedecoris et infamiae, tum propter eamdem rationem, tum praecipue quia haec non ex crimine sed ex eius divulgatione sequuntur. Quare

2° Si tamen stuprator ipse divulgavit crimen occultum, ratione iniustae detractionis tenetur omne damnum reparare, vel erga puellam, vel erga eius parentes, in quos plerumque damnum recidit.

495. II. Qui vi, metu vel fraude, sed sine ulla matrimonii promissione, puellam violavit, ratione iniuriae illatae omnia damna

(1) Marres n. 277.
(2) Cfr. Kenrick, T. I, Tr. III, § III.
(3) Sporer Tr. X cap. III, S. II, n. 585 sqq.

famae, honoris et fortunae, quae inde sequi nata sunt, vèl praecavere vèl compensare debet. — Proinde speciatim

In ordine ad matrimonium debet vèl puellam ducere, vèl dotem eius augere, vèl alio modo procurare, ut aeque honeste pro sua conditione nubat.

Electio hoc casu est penes stupratorem, qui nim. satisfacit quocumque modo efficaciter damna reparet: *attamen* cogere non potest puellam, ut acceptet matrimonium; haec enim foret nova iniuria, laesae sc. libertatis.

Pro damno naturali laesae virginitatis probabilius nihil est restituendum.

Preces et banditiae adhibitae ex communissima non inducunt obligationem praedictam. 496.

Excipe, si accedant 1° *minae* vel metus reverentialis, vel 2° *periculum infamiae,* quam nempe puella timet eo quod stuprator non vult discedere: vel 3° *oscula aut tactus,* quibus vim inferre incepit. — In his tamen et similibus casibus Salmanticenses dicunt violatorem solum teneri ad partem, non ad omnem damnorum reparationem. Quod S. Lig. (1) referens videtur approbare.

Quodsi violata de facto damnum non accipiat, violator ad nihil tenetur, nisi antea de compensatione praestanda inter eum et puellam eiusve parentes pactum sit; tunc enim iusto contractu standum esset. 497.

III. Si matrimonii promissione stuprator puellam ad crimen induxit, plures sunt casus distinguendi. 498.

1. Sincera si promissio fuit et 1° *absoluta,* haec certo obligat saltem ut promissio simplex, imo si accessit repromissio, ut vera sponsilia, positis ponendis secundum recens Decretum 2 Aug. 1907 de quo in Tr. de Matrim. — Si 2° facta *sub conditione,* non mere suppositiva sed ponenda seu onerosa permittendae sc. copulae, communiter docent promissionem valere et implendam; nonnulli tamen negant, ut dictum est n. 156 sqq. (2). —

---

(1) N. 642.

(2) Quodsi res ad iudicem ecclesiasticum deferatur, nullum dubium quin stuprator ad matrimonium adigatur; idque etiam in casu promissionis fictae, si tamen puella vere decepta praesumi debeat; ex cap. I et II de adulterio et stu-

Obligatio *haec* pro utraque hypothesi exponitur in Tr. de Matrimonio.

2. Ficta promissio, sive absoluta sive conditionata, est *vera fraus,* et ut talis obligationem inducit praecavendi vel compensandi damna.

499. *Nota* ad 2m. 1° *Nulla obligatio* oritur, si puella ex verbis vel aliis adiunctis *se decipi facile advertere potuit;* uti si viri conditionem nobilitate, potentia vel divitiis multo excedentem cognovit. Ratio, quia neque vera promissio, neque efficax adfuit. — Quodsi in dato exemplo puella viri conditionem ignoravit, deceptor damna reparare, non tamen puellam ducere tenebitur, saltem probabilius. Ratio quia decepta consensum verum *tanti valoris* petere ne cogitabat quidem; ergo neque ius ad eum acquirere potuit. Praeterea nemo restituere tenetur cum damno, quod nimis debitum excedit. — Econtra

2°. Opus non est, ut promissio ficta immediate referatur ad copulam extorquendam; sed quoties deceptor intelligere debuit, puellam non consentire nisi vi fictae promissionis praecedentis, obligatio orta dicenda est.

500. *Nota.* ad 1m. 1° Qui *sub conditione* promitteret putans eam non ligare, et idcirco non implere intendens, eo ipso iam *fraudulenter* ageret.

2° *Sub conditione,* etsi non ita diserte expressa fuerit, promisisse dicendus est, qui satis indicat se non promittere nisi *dependenter a consensu puellae* in copulam.

3° A *turpi* conditione distinguendae sunt hae aliaeque similes: « ducam te, si crimen patefactum fuerit, si prolem conceperis »; quae non sunt turpes, adeoque nullum dubium de valore promissionis relinquunt.

---

pro; Cfr. *Acta S. Sedis,* Vol. I, pag. 341. — Marres n. 293, II ex Coscio sequentem refert decisionem S. Rotae Romanae, Dec. 28, n. 13. « Si puella consensum praebuit, ut suae virginitatis iacturam faceret, facto ipso, quod verbis est potentius, repromissionem praestitit, ac sola spe futuri oblati coniugii honesta mulier id gessisse praesumitur. Quoties ineundi coniugii promissio ex parte viri praecessit, tunc siquidem, quaemadmodum mulier ex parte sua tradendo corpus suum contractum implevit, atque perfecit, ita vir ab illo resilire non potest, sed praecisam obligationem habet polliciti matrimonii servare fidem ».

Quoad ius eligendi modum damni reparandi in casu fictae promissionis: 501.

I. Certo satisfacit stuprator offerendo matrimonium; nec ad quid aliud tenetur, si *ipsa puella* renuat; sic enim satis tollit fraudem et iniuriam. — *Excipe* tamen si stuprator duplici simul modo puellam decepit, se nempe fingendo melioris conditionis quam revera est.

Quodsi non ipsa puella renuat, sed *parentes contradicant*, num liberetur stuprator, *controvertitur*. Alii affirmant, quia non tenetur vi promissionis, ut qua solum matrimonium pollicitus sit; nec ratione damni illati, quia hoc iam non sequitur ex fraude sed ex oppositione parentum. Alii negant, quia promissio non alio fine est facta quam ut damnum reparetur. *Utrumque probabile.*

II. Num vero omnino teneatur deceptam ducere, ita ut non satisfaciat offerendo aliam compensationem, si puella exigat matrimonium, non ita convenit inter AA. 502.

1. In casu promissionis conditionatae vel saltem de re turpi — de qua ad hanc quaestionem fere solum loquuntur theologi —

1). *Ex communi sententia* (1) quae tenet contractum serium de re turpi, opere malo posito, validum esse, omnino sequi videtur, *obligationem ducendi deceptam in casu oriri*. Quamvis enim generatim fingens in contrahendo per se solum tenetur deceptum indemnem reddere, et tantum si opus est verum consensum supplere (2), quia tamen hoc casu decepta id quod praestitit revocare non potest, necessario sequitur fingentem omnino et absolute obligari ad praestandum quod promisit, cum secus numquam id praestaret, pro quo solo puella partem suam implevit (3). Nihilominus etiam inter patronos communis illius sententiae sunt, pauci tamen, qui hanc obligationem absolutam esse negant.

2). In alia nonnullorum recentiorum sententia quoad contractum de re turpi casus hic non differt a proxime sequente.

2. Si promissio absoluta et a consensu in copulam non dependens fuit, stuprator ad matrimonium *obligari non*

(1) Cfr. n. 156 sqq.
(2) N. 130, 2°.
(3) Sporer, l. c. n. 598 sqq.

videtur, nisi alio modo damna reparare nequeat. Quia enim in casu puella permittendo copulam non intendit ex sua parte contractum huiusve conditionem implere, non hic existit ratio supra ad 1^m^ allata; et quum promissio ficta non sit valida, orta tantum est obligatio ponendi quantum fieri potest puellam in eodem statu quo fuisset, si non esset ficta promissione decepta; sed aeque decepta non fuisset, sive stuprator vere promisisset, sive nequaquam, neque vere neque ficte, promisisset. Ergo optio danda est stupratori.

In praxi tamen, nisi gravis causa obstet, ordinarie iniustus stuprator ducere violatam tenebitur, quia plerumque alio modo efficaciter damna reparari nequeunt; maxime quia infamia ex crimine noto orta vix per matrimonium cum alio quam ipso defloratore deleri potest.

503. Non oritur ulla obligatio etiam ex efficaci *deceptione:*

I. *Si etiam puella stupratorem decepit,* fingendo v. gr. se virginem honestam cum esset corrupta, nobilem vel valde divitem cum non esset nisi mediocris conditionis; quia deceptio deceptione compensatur.

II. *Secundum plures, si crimen occultum mansit,* quia tunc damna quae reparari possint, secuta non sunt. Quod certum videtur 1° in casu promissionis absolutae seu non dependentis, ut supra; 2° et conditionatae etiam vel dependentis, sed in opinione ex qua contractus de re turpi semper manet invalidus. Ex communi vero contraria opinione multo probabilius deducendum, stupratorem ad matrimonium obligari abstrahendo a damnis, quae aliter sequerentur.

504. Excusatur stuprator a matrimonio contrahendo, ad quod sive per se sive per accidens tenetur:

I. *Si pessimi timentur matrimonii effectus* propter leviorem puellae indolem, aut etiam familiarum odia et rixas (1).

II. *Si puella postea cum alio fornicatur* (1). — Si tamen puella ideo tantum novum crimen admisit, quia derelictam se videbat a priori stupratore, ut nempe alium virum inveniret, non immerito censet De Lugo (2), stupratorem excusari quidem a matrimonio, non tamen a dote augenda, si adhuc opus est, ut aeque bene nubat.

(1) Cfr. Tr. de Matrim. ubi de sponsalibus.

(2) Disp. XII, n. 26.

III. In communi opinione de valore contractus de re turpi excusatur stuprator, qui ficta promissione puellam seduxit, *si comperit puellam iam fuisse ab alio corruptam*, etiamsi puella ipsum non deceperit. Ratio, quia non debetur corruptae quod virgini est promissum; seu quia copula cum corrupta non est tanto pretio digna.

In utraque autem opinione, si *praecedens* fornicatio *occulta* manserat, stuprator ratione iniuriae illatae tenebitur alio modo *resarcire damna, quae vere ex ipsius fraude secuta sunt.* Quae si absque matrimonio efficaciter reparari nequeunt, stuprator non excusabitur nisi revera spectata ipsius conditione, haec restitutio videatur nimis damnum illatum excedere, vel nisi alia causa excusans interveniat.

Idem resolvendum de eo qui vi, metu vel alia fraude puellam seduxit.

Ceterum observetur non aeque odiosa esse omnia media, quae adhibere potuit stuprator ad seducendam puellam. Inspicienda est natura eorum quae adhibuit, item maior minorve puellae reluctantia, ut inde colligatur quanto favore digna sit puella atque seductori magis minusve rigorosa imponatur reparatio.

Quaeritur num puella minorennis, sicut ipsum ma- 505.
trimonium, ita etiam compensationem pecuniariam stupratori condonare valide et firmiter possit?

Resp. Sunt qui negant, quia ipsa est ad talem donationem inhabilis. Verum communius et probabilius affirmant. Ratio, compensatio semper debetur in ordine ad *matrimonium;* quoad hoc autem puella est *sui iuris.* Potest ergo *radicitus* tollere omnem obligationem stupratoris dicendo se contentam esse statu quo versatur, vel quem parentes ei dederint.

Quaeritur, num iniustus stuprator excusetur a du- 506.
cenda seducta, si votum castitatis vel aliud simile emiserit, vel alio impedimento canonico dispensabili tamen, ligetur.

Praenotandum in casu facile contingere ut puella intelligere debuerit fictionem promittentis, praesertim si hic non simul promiserit vel significaverit se petiturum dispensationem. — *Supposito autem puellam vere esse deceptam:*

Resp. I. Pro casu quo obligatio orta est ex ficta promissione, AA. qui cum communi sententia tenent inde *per se* oriri obligationem ducendi seductam, etiamsi alio modo damna reparari possent, in hac quaestione non conveniunt. *Communius* autem resolvunt, stupratorem non excusari sive dispensationis petendae mentio facta est, sive non est (1). — *Sed excipiunt,* si stuprator inculpabiliter ad impedimentum non advertit.

II. Supposito ex alia opinione obligationem ducendi seductam non exsistere, nisi alio modo damna resarciri nequeunt, generatim per se negandum est excusari stupratorem. Ratio: quidquid est de valore vel obligatione promissionis — qua de re praecipue in hac quaestione, imo solummodo passim AA. disputant — *ratione iniuriae* tenebitur curare ut tollatur impedimentum, quod per se non est nisi medium *ordinarium* adeoque non excusans (2).

Neque tamen hanc circumstantiam, impedimenti praesertim dirimentis et maxime consanguinitatis, *omnino negligendam* puto; sed existimo saltem hanc ob causam *facilius* stupratorum excusari a matrimonio cum seducta ineundo, puta si concurrant et aliae circumstantiae, quamvis *solae non sufficientes* ad excusandum.

507. Quaeritur, num vel quaenam obligatio oriatur, si seductor non copulam sed tactus tantum vel nimiam familiaritatem obtinuit?

Resp. I. Si vi, metu vel fraude usus est, tenetur famae iacturam aliaque damna, si secuta sunt, reparare, etiam matrimonio, si aliter ea resarciri nequeunt.

II. Qui *ficta* promissione *conditionata* haec obtinuit,

a) Ex communi opinione quae stat pro valore contractus de re turpi, *distinguendum* est: 1° tenetur ad matrimonium si solos

---

(1) Sporer l. c. ita absolute docet, dicitque esse commune.

(2) Cfr. S. Lig. n. 650. — *Nota.* Quinimo merito, opinor, dubitari potest, an in rigore loquendo stuprator, sive per se sive per accidens ad matrimonium obligatur, non *egeat dispensatione* — si quidem de impedimento *voti* et de *solo* matrimonio *ineundo* eiusque necessariis sequelis quaeratur — et per se loquendo potius ille dici debeat eo gravius peccasse, quod observationem voti sibi, partim saltem, impossibilem reddidit. Regula enim est, potius satisfaciendum esse debitis ex titulo oneroso vel delicto, quam gratuito contractis; cfr. n. 441, II et Bucceroni (ed. 3) II, n. 920.

tactus etc., non copulam petiit. — Dicunt autem puellam humilis conditionis ex hoc solo, quod pro tactibus tantum promittitur matrimonium, fictionem intelligere debere. — 2° Non tenetur si etiam copulam petiit, sed ad eam quacumque ex causa non pervenit. — Tenetur tamen ratione iniustae fraudis alio modo infamiam eiusque sequelas reparare.

b) In contraria opinione tenetur ut in praecedenti casu I; sed per se satisfacit offerendo matrimonium.

III. Tandem si *sincere* pro solis tactibus matrimonium promisit, eadem redit controversia quae supra n. 498, 1, 2° (1).

§ II. — *De Obligatione Stupratoris speciatim ratione prolis.*

I. Si vi vel fraude puellam violavit, stuprator omnes nutritionis et educationis expensas ferre debet, *donec* proles sibi providere possit; idque erga violatam ex iustitia, erga prolem ex pietate. — Attamen si pater officio suo deest, mater ex pietate proli prospicere tenetur. 508.

II. Si libere consensit puella, uterque pro sua parte hac obligatione tenetur.

Nota. Obligligatio haec *actione civili firmatur*, 1° si parentes prolem legali modo agnoverunt; 2° si de vi per stuprum illata constat.

Quaeritur num, si proles exposita in xenodochio educata fuerit, parentes ad restituendas expensas teneantur? 509.

Resp. I. Communius affirmant, nisi parentes sint vere pauperes. Ratio petitur ex intentione fundatorum et benefactorum (2).

II. Satis probabiliter tamen multi negant. Ratio 1ª, quia xenodochia principaliter erecta censenda sunt in favorem infantum (3); 2ª quia parentes strictam iniustitiam nón committunt; cum nemo ius habeat contra parentes, ut hi prolem ipsi alant;

(1) Cfr. S. Lig. n. 645.
(2) Vid. Carrière n. 1374; Gury n. 735.
(3) Cfr. tamen Marres n. 310.

neque hi ullam vim faciunt xenodochio, qua cogatur recipere infantem derelictum.

Conveniunt autem omnes, hortandos esse parentes non pauperes ad aliquid xenodochio tribuendum.

ARTICULUS III.

DE ADULTERIO (1).

§ I. — *Quid seu pro quibus iniuriis, et quibusnam restituendum.*

510. I. Omne adulterium laedit ius matrimoniale legitimi coniugis; sed haec iniuria irreparabilis est. — Item

II. Omne sed praecipue uxoris adulterium, si innotescit, legitimae comparti gravem infert contumeliam; sed haec iniuria honoris reparatione, si fieri potest, non pecuniâ est compensanda.

III. Uxoris adulterium praeterea, si proles inde nascatur, plerumque damnum in bonis fortunae infert; idque 1° marito legitimo, cui aliena proles educanda supponitur (2); 2° filiis legitimis vel aliis heredibus, quando cum iis illegitimus concurrit ad hereditatem *patris* putativi contra huius rationabilem voluntatem. — Hoc damnum, ut patet, praedictis est restituendum, supposito prolem esse certo adulterinam (3).

IV. Ad maternam hereditatem quod spectat, heredes *necessarii* mortuâ tantum adultera ius suum in iudicio prosequi poterunt, *si* eorum *portio legitima* est laesa.

V. Quoad dona et dispositiones testamentarias vel hereditates ab intestato, quae proli adulterinae ex errore ipsius conditionis ab alio quam a patre putativo, puta ab huius consanguineis vel amicis fiunt vel obveniunt:

1° *Ipse illegitimus* si suam conditionem nosset, *titulo rei acceptae* haec restituere deberet, sed hoc vix est practicum.

2° *Adulteri* vero restituere *certo* ea debent, *quae* praevisa fuerunt non ut per accidens, sed *ex communiter contingentibus*,

(1) Sporer Tr. X, cap. II, S. IV, Subs. n. 532 sqq.

(2) Secus applicanda sunt dicta de stupro.

(3) Pro casu dubio cfr. n. 388.

seu ex iam inchoato quasi iure *a filiis legitimis acquirenda*. Quare practice facilius obligantur quoad dispositiones testamentarias vel etiam hereditates ab intestato, quam quoad donationes (1). — Alii dicunt restituenda esse omnia dona magni momenti, quae satis praevisa fuerunt (2).

§ II. — *Quis restituere tenetur?*

I. Si mulier sponte consensit in adulterium, uterque adulter pari loco et in solidum obligatur. 511.

Idem probabilius resolvendum *si* mulier non iniuriâ sed precibus tantum vel blanditiis seducta fuit; quia respectu *damni* illati nihilominus uterque est causa aeque principalis. — Sunt qui seducentem ad maiorem pro rata restitutionis partem obligant; quia duplici titulo moventis et exequentis tenetur. — Sunt etiam qui eum primo loco obligari censent; quia inducens ad crimen aequiparandus videtur mandanti, et damna in se suscepisse censendus est. Quod tamen minus fundatum videtur.

II. Si mulier vi vel metu coacta consensit, adulter integrum damnum reparare debet, et mulier solum in eius defectu (3).

Quodsi mulier ita coacta est, ut etiam inculpabilis fuerit, solus adulter totius damni reparandi obligatione teneretur.

Quaeritur num liber sit a restitutione adulter, si mulieri non suasit, ut prolem adulterinam marito suo supponeret? 512.

Resp. I. Si mulier commode non potuit, ut plerumque accidit, prolem extra domum alere, commune et satis certum est, adulterum non excusari, quia ipso adulterio una cum adultera efficacem damni causam dedit.

---

(1) Cfr. De Lugo Disp. XIII, n. 37.

(2) Cfr. dicta de causa accidentali.

(3) Idem resolvendum est in casu I, *si revera* alteruter omne damni reparandi onus in se suscepit; hic nim. teneretur primo loco, alter tamen in eius defectu.

II. Si mulier potuit prolem adulterinam a legitimis separare, et adulter satis conatus est obtinere separationem, adhuc plures sentiunt eum liberum non esse, quia adhuc adulterium manet causa efficax deceptionis legitimi mariti. — Alii tamen, quibus favere S. Lig. (1) videtur, oppositum docent; quia tunc adulterium non fuit causa suppositionis, haec autem sola proprie est damni causa. Sententia non omnino improbabilis, ait Sporer (2).

§ III. — *Quando et quomodo restituendum?*

513. I. Damna iam illata *statim* moraliter ex integro sunt resarcienda. — Quando autem sumptus, quos pater putativus facit in alendum etc. filium suppositum, huius labore compensantur, cessat quoad hoc restitutionis obligatio.

II. Damna nondum illata sufficit ut adulteri reparare velint, *si et quando* sequentur.

Quodsi urgeat necessitas statim restituendi, ex. gr. propter imminentem adulteri mortem, potest vèl a) ex praesumpta laesi voluntate pro rata probabilitate damni secuturi secundum aestimationem viri prudentis statim restituere (3); vèl b) quamdam pecuniae summam aut testamento legare patri putativo etc., aut viro fideli tradere qui postea damna compenset.

514. I. Uxor adultera speciatim, si reditus vel bona propria habet, ex hisce marito filiisque legitimis restituere potest et debet. Secus damna compensare satagat diligentius laborando etc.

II. Quaeritur num mulier crimen suum revelare teneatur, si alio modo damna reparare nequeat?

Resp. Negandum generatim; 1° quia haec revelatio communiter sine magna infamia, et saepe etiam sine periculo mortis vel odii perpetui aliorumve gravium malorum fieri nequit; 2° quia difficile damnum reparare etiam per id posset, praesertim quum filius matri testanti solum, non probanti, fidem adhibere non te-

(1) N. 659.

(2) L. c. n. 541.

(3) Quod videtur fieri posse, etiamsi periculum non ita instet; vid. Carrière n. 1391.

neatur; 3° quia ordinarie mariti et legitimorum consensum praesumere potest; cum plerumque vir honestus malit aliquam pecuniarum iacturam subire, quam postulare ut uxoris vel matris crimen prodatur.

Excipiunt quidam, si mater sit perditae famae; sed obstat, hic maxime, quod supra sub 2° dictum est (1).

CAPUT TERTIUM.

DE BONIS FAMAE ET HONORIS (2).

Fama (3) est — proprie multorum seu communis — exi- 515.
stimatio de alterius excellentia; **honor** est alienae excellentiae testificatio per signa externa.

Fama laeditur *interne* iudicio temerario etc., *externe detractione;* fama vera — quae vero nititur iudicio — detractione calumniante seu *calumniâ,* fama falsa *detractione simplici,* quae ordinarie voce detractionis, sine addito, intelligitur.

Honor laeditur *contumelia.*

I. In famam veram ius absolutum est, ut quis nim. 516.
ab omnibus, semper et ubique habeatur, qualis revera est. Hinc calumnia numquam licita esse potest aeque minus ac *mendacium* quo solo committitur, et quod — periniciosum saltem et maxime — est intrinsece malum.

II. In famam falsam ius limitatum seu conditionatum est, ut nim. veritas ei nociva non reveletur sine causa respective gravi. Respondet ei sc. obligatio iustitiae quidem — ita exigente bono communi, ut explicat De Lugo (4) — sed quae ante factum, culpabilis sc. laesionis, practice sequitur normam seu regulam charitatis; haec autem, quum ordinata sit oporteat, i. a. dictat innocentem reo esse praeferendum. Quare neque requiritur ut damnum vitandum, si de hoc agitur, sit aequale illi quod permittitur.

(1) Gury n. 732.
(2) Sporer Tr. V, Cap. IV, n. 630 sqq.
(3) In meliorem partem accepta.
(4) Disp. XIV.

III. Causae iustae laedendi falsam alterius famam petuntur ex religione, ex iustitia et praesertim ex charitate; atque commode ad quatuor reducuntur; bonum sc. 1° ipsius referentis, 2° audientium, 3° ipsius delinquentis, 4° communitatis vel reipublicae (1).

Resolves cum Marres (2), perverse agere eum, qui ne quid mali obveniat latroni, furi, pravo socio vel honestatis insidiatori etc., silentio suo committit, ut vita, fortuna, innocentia vel honestas aliorum periclitentur.

ARTICULUS I.

DE DETRACTIONE ET CALUMNIA.

517. I. Utraque est peccatum grave, quia notabile bonum laedunt. — *Duplici modo* committitur;

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens — *directe;*

Quid negat, aut minuit, reticet, laudatve remisse — *indirecte* famam alterius laedunt.

II. Species malitiae utriusque eadem videtur, quia idem bonum seu ius laeditur; sed gravitas calumniae ceteris paribus maior, ut patet, cui praeterea *accedit species* venialis peccati, *mendacii* (3).

Neque refert, probabilius saltem, *in qua materia* detrahatur, quia variae omnes materiae pertinent ad *unum obiectum morale* (4).

III. Grave peccatum requirit *materiam gravem* et supponit reapse *efficacem in ea laesionem,* quae, saltem quoad detractionem, iterum supponit revelari *rem occultam,* idque *de persona* aliquatenus *nota.* — Quae duplici paragrapho exponentur.

§ I. — *De Gravitate Materiae.*

518. Desumitur gravitas materiae non tam ex defectu vel delicto quae referuntur, quam potius ex damno quod infertur, Sc.

---

(1) Quas causas fuse exponit Sporer n. 701 sqq.
(2) N. 315, I.
(3) De Lugo Disp. XIV, n. 36.
(4) Cfr. Marres n. 324.

Regula generalis est: sive defectus narratus est mortalis, sive venialis, sive naturalis tantum, mortaliter peccatur quando notabiliter, venialiter quando leviter solum laeditur alterius fama. — Porro

Damni gravitas, praeterquam a gravitate defectus revelati, multum dependet:

1° *ex communi hominum iudicio* de re divulgata, quod varium in variis regionibus esse potest;

2° *ex conditione* seu auctoritate *detrahentis;*

3° ex personae *laesae integritate famae* in materia quae laeditur, eiusque *dignitate* qua in societate praefulget.

Resolves I. Generatim *veniale* erit revelare defectus *naturales* animi vel corporis, aut vitia venialia et communia, vel etiam mortalia sed tamen hominibus talis classis communiora. Contra vero **519.**

II. *Mortale* plerumque erit referre sacerdotem fuisse ebrium, esse puellarum amantem, aliave id genus. — Item

III. *Mortale* facile erit, si nihil speciale quidem dicas, sed eo modo generalia proferas, ut *audientes grave quid suspicari debeant;* si v. gr. de homine determinato et satis indicato loquens dicas te quaedam scire, quae si proderentur, illum magno opprobrio afficerent.

IV. Referre defectum, qui per se ad materiam gravem sufficeret, sed tamquam auditum ab aliis:

1° *mortale* erit, si ita refertur ut *vi ipsius narrationis* audientes moveantur ad credendum;

2° *veniale* si refertur tamquam res fide non digna, quia tunc audientes solum *ex sua ipsorum levitate* narrato fidem adhibere possunt; ideoque detractio est damni secuti occasio tantum, non causa efficax. — *Excipe,* si agatur de crimine enormi, cuius *sola suspicio* iam graviter diminueret famam. *Observes* praeterea, peccari *contra caritatem* pro ratione materiae gravius vel levius, idque dupliciter, respectu sc. et audientium quibus temere credentibus scandalum ponitur, et infamati cuius famae iacturae occasio datur.

V. Referre uni vel alteri tantum, prudenti et fidissimo, ulterius minime evulgaturo, defectum infamem:

1° Si fiat *solatii causa,* non ex mera levitate, satis consentiunt, non esse peccatum, vel summum veniale; quia iniuriâ affectus ad hoc doloris minuendi medium ius habere videtur.

2° Si fiat *absque ulla causa,* dissentiunt. *Communius dicunt esse mortale* quia a) apud personam gravem graviter quoque laeditur fama; et b) probatur a pari ex gravi malitia iudicii temerarii. — *Satis probabiliter tamen plures* docent generatim esse veniale tantum; quia — ad a) — cum fama constet communi aestimatione, apud unum tantum leviter laeditur; — ad b) — neque par et similis est ratio iudicii temerarii, quia in hoc habetur sceleris falsi vel saltem omnino incerti criminatio, sed in casu sola supponitur veri criminis manifestatio. Sic v. gr. a mortali excusant imprimis coniuges, virum et uxorem, inter se de alterius occultis criminibus confabulantes, modo absit periculum ne alteruter, uxor maxime, ulterius evulget. — *Excipe,* si censeri quis debet omnino rationabiliter nolle, ut diffametur apud illum unum, v. gr. superiorem, herum, benefactorem, seu generatim illum a quo multum dependet.

VI. Mortuis detrahere etiam pro rata materia peccatum est, quia sicut anima ita et fama manet. Sed etiam sicut tunc minus damnum infertur, cum mortui famâ minus indigeant, ita quoque minus peccatum committitur, quam in detractione vivorum.

520. Quaeritur, num plures detractiones leves in gravem materiam coalescant?

Resp. *Affirmandum* videtur, *si* de eadem persona apud eosdem fiant. At plerumque ad malitiam gravem non advertitur (1).

§ II. — *De Ignotis et Infamibus.*

521. Non detrahit, uti ex famae et detractionis notionibus sequitur, referens occulta de persona penitus ignota, vel non nominata persona. — *At* vero *si* persona ignota vel non nominata ita describatur ut 1° facile serius ocius cognosci possit;

(1) Le Lugo Disp. XVI, n. 46. — Minus recte vero Marres n. 424 videtur grave peccatum negare eo quod *ex communi aestimatione* illae detractiones non coalescunt.

vel 2° si minus facie, ex dignitate tamen, familia, negotiatione etc. cognoscatur; vel 3° ita ut infamia in talis personae familiam, communitatem etc. redundet, pro rata materia peccatur, eoque gravius quo maius et communius bonum violatur.

Detractio neque est, crimen iam notorium referre 522.
apud alios *iam scientes vel* sine dubio aliter nihilominus *brevi scituros.*

Quoad alios vero *nondum illud scientes* imprimis distinguendum est *notorium iuris* seu iure publicum, de quo per iudicis sententiam constat; et *notorium facti* seu facto publicum, quod sc. vèl palam seu coram multis contigit, vèl notitiâ constat ita evidenti atque, si non maiori communitatis parti, saltem tot vel talibus personis notum est, ut brevi et certo notorium futurum sit; quo posteriori casu dicitur etiam *famâ publicum.* — Rursus aliquando est *notorium respective* tantum, sc. respectu unius domus, collegii, communitatis, viciniae; aliquando *notorium absolute* seu respectu omnium eamdem saltem regionem vel civitatem incolentium. Quibus positis

Resolvendum I. Crimen notorium notorietate *iuris* ubi- 523.
que et quoquoversus sine iniuria vulgari potest. Est communissima. Neque peccari per se contra charitatem, secluso malo affectu et effectu seu alio novo damno, est commune. — Ratio 1^mi, quia infami fama auferri non potest; 2^i tum quia facinorosus ideo etiam damnatur ut sit exemplo aliis; tum quia ad bonum publicum expedit, ut unusquisque ab aliis cognoscatur, qualis publice est, ne alii in eius convictu, commercio vel aliter decipiantur. — Ob easdem rationes

II. Etiam crimen notorium notorietate *facti* in aliqua *communitate* vel vicinia manifestare aliis *eiusdem* communitatis vel viciniae, rei adhuc ignaris, non est peccatum, saltem grave. Ita communissime. Pariter

III. Crimen notorium notorietate *facti in uno loco* potest absque peccato, saltem gravi, aliis referri *in locis* vicinis vel commerciorum consortio *coniunctis, ita ut* ad illa loca cito et facile et quasi moraliter idem rumor sit perventurus. — *Num* vero liceat *in locis non ita coniunctis,* seu quo criminis notitia secus

non ita facile, vel non cito perveniret, dissentiunt. Communiter negant. Plures tamen probabiliter *affirmant, si* res est notoria *absolute* in aliqua civitate (1).

Quando diffamatus vitae emendatione vel criminis oblivione famam suam recuperavit, si quidem crimen notorium fuit notorietate *iuris,* iterum manifestari sine iniuria *potest,* quia divulgandi facultas a iudice tributa perseverat. *Non vero,* si notorium fuerit crimen notorietate *facti;* quia in casu reducta est res ad eum statum, quem habebat, antequam erat publica (2).

Minus etiam excusandi illi sunt, 1° qui alterum infamant in uno, etsi simul in alio facto laudant, vel statim addunt, poenitentiam esse actam; 2° qui infamatum in uno vel altero crimine etiam graviori, infamat de alio occulto sive eiusdem sive diversae speciei. — *Aliud esset,* si hoc aliud crimen valde affine vel annexum foret cum altero notorio; vel si ageretur de homine tam prostitutae famae, ut parum ipsi accedat infamiae, si aliud crimen etiam disparatum de eo dicatur.

Historicis, etsi et ipsi *peccant, occulta* hominum crimina propalando, quoad crimina publica tamen vel oblivione abolenda vel uno tantum loco cognita, evulganda ad posteritatem, multo plus licet quam aliis. Peccari autem per accidens potest ob scandalum inde secuturum, puta si quaedam delicta personarum ecclesiasticarum pandantur. Verum hodie, ob ingentem scribentium et archivia scrutantium numerum, plerumque talis manifestatio impediri nequit, ac proinde saepe praestat ut cum debitis cautelis a catholico fiat quam Ecclesiae adversario relinquatur. In recentioribus factis narrandis cavendum est a damno quod inde pati queant personae adhuc viventes (3).

COROLLARIUM: *De audiente et non impediente detractionem.*

524. I. **Audiens** qui positive et efficaciter cooperatur ad detractionem, interrogando, annuendo etc., pro rata materiae et influxus peccat *contra iustitiam.* — *Excusatur* tamen *a mortali,*

(1) De Lugo. D. XIV, n. 80.

(2) Id. ib. n. 77 et 85.

(3) Génicot n. 421 in fine ex Ball.-Palm. n. 71 sq. ed. 3ª n. 1097. et Lehmk. n. 1183.

qui ex curiositate vel levitate *privatim* crimen alterius expiscatur; aut qui putat detractionem exiguam fore, quando praeter eius opinionem detractor in gravem infamiam erumpat (1).

II. Qui solum de detractione, sed tamen ut detractio est, gaudet, peccat contra charitatem.

III. Qui gaudet, non de detractione ut detractio est, sed ob rei novitatem, mirabilem praxim, ob facundiam detrahentis tam lepide recensentis vel exaggerantis factum alterius summum venialiter peccat.

Non impediens detractionem *cum commode potest,* 525.

I. Si est superior peccat pro rata materiae *contra pietatem,* quia ipsi specialis incumbit obligatio impediendi peccata et damna subditorum. *Practice* autem saepius superior detrahentis quam infamati *commode* et efficaciter poterit impedire detractionem. — Neuter vero peccare contra iustitiam probabilius videtur; non superior detrahentis, quia non tenetur invigilare bono alterius non subditi; non superior infamati, quia ipsi non ex iustitia incumbit bono temporali subditi attendere (2).

II. Persona privata *theoretice* loquendo pariter *contra charitatem* peccaret, *si certo iniuste detrahentem commode et efficaciter* impedire posset; verum *practice,* tum quia dictae conditiones non ita saepe vere adsunt, tum quia hic eaedem excusant causae quae a praecepto fraternae correctionis liberant, resolvendum *aequales raro, inferiores vix umquam* peccare mortaliter. Quinimo saepe privati magis etiam infamato prosunt tacendo quam corrigendo detractorem. — *Attamen* prudenter tacentes possunt et aliquatenus debent indirecte *impedire* detractionem ostendendo displicentiam, discedendo, sermonem alio divertendo etc.

ARTICULUS II.

DE RESTITUTIONE FAMAE.

Regula. Detractio inducit obligationem iustitiae personalem restituendi *ipsam famam;* insuper et realem compensandi alia *damna realia* inde secuta, pro ratione materiae et 526.

(1) Cfr. n. 519, IV.

(2) N. 414, 1; aliter Sporer n. 733.

culpae commissae, efficaciter, utpote crimen *falso* impositum aperte retractando, aut *veri* criminis occulti evulgati opinionem prudenter corrigendo, saltem apud *immediate* audientes omnes.

527. Explicatur obligatio. I. Obligatio relate ad ipsam famam est personalis respectu tam laedentis quam laesi, ita ut neque transeat ad heredes detrahentis, neque sit erga heredes infamati. Ratio, quia fama est bonum personale, proinde etiam eiusdem laesio et inde orta obligatio.

II. Obligatio est pro ratione materiae et culpae. Hinc si neque materialis culpa est commissa (1), nulla est obligatio; si *sola materialis* culpa, obligatio est *praecavendi* damna secutura, in quantum *commode* fieri potest (2): si materia gravis, culpa *levis*, resolvendum secundum dicta n. 373.

528. Explicatur modus. I. Crimen *falso* impositum aperte retractandum est; hac tamen differentiâ: si *vir magnae auctoritatis* calumniatus est, satisfacit dicendo se errore deceptum falsum dixisse etc., *non tenetur* vere *cum iactura famae suae* dicere se mentitum esse; nam ex una parte talibus ita retractantibus facile creditur, ex altera autem parte iactura famae pro talibus esset damnum nimium excedens damnum reparandum, eo magis quia facile redundat in detrimentum commune. — *Alii* autem communiter *tenentur, si opus est,* etiam cum iactura famae propriae (3).

Insuper quando opus est, retractans *tenetur* etiam adhibere *iuramentum; num etiam testes,* dissentiunt. Sporer absolute *negat;* qui enim etiam iuranti credere nolunt, ipsis iam imputari debet iniuria falsae et vanae credulitatis; si enim homo retractans sit tam parvae fidei apud ipsos, eo ipso minus credere debebant infamanti.

Qui libro typis evulgato alterum calumniatus est, retractationem pariter typis evulgare debet.

Ignotus infamator ordinarie per alios famam proximi resarcire potest, obligatur tamen *se prodere, si* opus est; *quodsi* alius

(1) N. 516, II et III.
(2) N. 374.
(3) N. 463, seq. in fine.

pro auctore calumniae habitus de fama vel alias periclitatur, quid stricti iuris sit, resolvendum ex dictis n. 368.

II. *Simplex* detractor dicta *proprie* retractare nequit, ne mentiatur; sed reparare tenetur quantum satis est et potest. Potest, et si sufficiens et necessarium videatur, debet dicere, se male et iniuste locutum esse, non recte advertisse, errasse; aliisve etiam aequivocis verbis uti. Quae si non succedant, debet infamato aequivalentem aliquam famae compensationem praebere, utpote quoties occasio se offert, eum in eadem vel alia materia laudare, honorem ei deferre etc.

III. *Etiam* apud auditores *mediatos speculative et in rigore* loquendo fama reparanda est, saltem in defectu immediate audientium, *si* quis rem narravit volens vel praevidens audientes eam esse evulgaturos. Sed *in praxi* fatendum est, de facto communiter detrahentes *excusari* ab *hac* obligatione, tum propter impotentiam moralem, tum maxime quia detractor apud immediatos audientes retractando eo ipso censetur implicite id iis committere, qui, si non contradicant, censentur in se suscipere ut et ipsi hanc retractionem pariter apud alios evulgent.

ARTICULUS III.

DE IUDICIO, SUSPICIONE, OPINIONE ET DUBIO TEMERARIIS.

529. I. **Iudicium temerarium** est grave peccatum contra iustitiam, *si concurrant* sequentes conditiones, sc.: si sit 1° *firmum,* seu citra dubium; 2° *plene deliberatum;* 3° in re *gravi;* 4° de persona determinata et *cognita* (1); 5° innixum indiciis, quae ut *levia* et inepta ad iudicium formandum *apprehendantur.* Ratio, quia alias vel non esset proprie iudicium, vel non temerarium, vel non graviter iniuriosum.

Practice autem plerumque leve est ob defectum alicuius ex requisitis conditionibus. *Neque mortale* est, *si* iudicatur ex indiciis ad prudentem probabilitatem sufficientibus, quia haec a morali certitudine non adeo distat.

---

(1) N. 521.

II. **Suspicio** etc. temeraria saltem plerumque non sunt mortalia quia *gravem* non inferunt iniuriam. *Excipiunt* communius, si temere concipiantur de enormi scelere personae gravis et honestae. *Oppositum* tamen alii merito *probabilius* iudicant, ait Sporer de suspicione cui aequiparat dubium positivum; si enim adhuc est *suspicio*, semper manebit ex genere suo levis: quae ratio cum non quadret in *opinionem*, neque quoad hanc opposita haec resolutio admittenda est.

Per accidens mortalia sunt ob pravum *affectum*, maxime odii vel contemptùs, unde oriuntur vel quocum coniuncta sunt; vel ob pravum *effectum*, ad quem ducunt, uti iterum ad contemptum et inde indignam agendi rationem erga alterum — ad quod praecipue superioribus relate ad subditos attendendum est — ad detractionem, contumeliam etc.

530. **Dubia** I. de rebus non sunt necessario in meliorem partem interpretanda; quia in hisce iudiciis sola veritas respicienda est, nec ulla infertur iniuria.

II. De personis, *si* quis iudicare velit, dubia in meliorem partem sunt interpretanda. *At sufficit* a iudicando omnino abstinere. — *Ubi* tamen agitur *de damno vitando* vel remedio adhibendo, non quidem malum certo iudicare, sed ita se gerere quis potest, ac si alter culpae reus esset; nam prudentia suadet, ut malum et damnum etiam probabile tantum praecaveantur.

ARTICULUS IV.

DE CONTUMELIA.

§ I. — *Malitia Contumeliae.*

531. I. **Contumelia** negativa, seu omissio honoris exhibendi, *per se* et ordinarie est veniale, idque contra virtutem *observantiae*.

Quandoque tamen *per accidens* aequivalet positivae, cum nim. cedit in dehonorationem alterius apud alios, quod maxime accidit, si fiat ex intentione satis manifesta honorem alteri detrahendi; et tum est *contra iustitiam* aeque ac positiva.

II. Positiva contumelia — de qua deinceps sermo erit — est laesio honoris, et *fit* in praesentia vel quasi-praesentia patien-

tis illam 1° *verbo* per *contumeliam stricte* sumptam, qua obiicitur vitium culpae vel poenae, *convicium, improperium* et *maledictum;* 2° *lusu* per *irrisionem, illusionem* et *subsannationem;* 3° *facto* per *contumeliam realem,* qua quis ipso facto laeditur in persona propria vel admodum sibi coniuncta; 4° *scripto* per *libellum famosum.*

III. Omnes contumeliae praefatae et similes, quantum est *ex hoc capite et per se,* sunt 1° eiusdem speciei peccata, cum idem sit omnium obiectum formale; eaque 2° gravia ex genere suo.

Ad 1m. Saepissime autem aliunde et per accidens alia peccati species accedit, ut odium, contemptus, impietas contra Deum, parentes etc., vel aliae iniuriae, ut in homicidio, rapina, stupro, incestu; et *maxime detractio,* quae facile accedit vel *in ipso actu,* ut si alteri coram aliis crimen in faciem obiicias, vel *in effectu* ex eo quod per contumeliam illatam apud alios aufertur vel minuitur bona existimatio de inhonorato.

Ad 2m. Contumelia in se gravis fieri potest levis animo nolentis graviter laedere, vel ex conditione personarum. Sic convicia quibus se mulierculae et infimae sortis homines inter se dicunt meretrices, nebulones etc., ordinarie non sunt gravia. — Ita etiam omnis contumeliae ratio animo omnino nolentis laedere tolli potest. Hoc respectu

Notanda speciatim est *irrisio,* qua verbis vel factis alter ludibrio habetur, ut erubescat seu confundatur. Irrisio v. gr. *iocosa* de exiguo alterius defectu, ut *parum* confundatur per se nullum est peccatum, si nim. fiat ad honestam recreationem. Peccaret tamen contra charitatem, qui praevideret alterum id graviter laturum; utrum revera mortaliter peccaret, etiamsi iocus esset levis, dissentiunt; alii negant quia gravis verecundiae propria alterius insipientia causa foret; plures alii affirmant, quia tamen scienter proximus graviter contristatur, et saepe etiam gravium peccatorum causa datur.

§ II. — *Obligatio ex Contumelia orta.*

I. Quando contumelia privatim facta est, neque 532.
damnosa i. e. neque in aliorum notitiam culpâ honorem detra-

hentis pervenit, nulla *erit obligatio* restitutionis proprie dictae, sed solum *satisfactionis*, v. gr. veniam petendo; quia proprie damnum non est illatum (1).

II. At vero ordinarie contumelia coram aliis irrogata est damnosa, idque dupliciter, in ordine sc. tum ad honorem ab aliis exhibendum, tum ad famam seu bonam aliorum existimationem, unde iterum alia damna sequi possunt. *Quae omnia damna* in quantum satis praevisa sunt, *contumeliosus resarcire debet.*

533. Modus restituendi honorem ille requiritur et sufficit, qui secundum gravitatem et modum magis minusve publicum iniuriae illatae, qualitatem personarum, consuetudinem locorum aliasque circumstantias prudentis iudicio satis reparat honorem apud alios laesum.

Primus et efficacissimus modus est, coram aliis ab inhonorato veniam petere cum signo doloris; et maxime convenit inferioribus erga maiores, ac etiam aequalibus in casu gravissimae iniuriae irrogatae.

Secundus modus est, laeso notorie extraordinaria signa honoris et benevolentiae exhibere v. gr. salutando praevenire, locum honoratiorem tribuendo, ei vel aliis in sanitatem eius propinando etc., et maxime convenit inter aequales.

Tertius modus, competens maioribus et superioribus erga inferiores et subditos, est quaevis alias non solita honoris et benevolentiae signa laeso ostendere, ut salutatione, allocutione, beneficio aliquo speciali etc.

ARTICULUS V.

CAUSAE A FAMAE ET HONORIS RESTITUTIONE EXCUSANTES.

534. **Causae excusantes** sunt: I. Damnum non secutum, utpote quia audientes non crediderunt detractori, vel non intellexerunt, vel quia per alium corrigentem infamia impedita est; etc.

II. Damnum sublatum vel cessans, sive a) *positive* i. e. rei evidentiâ, morum probitate, aliorum testimonio, *iudicis*

(1) N. 354.

sententia, qua tamen *non semper* efficaciter reparatur *calumnia,* quando nempe suspicari adhuc audientes possunt, ideo tantum reum esse damnatum, quia calumniam probare non potuit: — sive b) *negative* sc. oblivione. Si tamen laesus *alia damna* accepit, ea *compensanda semper* sunt. Quod etiam ad sequentia est observandum.

Quando de hac oblivione *non satis constat,* maxima prudentia opus est, quia retractando quis alteri saepe noceret potius quam prodesset. Suadet De Lugo (1): « Ut detractor penset, quid prudenter vellet, qui passus est iniuriam, attentis circumstantiis praesentibus detractorem facere... consideret igitur, quid ipsemet vellet in eo rerum statu et circumstantiis secum fieri ». — Sunt etiam qui in casu, propter ipsum dubium de damno, negant omnem obligationem, saltem retractandi, quod sc. sine damno proprio et certo fieri non potest; cfr. S. Lig. n. 998, Lehmk. n. 1194, Marres n. 361.

III. Publicitas veri criminis aliunde profecta, quia tum ius ad famam in ea materia est amissum.

IV. Impotentia etiam *moralis;* ut si incurrendum esset periculum vitae, *nisi* tamen infamans alterum in idem discrimen coniecit; si propriae famae multo praestantioris damnum esset subeundum. — Non vero excusat quodlibet damnum temporale subeundum.

V. Condonatio etiam rationabiliter praesumpta. — Qui autem fama sua indiget ad aliorum utilitatem, valide quidem sed illicite eius reparationem condonaret.

VI. Compensatio mutua, quando nim. mutuo alter alterum laesit, et alteruter restituere recusat. Haec est communis sententia et omnino probabilis, fatetur Sporer; quamquam veriorem cum pluribus habet contrariam opinionem ob peculiarem *huius* debiti rationem et inde differentiam ab aliis debitis. Attamen

Ad V et VI. Puto ego, ait Sporer n. 743, communiter homines, maxime plebeios, inter se excusari a restitutione famae: cum enim plerumque sciant, ab aliis passim detrahi neque unquam restitui, nec ipsi restitutionem exigant, censeri possunt sibi invicem

(1) Disp. XV, n. 35.

velle remittere debitum restituendi, aut certe velle uti mutua compensatione. Hoc tamen in particulari ex circumstantiis personarum prudenter iudicandum.

Certo tamen *per se* non licet *infamare infamantem;* sed solum per accidens, indirecte et per modum defensionis aliquando licet; quando nim. id iuvat ad enervandam alterius detractoris fidem, vel etiam, ut Sporer admittit cum De Lugo (1) ad alterum compellendum ut ab infamando desistat, vel famam laesam reparet.

Appendix de Violatione Secreti (2).

535. **Secretum** distinguitur quadruplex:

I. Naturale, quod oritur ex ipsa rei natura, quae nempe sine damno proximi manifestari nequit. Huius servandi obligatio est ex iustitia, adeoque gravis ex genere suo; sed cessat ob gravem causam, ut n. 516 dictum est, *modo* ex revelatione ne immineat damnum publicum.

536. II. Promissum secretum dicitur, quod quis gratuito servare promisit, *postquam* rei notitiam iam acceperat. Potest esse simul naturale, quod pendet ab eius materia. *Ut promissum* obligat ex fidelitate vel iustitia, uti de promissione dictum est.

Haec promissio etiam iurata non obligat; 1° quando aliunde, ex lege divina vel humana, adest obligatio rem revelandi, v. gr. ex charitate, ex praecepto superioris *legitime* interrogantis. Promittendo enim nemo se eximere ab aliis obligationibus potest. — 2° Quando vitandum est incommodum tale, quocum quis noluisse se obligare censeri debet. Sed

537. Quaeritur, quid si quis secretum *promisit* servare etiam cum vitae periculo?

Resp. Controvertitur. — 1. Plures putant promissionem non ita stricte obligare, quia is, cui facta est, non potest alterum cum tanto onere obligare, obstante charitate.

2. Plures alii censent, promissionem esse servandam, quia cum res promissa honesta sit, potest quis se ita obligare. — In hac

(1) lb. n. 48.
(2) Sporer l. c. n. 673 sq.

opinione supponendum est, agi de secreto rei admodum gravis; cum secus promissio esset prodiga, adeoque invalida (1).

III. Commissum audit secretum, quod cum eius notitiam 538.
nondum habente communicatum est sub conditione expressa vel tacita secreti servandi. Obligat itaque ex contractu oneroso, adeoque graviter in re gravi, in quantum ipse committens licite illud celare potest, ita quidem ut per se nec ipsi iudici interroganti revelari possit. Cuius ratio praeter contractum est ipsum bonum commune, quod nim. postulat ut ne metu revelationis homines priventur commodo consilii vel auxilii necessarii quaerendi (2). — Patet secretum commissum fere solum intelligi illud, quod cum altero ob aliquam necessitatem communicatur.

Cessat haec obligatio, quando ex secreto servato imminet grave damnum vel reipublicae, vel ipsi secretum committenti, vel alii innocenti *quem* secretum committens *iniuste* vexat (3).

Advertendum *strictius* obligari, adeoque difficilius a servando secreto excusari eos, quibus *ratione officii,* quo funguntur, secreta committuntur, quam alios, puta amicos, propinquos. Item omne secretum commissum eo gravius obligare, quo maioris momenti est ut celetur. At

Quaeritur, num etiam cesset obligatio secreti commissi, si 539.
ipsi cui commissum est, grave damnum immineat?

Resp. 1. Affirmandum satis certo videtur, si damnum immineat ex iniuria ipsius committentis.

2. Extra hunc casum controvertitur. — Alii negant, quia ipse committens non tenetur se prodere. Alii affirmant, quia nemo praesumitur cum tanto onere se obligare voluisse; quod maxime probabile videtur, quando agitur de secreto omnino libere absque ulla necessitate alteri ut amico commisso.

1. Excusat ab omni secreto servando 1° consensus etiam 540.
praesumptus illius, cuius interest secretum celandi; 2° rei divulgatio aliunde profecta.

---

(1) Ballerini ad Gury n. 470.

(2) Id. ib.

(3) De Lugo Disp. XIV, n. 142; Billuart App. ad Diss. XV; Lehmkuhl n. 1197.

2. A mortali, excusat 1° levitas materiae; 2° inadvertentia non graviter culpabilis.

3. Quaeritur, num grave sit, secretum commissum uni vel alteri tantum sub eodem secreto prodere?

Resp. Satis communiter negant, *modo* 1° prodens satis certus sit alterum secretum esse servaturum. At valde timendum saepe erit, ne ille alter non sit magis fidelis, quam qui illi ita secretum prodit; 2° aliud damnum inde ne nascatur; 3° ne prodatur secretum illi, quem prae ceteris committens illud celari voluit (1).

541. IV. Extortum dicitur secretum, cuius notitiam *iniusto* medio quis acquisivit.

1. Exquirere secretum alterius inviti absque causa est peccatum iniustitiae. Quod fit *facto* nim. observando ex occulto loco quae alii secreto agant; *verbis* dolose interrogando eum, cuius est secretum; *litteras* alienas aperiendo, aut apertas sed secreto repositas, vel alia secreta scripta legendo.

2. Licet litteras alienas legere 1° cum consensu, etiam rationabiliter praesumpto, aut scribentis aut accipientis epistolam; 2° ad avertendum damnum proprium vel alterius, quod ex ipso litterarum secreto imminet; 3° ex auctoritate legitima.

3. Quaeritur num iustitiam laedat, qui litteras dilaceratas et proiectas colligit, fragmenta iungit et legit?

Resp. Alii negant, quia proiiciens censetur fragmenta habuisse ut derelicta; alii affirmant, quia econtra dilacerans satis ostendit se nolle, ut quis litteris illis uti possit; alii distinguunt prout fragmenta minora sunt vel maiora.

542. Quaeritur num quis secreto iniuste extorto uti possit ad grave damnum sibi imminens praecavendum, si ex eius usu etiam illi, cuius est secretum, grave malum est oriturum?

Resp. 1. *Affirmat Lessius* (2) pro casu, quo quis metu gravis mali cogitur secretum prodere; idque probabile iudicant Salmant. (3). Ratio: 1° non maior est obligatio ex delicto quam ex

(1) N. 519, V.
(2) L. II, C. XI, Dub. VIII, n. 55.
(3) Tr. XIII, C. IV, P. V, n. 65.

contractu; 2° re iniuste ablata quis tamen uti potest in extrema necessitate; 3° malum alterius non sequitur ex prodentis sed ex prodere cogentis malitia.

2. *Affirmat Molina* (1) pro solo casu, quo *damnum multo maius*, quam quod permittitur, est vitandum, *et cum onere compensandi minus* damnum alteri secutum; utrumque secundum principia de restitutione facienda vel omittenda.

3. *Plures, i. q. Sporer, absolute negant*, quia secreto utens admissam iniuriam iteraret (2).

4. *Alii tandem distinguunt;* affirmantes si res ad eum statum deducta est, quo *iam liceret* alterius secretum *exquirere;* ut si is, ad quem spectat secretum, iniuste vexat habentem eius notitiam; secus negantes (3).

CAPUT QUARTUM.

DE BONIS FORTUNAE.

ARTICULUS I.

DE FURTO GENERATIM (4).

I. **Furtum** in latiori sensu — de quo in VII Decalogi prae- **543.**
cepto, et pro foro conscientiae si de sola malitiae specie quaeritur — est *quaelibet* laesio alieni iuris stricti in bonis *fortunae. Sensu strictiore* est *iniusta rei alienae occupatio.* Plerumque addunt: *invito rationabiliter domino;* quod alii sub voce « *iniusta* » intelligunt.

II. *Spectato modo,* quo committitur, distinguitur furtum simplex, quod occulte, absente vel ignorante domino; et rapina, quae fit praesente et positive nolente domino, vi adhibita. — Rapina furto speciem addit iniuriae *personae,* et quandoque etiam eius honori illatae. Quo respectu fieri potest, ut quis venialiter

(1) Tr. IV, D. 37, n. 13.
(2) Sanchez *Cons. mor.* L. VI, C. VI, Dub. II, n. 6.
(3) De Lugo Disp. XIV, n. 101 sq.; S. Lig. n. 969; Carrière n. 973.
(4) Sporer Tr. V, Cap. V, n. 779 sqq.

peccet in genere furti, mortaliter vero in genere contumeliae, et vice versa. — Porro vis adhibita, quae rapinam constituit, intelligitur non solum physica, sed etiam moralis seu metus quilibet iniustus.

III. *Materia spectata et loco* attendendum praeterea est ad furtum *sacrilegum,* sc. rei sacrae vel e loco sacro.

IV. Ceterum vero ex communi sententia omnes iniuriae in bonis fortunae, *ut tales,* sunt eiusdem speciei moralis, atque a furto non differunt 1° iniusta damnificatio; 2° contractus damnosus, iniustus vel non impletus; 3° ablatio rei a possessore legitimo, sive haec fit a domino rei, sive ab alio.

544. I. Materia gravis furti alia statuenda est absoluta, quae sc. *semper* sufficit ad peccatum mortale, *absque respectu ad conditionem domini* ditioris vel egentioris. Ratio: si a ditissimis vel a republica summam satis notabilem furari veniale esse posset, nimis multiplicarentur talia furta; unde maximum damnum immineret societati et ipsis ditissimis. Quod periculum vitari non potuit, nisi prohibitione gravi talium furtorum. — Alia relativa. Ratio; ad ipsam naturam furti requiritur ut dominus sit rationabiliter invitus, sed de ablatione rei aequalis rationabiliter magis invitus est pauper quam dives.

Porro secundum mentem Sporer pro nostro tempore (1):

II. Materia *absolute gravis* dicenda est summa 12-13 florenorum (2).

III. Materia *relative gravis* generatim est illa quae sufficeret ad sustentationem (victu, amictu et habitatione computatis) unius diei tali personae, cui ablata est, eiusque familiae (3); *speciatim* vero

1° respectu a) pauperum, b) operariorum c) opificum, respective a) 0. 20, b) 0.30—60, c) 0.90—1.20 fl.; sed cum Marres potius dicimus: respective circiter a) 1, b 2—3, c) 4 *franci;*

2° respectu mediocriter divitum 3 fl. (secundum Waffelaert 10 fr.); respectu divitum 5—6 fl. (secundum Waffalaert circiter 20 fr.).

---

(1) Cfr. Waffelært n. 215.

(2) Marres n. 164: 20-25 fr.; Waffelært 40 fr.

(3) Cfr. S. Lig. n. 527.

Nota 1. *Furari cum intentione statim vel cito restituendi* 545. non videtur peccatum grave per se loquendo, cum brevis illa detentio parum detrimenti domino afferat, nisi per accidens in aliquo raro casu (1).

2. Auferre rem quam scitur vel probabiliter putatur *dominus parum curare,* item pro rata minus est peccatum, in quantum sc. et quia dominus est minus invitus saltem quoad rem ipsam, etsi forte non quoad modum.

3. Econtra quo magis dominus erga rem peculiarem ablatam est affectus, eo magis augetur peccatum, hoc tamen in specie malitiae non contra iustitiam, sed charitatem.

Furta domesticorum. — I. Pro uxoribus et filiis 546. familias 1° omnes multo maiorem, multi *duplo maiorem* materiam requirunt; quia paterfamilias est minus vel minus rationabiliter invitus. — Quae materia *in furtis minutis iterum duplicanda* est; n. 549.

2ª Imo uxoris filiorumve surreptiones *saepe ne furta quidem* dici possunt, quia paterfamilias non raro vèl nequaquam vèl solum de modo invitus est. — In praxi attendendum ad naturam rerum quae, ad finem quo surripiuntur, ad personarum conditionem.

3° Posito vera furta esse commissa, hic maxime pro obligatione restitutionis advertendum, an non excuset *condonatio* cum ratione praesumpta.

4° Post mortem parentum filiusfamilias, qui coheredibus *notabiliter* nocuit, hisce restituere debet, nisi vèl horum vèl parentum condonationem praesumere possit.

II. Quoad famulos passim resolvunt;

1° *In esculentis et cibis ordinariis,* quae caute servari non solent, ad mortale non perveniri, *modo* ab ipsis famulis consumantur, et proin ne vendantur, neve e domo auferantur.

2° Si vero furentur *pecuniam vel res sedulo custoditas,* non maior pro iis requiritur ad mortale materia, quam pro extraneis. Ratio utriusque patet.

---

(1) De Lugo Disp. XVI, n. 40

547. Quaeritur an licita sit lignatio in sylva aliena?

Resp. I. Si sylva sit alicuius *Communis,* incolae illius, qui contra prohibitionem ligna caedunt, *non peccant, nisi* magnam faciunt stragem; talis enim prohibitio censetur pure poenalis. — Idem dicendum de lignatione in sylva Communis vicini, si hoc taceat solis poenis contentum, quas a lignantibus deprehensis exigit.

II. Si sylva sit alicuius *privati,* aut Communis quidem sed a privato conducta, ille qui caedit ligna in ea, *furtum committit.* Hoc tamen intelligendum videtur de lignis *viridibus;* mortua enim et sicca non videntur curare domini sylvarum, censenturque pauperum usibus concedere, sicut et quasdam arbusculas minoris momenti.

Quod dictum est de lignatione in sylvis, *idem dicendum est de pastione animalium in pascuis.*

ARTICULUS II.

DE FURTIS MINUTIS.

548. **Furta minuta** I. coalescere possunt ad gravem materiam, sive in damnum eiusdem facta sunt, quod absolute certum; sive in damnum diversorum, quod cum communi, contra paucos, pro certo tenendum est ob rationem ex bono communi petitam, ut n. 544, I.

II. Coalescunt reipsa 1° posito quocumque intervallo, si patrata sunt *animo* summam notabilem congerendi; — quodsi, sine hoc animo, solum reapse quantitas notabilis in se vel in aequivalente detinetur, saltem contracta dicenda est gravis obligatio eam non detinendi: verum in hac hypothesi fur complens gravem materiam mortale peccatum tamen vitabit, si vel tunc restituere non possit, vel animum habeat paulo post restituendi ea saltem quae tunc accipit. Busemb. apud S. Alph. n. 533, et cfr. S. Alph. n. 533.

2° Si non intercedat sufficiens *intervallum.*

III. Ut non coalescant, eo brevius intervallum sufficit, quo minor est ablata singulis vicibus quantitas. « Magis mihi arridet saltem requiri interpolationem duorum mensium, dum agitur de materia proxima gravi (1) ».

(1) S. Lig. n. 530.

Maior quantitas hic requiritur ad materiam gravem. 549.

I. Si furta facta sunt *eidem,* ex Sporer (1) minimum dimidia parte, secundum alios *duplo maior.*

II. Si *diversis,* secundum satis communem, *saltem* duplo maior.

III. Praeterea observandum eo maiorem quantitatem requiri, quo maiora intercedunt intervalla, et — ad II — quo maior est personarum laesarum numerus. Quodsi valde multi sunt laesi, admitti poterit cum Ballerini (2) spectandam adeoque duplicandam esse materiam *absolute* gravem.

Furto levis materiae graviter peccare quis potest: 550.

I. *Per errorem* facti vel iuris, ut pueris praesertim contingit.

II. *Ob grave damnum* domino secuturum vel lucrum cessaturum. Erit peccatum grave iniustae damnificationis.

III. Quando scienter quis *complet gravem materiam:* n. pr. — Sed

Quid si *completa* gravi materia, novum furtum minutum addatur?

Resp. Idem numero peccatum augeri et *continuari* videtur, *itàque* interne mortaliter quamvis externe venialiter peccari. Alii aliter loqui potius quam sentire videntur (3).

IV. *Per intentionem accumulandi* materiam gravem. Diversa tamen furta, nisi prava voluntas interea fuerit retracta, in *unum* peccatum mortale coalescunt, quia per ipsam illam intentionem moraliter uniuntur.

V. Quando plures *communi consilio* singuli quid leve furantur ita ut simul ad gravem pertingant materiam.

Quaeritur num *pariter* sub gravi ad restitutionem 551.
teneatur, qui pluries minuta *damna* intulit?

Resp. I. Affirmandum, si damnum illatum est eidem personae, licet damnificator graviter non peccaverit. Ratio: tenetur reparare totum *damnum;* hoc autem est grave; ergo. — Sunt qui obligationem gravem negant, sed supponentes intercessisse inculpa-

(1) N. 820.
(2) Ad Gury n. 611, nota c).
(3) Cfr. Gury, n. 612.

bilem errorem vel ignorantiam quoad *valorem* totalis damni; vid. Lehmk. n. 968; Génicot n. 519. Cfr. n. 376.

Nota: quae exposita sunt de materia gravi vel de coalescentia in gravem in furtis, etiam in haec damna cadunt.

II. Negatur probabilius, si diversis personis damna illata sunt. Ratio, quia hinc nemo grave damnum accepit, illinc damnificator re aliena non ditescit (1); quare nec timendum periculum illud, quod societati immineret *ex parvis furtis* multiplicatis, si graviter non prohiberentur; quod *periculum* est *sola vera ratio* illius *gravis prohibitionis* (2).

ARTICULUS III.

DE CAUSIS A FURTO EXCUSANTIBUS.

Causae excusantes seu, rectius dicendo, efficientes ut rei alienae occupatio non sit furtum, duae sunt: necessitas et compensatio occulta.

§ I. — *De Necessitate.*

552. I. Extrema *stricte* necessitas dicitur ea in qua *vita proxime* periclitatur. — *Latius* ea etiam, in qua graviter et in longum saltem tempus periclitatur aliquod ex iis bonis, quae natura voluit esse omnibus communia: uti sanitas, libertas, membrorum maxime praecipuorum integritas, fama; dicitur quoque quasi-extrema vel gravissima; cui *praeterea aequiparatur* necessitas *gravis*, quando haec, nisi subveniretur, *ad extremam duceret.*

II. Gravis ea dicitur, in qua vita valde molesta agitur, vel in qua bonum magni momenti periclitatur, ut status iuste acquisitus, officium valde lucrativum vel honorificum.

III. Communis est, in qua passim pauperes mendicantes versantur.

553. Resolutiones — I. Extrema necessitas excusat a furto; est certum et commune. Ratio: ius naturale quemque obligat ad

(1) Gury n. 666.
(2) N. 544.

vitam servandam; ad hunc finem res externae potissimum sunt creatae; quisque igitur a natura ius imo officium habet iis ad hunc finem utendi. Huic itaque iuri et obligationi derogare nec voluit, nec potuit ius humanum quo bonorum divisio nititur. In extrema ergo necessitate omnia sunt *ad usum* communia.

II. Idem probabilissime et communius docent de necessitate quasi-extrema; haec enim ab extrema moraliter vix differt.

III. Necessitas gravis non excusat. Est communissimum et certum; deficit enim ratio supra allata (1). — *Merito tamen* putat de Lugo (2): « Si autem res levis sit, quae accipitur, aliquando licite accipitur ob necessitatem non gravem [non gravissimam, ex contextu] v. gr. si ad vitandum dolorem gravem capitis non diuturnum, sed diurnum vel biduanum, indigeas uno pane, qualem dominus facillime dare posset, non videtur tibi negandum ius ad illum accipiendum, si dominus *rogatus* dare nollet, vel de hoc dubites ».

Ad I et II. 1. Rem magni pretii, qualem nempe domi- **554.**
nus non teneretur ex charitate dare, in extrema vel gravissima necessitate *licite occupari,* satis communiter concedunt. Indigens enim non eget consensu domini, sed proprio iure utitur. Quare etiam dominus ipse ius indigentis laederet, si eum *vi* a necessariis occupandis impediret.

2. Rem valde exquisitam seu pretii extraordinarii, quacum communiter necessitas vitari non solet, *non posse licite surripi,* videtur communis opinio, saltem si de gravissima tantum necessitate agitur. Ratio: ius indigentis non est extendendum ultra eius necessitatem; atqui necessarium non est, ut tali medio vitam servet: ergo.

Attamen si *vere extreme* quis indiget, id etiam licere probabiliter sentit S. Lig. aliique. Ratio: quisque non quidem obligationem sed tamen *ius* habet, ut rebus etiam pretiosis vitam servet.

3. Quaeritur, num extreme indigens rem alienam, etiam non rogato domino capere possit, an prius petere debeat?

(1) Hinc damnata ab Innocentio XI propositio 36: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Denz. n. 1053.

(2) Disp. XVI, n. 156.

Resp. Distinguendum est, et *affirmandum,* ad priorem partem, *si* haec res peculiaris est *absolute* necessaria, quia alia obtineri non potest, vel non sufficeret; secus negandum. — Quare *pauperes,* qui mendicando necessaria sibi comparare possunt, *nequeunt surripere aliena.* — Sed

Quid si virum *honoratum valde puderet* mendicare vel laborare, an potest ex alienis sibi providere?

Resp. « Affirmant [plures contra nonnullos]. Hocque probabilius mihi videtur, si pudor mendicandi esset tantus, ut potius ille mortem subire vellet (1) ». — Haec tamen opinio, utpote periculosa, in praxi potius post factum quam ante inserviat.

4. Quaeritur num quis possit surripere aliena ad aliorum extremam necessitatem sublevandam?

Resp. Communiter affirmant. Limitat Sporer n. 867 cum aliis ad eos qui non possunt commode ex suis ipsorum bonis succurrere. At non immerito observat Ballerini (2): « neque lex charitatis postulare videtur, ut quis semet potius gravet, quo aliis parcat ». Hinc saltem de consensu indigentis potest quis, per se loquendo, potius ex alienis, quam ex suis, indigenti providere (3).

555. Transacta necessitate I. restituere debet

1° qui rem non consumpsit, sed *superstitem* habet;

2° qui rem *contractu dominium transferente* acceperat. — Aliud probabiliter et communius resolvunt de eo qui consumpsit rem, quam *antea* sive delicto sive contractu dominium *non* transferente acceperat.

3° qui bona sibi *propria vel spem* ea obtinendi habebat; quia huic sufficiebat rem mutuo accipere.

II. Non tenetur pauper absolute, i. e. *re et spe* talis (4).

§ II. — *De Compensatione occulta.*

556. Compensatio occulta, quae nim. fit rem sibi *debitam* occulte capiendo, aut aequivalens ex bonis debitoris vel auferendo

(1) S. Lig. n. 520.
(2) Ad Gury n. 618.
(3) Cfr. De Lugo Disp. XVI, n. 173 sqq.
(4) Cfr. n. 461, 1, nota 2.

vel retinendo, ex communi iusta et licita est, dummodo adsint debitae conditiones, sc.:

I. Ut habeatur ius strictum, liquidum et certum — Sunt tamen, qui eam licitam reputant, quando *dubium* versatur non de facto, quod certum supponitur, sed *de iure;* ita ut v. gr. certo infamato liceret pro fama, quae non reparatur, sibi compensare pecuniâ. Quae opinio, quam praeter alios et Lessius (1) sequitur, in praxi videtur nimis periculosa, quare saltem *ante factum non suadenda* (2).

II. Ut aliâ viâ debitum recuperari non possit, vel non sine gravi incommodo.

III. Ut sumatur res in eadem specie, si fieri possit.

IV. Ut praecaveatur damnum debitoris, sc. iterata solutio, si praevideatur; monendus sc. esset debitor, si tamen absque gravi incommodo fieri posset. — Quod debitor per se monendus est, ne maneat in peccato, hoc ad *charitatem* pertinet.

V. Ut fiat sine damno tertii, ideoque in *re debitoris propria,* quae *neque* sit *in iusta possessione alterius,* uti commodatarii, conductoris etc. — Damnum tertii cui surreptionem imputatum iri praevidetur, *charitas* praecavere iubet.

Nota 1. — Ad I. 1° *Qui cum dubio iure* compensatione 557.
usus est, ad restitutionem tenetur ut possessor qui cum dubia fide rem alienam occupavit; n. 417 et 556, I.

2° Qui *compensatione* bona fide *peracta* dubitare incepit, manente dubio restituere non tenetur.

3° Famuli etc. qui certo pretio operam suam locarunt, non possunt occulta compensatione uti ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod accipiunt. Agerent enim contra pactum (3). — *Attamen* famulus *iniuste coactus* ad consentiendum in salarium infra iustum; vel cui *iniuste* imponatur opera *praeter pactum* laborem, sine iniustitia compensatione utitur. Nec enim famuli peioris sunt conditionis quam quilibet alii.

(1) Lib. II. C. XI, Dub. XXV, n. 36.

(2) Cfr. Lehmkuhl n. 939.

(3) Prop 37ª ab Innoc. XI damnata: *Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.* Denz. n. 1054.

2. *Ad retentionem rei alienae* in compensationem quod attinet, 1° *ius naturae* ex communiori et probabiliori *non obstat,* quia frangenti fidem fides frangatur eidem; 2° *obstat* vero *ius civile* quoad rem *deposito* vel *commodato* detentam; art. 1465, 2°.

ARTICULUS IV.

DE TRIBUTORUM DEFRAUDATIONE (1).

558. I. **Tributa** dicuntur quaecumque cives ex lege solvunt, ut ad communem necessitatem vel utilitatem contribuant. Alia sunt directa quae immediate *personas* afficiunt (2), alia indirecta quae immediate *res* afficiunt, et determinatis lege occasionibus solvenda sunt.

II. Conditiones iusti tributi sunt 1° *auctoritas* in imponente; 2° *iusta causa,* sc. communis civium necessitas vel utilitas; 3° *debita proportio* tum quoad onera imposita, tum quoad commoda ex solutis tributis praestanda.

III. De obligatione *ex lege naturali,* vi cuius cives ea contribuere tenentur sine quibus societas existere nequit, *dubitari non potest;* haec autem est iustitiae legalis, non commutativae. Cfr. n. 560.

559. Legis civilis est determinare quantum et quando a singulis civibus sit solvendum. In iure autem recentiore distinguuntur obligationes solvendi et declarandi.

I. Obligatio solvendi non adest nisi quota tributi solvendi fuerit legali modo definita; tunc autem fiscus ut creditor actione civili a cive ut debitore tributum solvendum petere potest; neque *hoc respectu* distinguitur inter tributa directa et indirecta.

II. Quoad obligationem declarandi ut legalis illa definitio obtineatur, 1° saepius leges imperant, ut cives ipsi res suas tributis *praesertim indirectis* subiectas declarent, fisci custodes vero res omissas aut fraude celatas investigent, et deinde ex officio cuiusque obligationem definiant; 2° nonnumquam vero ut magi-

---

(1) Sporer l. c. S. VI, n. 918 sqq.

(2) Grond, Personeele, Vermogens, en Bedrijfsbelasting. Reliqua sunt indirecta.

stratus tantum absque ulla civis declaratione hanc quotam definiant; 3° quandoque libera optio inter utramque viam civibus datur. — Contra illos vero qui *praescriptam declarationem* omittunt, edicitur poena, propter quam actio criminalis aut poenalis intendi potest (1).

Resolvitur I. Obligatio declarandi poenalis haberi potest, tum quia *consuetudo,* optima illa legum interpres, ita has leges interpretatur; tum quia imposita fraudantibus poena *exorbitans* videtur. Quare 560.

Inquietandi non sunt, qui neque mendaciis neque periurio usi in omittendis vel celandis quibusdam rebus tributo subiectis, sive in modo res illas declarandi sequuntur communiter receptam consuetudinem.

II. Obligatio solvendi — quam n. 558, III iustitiae legalis ex lege naturali asseruimus — *lege civili,* contra plerosque alios, cum multis recentioribus (2) nobis *probabiliter pro foro conscientiae neque aucta neque mutata* in obligationem *strictae* iustitiae videtur. Atque cum Génicot l. c. observamus: « Frustra quidam AA. recentes (3), ut tributa hodie e stricta iustitia solvenda esse demonstrent, recurrunt ad tacitum contractum quem populus faceret eligendo eos qui tributorum leges ferrent; unde cives ad ea solvenda tenerentur perinde ac si mandatum dedissent alicui ad expensas suo nomine faciendas. Nam facultas quae electoribus datur ad designandas personas quibus insit potestas legislativa, non mutat naturam legum quae ab istis feruntur, neque magis in tributa solvenda quam in reliquas leges servandas consentit populus. Quin et universalis persuasio, qua in nostris regionibus existimant cives eas leges esse mere poenales, liquido ostendit quantum ab eorum mente absit huiusmodi quasi-contractus ».

« Sequitur *per se non peccare* (4) qui tributa defraudant, merces nullo vectigali soluto in regionem inferunt, et similia. *Ple-*

(1) Marres n. 198.

(2) Ball.-Palm. I, n. 146; Crolly, De Just. et J. t. 3, disp. 8, dub. 14; Frassinetti t. I, diss. 7; Berardi, Prax Conf. nn. 1651 et 3155: Bucceroni, I, n. 232; confer Génicot I, n. 574. Edit. 1ª n. 564.

(3) Marres n. 196; Waffelaert n. 419.

(4) Supponimus obligationi, in quantum est ex lege *naturali,* satisfieri.

rumque tamen in malo statu versantur qui huiusmodi fraudibus *habitualiter* operam praestant; sive ob animum quem gerunt sese etiam adhibita vi et caede contra exactores tributorum tuendi, sive quia se ac familiam suam, sine sufficienti ratione, periculo infamiae et inopiae exponunt ».

« *Practice* igitur ad restitutionem non tenentur qui tributa fraudarunt, nisi qui exactores corruperunt ne tributa exigant, quae isti, ob officium susceptum, exigere tenentur (1) ».

« NB. *Cavendum* ne inter tributa reponantur ea quae Statui solvenda sunt ob quasdam operas quas Status in favorem singulorum praestandas suscipit, ex. gr. in personis, mercibus, litteris vehendis. Hic enim verus contractus initur. Haberi tamen possunt tamquam mere poenalia plurima statuta quae ab administratoribus feruntur, ex. gr. ne litteris inserantur pecuniae, ne litterae mercibus transvehendis apponantur, ne cum eadem tessera *(retourkaartje)* unus ad aliquem locum via ferrea tendat, alter ab eodem redeat, etc.... Communi [praxi et] consensu omnium, etiam administratorum, factum est ut huiusmodi statuta serventur ad modum legum civilium, quibuscum magnam affinitatem habent. Non esset ergo restitutioni obnoxius nisi qui in ipso contractu quem init fraudem adhiberet ».

Nota tandem ea, quae de vi legum civilium in hac materia diximus, pro praxi confirmari iis quae mox dicentur.

561. **De tributis dubie iustis.** — I. Quaestio *iuris*: num leges tributariae obligant in dubio positivo de iustitia earum?

Resp. Quidam affirmant; quidam solvendum esse dicunt pro rata dubii; alii absolute negant ut *verius* (2), *multo probabilius* (3), *probabilissimum* (4), *commune* (5), *communissimum* (6).

Et contra eam, quae hic unica est difficultas, sc. in dubio praesumendum esse pro iustitia legis, arguunt et *probant* 1° *ex circumstantiis,* « quae praesumptionem illam magna ex parte extenuant, [quia nempe] *experientiâ constat* multa tributa de facto iniusta a probis et prudentibus censeri (7) ». 2° *Ex ratione,* tum quia in dubio de iustitia legis favendum est ei, de cuius damno

(1) Cfr. n. 441.
(2) De Lugo Disp. 36, n. 91.
(3) Sanchez *Cons mor.* L. II. C. IV. n. 5.
(4) Sporer n. 930.
(5) Id. ib., item Lessius L. II, C. 33, Dub. 8.
(6) S. Lig. n. 617.
(7) De Lugo n. 90.

agitur, seu quia hic secus ac in aliis legibus agitur de damno subditi; tum quia hic subditi magis agunt ut debitores erga creditorem quam ut subditi erga superiorem (1).

II. Quaestio *facti:* num reipsa de iustitia legum tributariarum, *si collective sumantur*, cum ratione dubitari saltem potest? 562.

Resp. I. Recentes AA. ii, qui hanc quaestionem sibi ponunt, satis omnes affirmant. Porro testimonium De Lugo, idque de sensu, ipsius tempore, communi, iam n. pr. sub 1° relatum est. Idem testatur Billuart (2): « Tot enim, inquiunt [graves AA.], conditiones requiruntur.... ut in tanta tributorum multitudine, qua his temporibus gravantur populi, merito praesumatur, quaedam esse iniusta, plura incerta et dubia ».

II. Ad mutatas hodie circumstantias si attendamus, cum èt maiora sint onera guberniorum, èt periculum cessaverit, ne tributorum proventibus Principes in privatum commodum abutantur, putamus quidem, hoc ex capite, minori hodie quam antea, attamen etiamnum satis cum ratione dubitari. Cfr. Vermeersch n. 126.

Nota. Positis quae hoc et pr. n. dicta sunt, opus iam non est de *singulorum* tributorum iustitia inquirere; cum is qui *iam satis* se contribuisse prudenter iudicat, cuiuslibet tributi, etiam in se non iniusti, solutionem licite effugere possit. — Nihilominus tum propter extraordinariam quantitatem, saltem pluribus in casibus, solvendam, tum propter iuramentum quod exigitur, specialem mentionem facimus

De tributo successionis (3). In quod apprime quadrant ea quae tradit Sanchez (4) ad quaestionem, num tributum iustum 563.

---

(1) Id. ib.

(2) Diss. IX, Art. VII, § II.

(3) Lex 13 Maii 1859; 28 Maii 1869; 9 Iunii 1878. I. *Solvendum* est (praeter 38 « *opcenten* » et praeter tributum translati per mortem dominii « *recht van overgang bij overlijden* ») 1 %, 3 %, 4 %, 6 % vel 10 % pro variis circumstantiis; art 41. — II. Emittendum est, ordinarie saltem, *iuramentum* idque 1° *assertorium* quo generatim asseveratur declarationem « *aangifte* » factam talem esse qualem lex exigit; et 2° *promissorium* quo promittitur declaratum statim et solutum iri pro iis quae *postea* comperientur non vel non rite fuisse declarata; art. 28, cfr. sqq. — Quodsi cum Marres supponas hanc legem obligare in conscientia, vide apud ipsum n. 209 sqq. dubia et difficultates, quae inde oriri saepius possunt.

(4) *Cons. Mor.* L. II, C. IV, Dub. XIII.

et solvendum sit, si *decem pro centum* exigantur. Si itaque quaedam solummodo pro natura nostri tributi *verba* mutemus, haec diceret A. l.:

Quando petitur ad herede, ut sub iuramento declaret quantum acceperit, ut solvantur 10 % *iniuste interrogatur*, et sic non tenetur totam aperire veritatem, sed potest dicere: «non accepi nisi quinque vel quatuor», cum acceperit decem, intelligens intra semetipsum: «ita ut tenear solvere». Hanc sententiam tenent viri docti ex recentioribus (1).

Nota. Haec Sanchez de iuramento *assertorio;* quae, ut patet, applicari possunt et iuramento *promissorio.* Alia tamen quoad hoc posterius moveri posset difficultas, sc.:

Quid si quis in iuramento promissorio usus non fuisset restrictione mentali, sed simpliciter promisisset se postea integre secundum legem esse soluturum?

Resp. Hanc difficultatem AA., quod sciam, non tangunt. Equidem secundum dicta n. 183 resolvo, non oriri obligationem.

ARTICULUS V.

DE ONERE SERVITII MILITARIS IN ALIOS REIECTO.

564. I. **Servitium militare,** in quantum iusta lege regitur, praestandum est, id autem ex iustia legali, non commutativa, ut art. pr. de tributis solvendis dictum est.

II. Lex conscriptionis coactae num iusta sit, difficile est diiudicare. Neque tamen dixerim praesumptionem stare pro eius iustitia; quia conditiones ad hoc requisitae non ita facile adsunt.

Etenim ut iusta haberi haec lex possit, supponendum est 1° numerum iuvenum conscriptum, seu *tantum* quantum de facto colligitur *exercitum esse vere necessarium;* idque eo vel magis quod exercitus ultra necessitatem auctus non solis iuvenibus conscriptis, sed ipsi etiam societati variis sub respectibus facile nocet potius quam prodest.

(1) Cfr. De Lugo Disp. 36, S. IV. n. 44 sq. ubi cum aliis idem resolvit, si tributum putetur excessivum, «licet subditus periurio usus fuerit, et ideo mortaliter peccaverit».

Supponendum est 2° numerum militum vere necessarium *obtineri alia via non posse,* puta salario aliisve praemiis alliciendo voluntarios; non enim sine urgenti necessitate tot iuvenes maximo libertatis bono — ut alia praeteream — privari possunt, idque eo minus quod servitio militari generatim minus apti censendi sunt milites coacti quam voluntarii.

Neque obstaret, quod ideo *tributa augenda* forent, tum quia communiter cives praesumi debent malle aliquanto plus contribuere pecuniâ, quam ut iuvenes inviti servitio militari addicantur; tum quia facilius onus aequa proportione inter omnes cives distribuitur per tributa, quam per conscriptionem, qua prae ceteris gravantur familiae habentes iuvenes servitio militari aptos. Quibus omnibus consideratis, cum Aertnys (1)

Concludo: 1°. « Ubi *omnes prorsus* cives, nisi legitimam exemptionis causam afferant, militare coguntur, *videtur certo iniusta* ».

2°. « Ubi conscriptio fit *per sortes* ad *determinatum* numerum militum complendum pro exercitu permanente, *res in dubio est* ».

Resolvo: certi peccati *per se* damnandi non sunt qui servitio militari se subtrahunt, nisi forte ratione medii, si nempe medio in se illicito usi sunt (2). — Verum ubi non omnes sed sorte designati ad militiam vocantur, manet

Quaestio, num sorte designati, neque secundum le- 565.
gem excusati sese subtrahendo iustitiam strictam laedant respectu eorum, qui ipsorum loco vocantur?

Resp. I. Negari probabilius videtur, si vèl 1° revera *ineptos se reddant,* vèl 2° magistratus aut medicos *ita decipiant* ut ipsi inepti declarentur. Ratio: huiusmodi agendi modus damni aliorum non tam causa quam occasio dicenda est; vera causa est sola lex.

II. Maior difficultas est, si magistratus vel medicos *corrumpendo* efficiant, ut inepti declarentur; quia sicut ipsi corrupti

(1) N. 380.

(2) Quaestio nequaquam est de iis qui lege superiore exempti sunt, ut clerici, religiosi, vel qui familiae alendae prorsus necessarii sunt; qui omnes fraudando ius suum certum prosequuntur. Cfr. id. ib.; Génicot. n. 576.

ita et corrumpentes iniuste agere videntur. — Attamen a) *non constat de iure stricto* ab ipsis corruptis laeso, nisi summum erga rempublicam, erga quam sc. ex contractu tacito obligantur (1), non vero *erga alios qui ad militiam vocantur* (2). Si admittatur corrumpentes obligari, non tamen obligati videntur nisi post corruptos seu in horum defectu (3).

III. Affirmandum certo tum solum est, si magistratus vel medicos decipiendo aut corrumpendo id *directe* egerunt et effecerunt, ut alii vèl *inepti* vèl *ex lege exempti* declararentur apti et obligati. Horum enim certum ius libertatis in casu directe peteretur (4).

Nota. Quodsi quis sese a servitio militari quovis modo subtrahat, sed, ut fit, *ex condicto cum illo qui ipsius loco* vocabitur, eum neque in III hypothesi, minus in I et II, peccare opinor. Tum enim solum subterfugitur onus servitii *personalis* — quo respectu lex satis certo mere poenalis haberi potest — idque absque alterius iniuria. Qua ratione vel ipsos magistratus aut medicos ad hoc cooperantes non peccare puto.

IV. Nota ad I et II. *In praxi,* etsi opinio affirmans praeferatur, « sapientissimum erit, non valde urgere iuvenes, qui praedictis mediis a militia sese liberarunt. Plerique enim nequaquam committi iniustitiam putant, et alioquin raro monitis obtemperarent (5) ».

Appendix de Virtutibus Iustitiae annexis.

Praeter Religionem et iustitiam distributivam ac legalem sunt aliae non paucae virtutes quae, utpote *ad alterum,* ad iustitiam ut partes potentiales referuntur; cf. n. 2 sq. — De praecipuis pauca.

---

(1) Cfr. Lehmkuhl n. 988.

(2) Marres n. 225 obligationem deducit ex eo quod sortitio rationem habet contractus aleatorii. Foret contractus sine libero, vel imo sine ullo consensu.

(3) Aliter tamen Haine II, pag. 165, eo quod corrumpentes directe commodo fruuntur.

(4) Cfr. Lehmk. l. c. 5; Waffelaert n. 443.

(5) Gury n. 755.

§ I. — *De virtutibus quae debitum legale praestant* (1).

I. **Pietas** respicit *principia nostri ortus*, atque virtus est, 566.
qua parentibus, patriae et sanguine iunctis officium et cultus praestatur. Sc. primarie respicit parentes ut proximam ortus nostri causam: dein redundat 1° in patriam, qua praestatur facultas convenientis educationis; 2° in consanguineos propter coniunctionem ortus communis; atque sic extenditur in coniuges et liberos. — Relatio ad parentes spirituales etiam recte pietas dicitur, attamen alterius ordinis (2).

II. **Observantia**, pietati similis, virtus est qua honor et ob- 567.
sequium alteri praestatur *propter quamdam excellentiam*, imprimis gubernationis actualis, tum aptitudinis ad eam. — In relatione filiorum ad paternam potestatem haec observantiae virtus a pietate absorbetur. — *Distinguitur* politica et religiosa; haec est alia naturalis alia supernaturalis.

III. **Obedientia** virtus est quae inclinat ad subiectionem et 568.
conformitatem erga voluntatem superioris, qui praecipere potest — alii dicunt: praecipientis. — Obedientia *formalis*, seu ex motivo obedientiae, numquam exigitur. — Inobedientia *materialis* in quolibet peccato committitur. De eius infima specie vide Tom. I, n. 88, I. — De inobedientia formali vide ib. n. 128, I.

§ II. — *De virtutibus quae debitum morale praestant.*

I. **Gratitudo** est virtus qua gratiae habentur et referuntur 569.
benefactori. Eius tres sunt actus et gradus; acceptum beneficium 1° agnoscere, 2° laudare et gratias agere, 3° compensare pro facultate et circumstantiis; in quibus omnibus semper magis attendendum ad affectum benefacientis, quam ad effectum beneficii. — *Ingratitudinis* pariter tres sunt gradus oppositi gradibus gratitudinis. Committitur dupliciter: 1° per omissionem, 2° per commissio-

(1) Lehmkuhl, Comp. n. 330 sqq.
(2) Cfr. Tr. de IV° Praec. Decal.

nem. sc. a) retribuendo mala pro bonis, b) beneficium acceptum vituperando, c) illud aestimando maleficium, quod omnium extremum est.

Ingratitudo *per omissionem* per se plerumque *veniale* est; at fit mortale, si fiat ex interno contemptu, aut si omittatur aliquid ex necessitate secundum regulas charitatis debitum.

Ingratitudo vero *per commissionem* plerumque peccatum *mortale* est, quia ordinarie malitiam et internum contemptum admixtum habet. Ceterum sicut in aliis ita et hic excusat imperfectio actus et levitas materiae (1).

570. II. **Affabilitas et comitas** procurant, ut conversatio grata et decens sit, spectata conditione personae, i. e. neque nimis blanda neque asperior. Quodsi potissimum in *alloquio* spectatur, affabilitatem habes; si in *actionibus* et officiis; comitatem. — *Officium* earum est, proximo sese cum moderatione accommodare, idque *in rebus seriis;* nam si ludus et animi recreatio spectatur, eutrapeliam habes.

Peccata contraria sunt 1° blanditiae et *adulatio,* quae omnia in aliis laudat, atque ubique, etiam contra rectam rationem, sese accommodat; 2° *morositas,* quae parum se accommodat, ubique difficilem se praebet aliisque contradicit. *Utrumque* per se peccatum *veniale* tantum est; nihilominus ex adulatione non raro peccata gravia fiunt (2).

571. III. **Liberalitas** affectum pecuniae moderatur — et sic est temperantiae annexa — atque hominem promptum reddit ad eam expendendam — itâque est iustitiae annexa.

Peccata opposita sunt 1° *avaritia;* 2° *prodigalitas,* quae bona distribuit a) iis quibus non oportet, b) plus quam oportet, c) in res, in quas non oportet; per se peccatum *veniale* tantum est; quamquam mortale peccatum facile potest adiungi (3).

572. IV. **Veracitas** vult et procurat veritatem in signis. De cuius opposito fusius dicendum est.

---

(1) Sporer Tr. III. in IV^m^ Decal. Cap. V in fine.
(2) Lehmkuhl I, n. 774.
(3) Id. ib. n. 775.

§ III. — *De Mendacio.*

Mendacium I. definiri solet: *locutio contra mentem.* **573.** Sc. ad illud concurrunt 1° locutio seu enuntiatio falsi, 2° deliberata voluntas dicendi falsum. Cum autem enuntiatio falsi, *naturâ suâ* seu ex fine *operis* tendat in deceptionem proximi, hinc voluntas dicendi falsum necessario includit fallendi voluntatem *implicitam.* — At neque deceptio proximi, neque intentio *explicita* fallendi pertinent ad essentiam mendacii; uti patet exemplo rei qui sciret iudicem nosse suum crimen, sed tamen illud negaret, ne convinci posset.

Hinc S. Bonaventura (1): « mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi... non idem est fallere quod decipere; sed idem est fallere, quod falsum dicere. Unde sensus est: cum intentione fallendi, h. e. falsum dicendi ». Et Scotus (2); « prolatio [verborum] cum conscientia oppositi, et per consequens cum intentione fallendi ». — Unde resolves:

II. Mendacia non sunt 1° dicere falsum quod *a dicente putatur verum* — sed tamen dicere verum quod putatur falsum, est peccatum mendacii, etsi proprie mendacium non sit; — 2° dicere *ex ioco* aperte, ipsis audientibus, falsa; — 3° locutiones ironicae et hyperbolicae, quibus verba *revera* ad aliam significationem transferuntur; — 4° locutiones cum restrictione *late* mentali; n. 575; — 5° locutiones *vere* amphibologicae seu aequivocae; ib.

III. Distinguitur mendacium triplex: 1° iocosum, 2° officiosum, 3° perniciosum seu damnosum.

Malitia I. Omne mendacium, proprie dictum, est in- **574.** trinsece et absolute malum, ita ut nullo casu licitum esse possit. Est unanimis SS. Patrum, et fere unanimis theologorum.

Probatur ratione intrinseca ex eo quod omne mendacium necessario continet hanc voluntariam deordinationem contra ius na-

---

(1) In Sent. III, D. 38, art. unic. Q. V. ad 4.m Edit. Quaracchi, Tom. III, pag. 851, 4.

(2) Sent. III, Dist. 38, Q. unica, n. 6: « *Aliter dicitur* »; edit. Vivès Paris. tom. XV pag. 871.

*

turale, quod verbis seu locutione, concessa et instituta ad exprimenda et cum aliis communicanda mentis iudicia, abutitur quis ad finem contrarium.

Sunt quidem, sed paucissimi, inter theologos, qui contradicunt vel saltem probabile putant mendacium officiosum, seu ex causa admissum, esse ab omni peccato immune. Sed ob iam dictam rationem errare dicendi sunt (1).

II. Mendacium, in quantum opponitur *veracitati*, est veniale tantum.

575. I. Praecepto affirmativo veracitatis, sincere loquendi, adversantur per se aequivocatio et restricto mentalis. Ab hoc tamen praecepto excusat quaelibet causa rationabilis, nisi aliunde existat gravis obligatio candide veritatem aperiendi, uti ex religione, ex iusto superioris praecepto.

II. Aequivocatio seu amphibologia habetur, quando eadem locutio duplicem habet sensum, vèl utrumque aeque communem, vèl unum magis, alterum minus communem; quorum unum intelligit loquens, sed alterum ab audientibus accipi permittit.

---

(1) Falluntur vèl 1° quod censent hanc doctrinam ab uno alterove ex SS. Patribus esse traditam cum nemo ex iis hoc docuisse demonstrari possit: sed ea quae hac in re obscure ab eis dicta sunt, satis cum doctrina communi aliorum SS. Patrum conciliari queant. Vèt 2° quod in nonnullis exemplis in S. Scriptura occurrentibus aut viderunt mendacia, ubi probabiliter non sunt; aut si mendacia supponantur, putarunt ea referri ut immunia ab omni peccato, quod tamen nequaquam necessario est admittendum. Vèl 3° quod cum mendacio proprie dicto confuderunt locutiones cum restrictione late mentali vel aequivocas, et inde dicta a SS. Patribus vel theologis de hisce locutionibus perperam applicari posse putarunt mendacio. Vèl 4° quod — supponentes, vitio logico, id quod probandum foret, quodque supra refutatum est, nim. mendacium non esse intrinsece et absolute malum; et — ponentes intrinsecam mendacii malitiam vèl in hoc quod tendit in deceptionem, vel in voluntate explicita fallendi, perperam illud compararunt cum aliis actionibus, quae quidem per se sed non ita absolute et necessario sunt malae, verum esse possunt licitae — quales sunt occisio proximi, gestatio habitus laicalis a clerico etc. — et quod consequenter immerito mendacio officioso applicarunt principium ab omnibus admissum de causa habente duplicem effectum, unum bonum, alterum malum, itàque pro sua nova doctrina auctoritatem omnium scholarum allegarunt. — Vide Nouv. Revue Théol. T. XIII a^{i} 1881, pag. 479 sqq.; T. XIV, a^{i} 1882, pag. 258 sqq. — Palm. ad Ball. II, pag. 747 sqq., ed. 3^{a} n. 1051 sqq.; Génicot. n. 415. sqq. Et pro doctrina hic reiecta Mélanges Théol. Sér. VI, pag. 410 sqq.; atque V. d. Velden T. I, App. IV.

III. Restrictio mentalis habetur, quando verba expressa habent sensum generalem, sed quem loquens ad sensum magis determinatum mente restringit; ita ut mentem suam partim verbis exprimat, partim celet. Quodsi id quod loquens non exprimit verbis, ex modo vel usu loquendi vel ex aliis circumstantiis percipi *potest,* restrictio dicitur late seu improprie, si secus pure seu stricte mentalis.

Unde intelligitur restrictionem *pure* mentalem coincidere cum *vero mendacio, — late* mentalem cum *aequivocatione.* Intelligitur etiam aequivocationem et restrictionem late mentalem non continere eam intrinsecam et absolutam deordinationem, quae mendacio inhaeret; quare etiam utraque per se ex iusta causa fit licita, secundum dictum sub I.

IV. Casu autem quo interrogans ius habet ad veritatem plenam, usus tum amphibologiae tum restrictionis, quae abstrahendo ab hoc interrogantis iure dici posset late mentalis, vèl est verum mendacium, vèl certe ad illud est referendum, eiusque malitiam participat.

FINIS.

INDEX ANALYTICUS.

THEOLOGIA MORALIS DECALOGALIS

DE IURE ET IUSTITIA.

Notiones praeviae . . . . . *Pag.* 3

Tract. I. De iure in re.

Sectio I. **De dominio.** 13
Cap. I. **Dominii notio et obiectum** 13
Cap. II. **Dominii subiectum** 18
Art. I. De filiis familias minorennibus 19
Scholion de iure parentum in bona filiorum 21
Art. II. De coniugibus 23
§ I. De regimine legali 23
§ II. De pacto nuptiali 27
§ III. De regimine conventionali 29
§ IV. De uxore speciatim 32
§ V. De communionis solutione 33
Appendix de binubis et alienigenis 34
Art. III. De personis iuridicis 36
§ I. De corporibus moralibus 38
§ II. De institutis 45
Appendix de regno 47
Sectio II. **De aliis iuribus realibus** 48
Cap. I. **De possessione** 48
Cap. II. **De usufructu** 51
Cap. III. **De usu et habitatione** 54
Cap. IV. **De servitute** 55
Cap. V. **De iure superficiei** 57
Cap. VI. **De emphyteusi** 58
Cap. VII. **De censu reali et decimis** 59
Sectio III. **De modis acquirendi dominium aliaque iura realia** . 60
Cap. I. **De occupatione** 61
Art. I. De animalium occupatione 62
Art. II. De thesauro invento 63
Art. III. De rebus amissis 66

Cap. II. **De accessione**. . . . . *Pag.* 68
Cap. III. **De praescriptione** 70
Art. I. De praescriptione acquisitiva 71
§ I. De re immobili, censu, debito creditori inscripto 71
§ II. De rebus mobilibus 76
Art. II. De praescriptione liberativa 78
Cap. IV. **De successione hereditaria** 80
Art. I. De successione generatim 81
§ I. De hereditate adeunda 81
§ II. Iura heredum 82
§ III. Onera heredum 83
Art. II. De successione legali 86
§ I. Quinam heredes ab intestato 86
§ II. Quo modo heredes legales vocantur. 87
§ III. Quo ordine ex lege veniunt consanguinei 88
Art. III. De successione testamentaria. 90
§ I. Testamenti notio et divisio 90
§ II. Conditiones requisitae ex iure civili. 92
§ III. Quomodo testamentum possit rumpi, mutari, corruere . . 99
§ IV. De legatario ex firmo testamento 100
§ V. De testamento irrito 102
Coroll. de herede testamentario et ab intestato 105
Cap. V. **De traditione** 106

Tract. II. De contractibus.

Sectio I. **De contractibus generatim** 108
Cap. I. **Contractus notio et divisio** 108
Cap. II. **De conditionibus contractus firmi** 111
Art. I. Consensus contrahentium 112
§ I. De conditionibus consensus 112
§ II. De impedimentis consensus. 115
Art. II. De habilitate ad contrahendum 119
§ I. De minoribus, interdictis et uxoribus 119
§ II. De debitoribus 122
Art. III. De materia et causa contractus. 123
Cap. III. **De effectibus contractus** 130
Art. I. De effectu contractus puri 131
Art. II. De effectu contractus non-puri 132
§ I. De conditione 132
§ II. De modo. 136
§ III. De contractu ad diem seu terminum 137
§ IV. De contractu disiunctivo seu alternativo 137
§ V. De contractu cum clausula poenali 138
§ VI. De iuramento promissorio contractui adiecto 138
Art. III. De contractu invalido 141
Scholion de contractuum cessatione 145

Sectio II. **De contractibus in specie** . . . . . *Pag.* 146
CAP. I. **De promissione** 146
CAP. II. **De donatione** 148
Art. I. Notio donationis 148
Art. II. Conditiones ad donationis valorem vel firmitatem. 153
Scholion de donatione nuptiali 155
Art. III. De iuridica donationis rescissione 162
CAP. III. **De emptione et venditione** 163
Art. I. Conditiones emptionis et venditionis. 163
Art. II. De iusto rerum pretio 167
Art. III. De effectu emptionis et venditionis. 170
Art. IV. De obligationibus venditoris. 171
§ I. De obligatione venditoris quoad vitia rei 171
§ II. De obligatione rem tradendi 173
§ III. De obligatione praestandi evictionem 174
Art. V. De obligationibus emptoris 175
Art. VI. De quibusdam emptionis et venditionis speciebus 177
§ I. De venditione cum pacto iure redimendi 177
§ II. De venditione iurium incorporeorum 178
§ III. De auctione publica seu venditione sub hasta 180
§ IV. De emptione et venditione per proxenetas 182
§ V. De monopolio 184
Appendix de permutatione. 185
CAP. IV. **De locatione et conductione** 186
Art. I. De locatione et conductione rerum 186
§ I. De obligationibus locatoris 187
§ II. De obligationibus conductoris 187
§ III. De cessatione locationis et conductionis 188
Art. II. De locatione et conductione famulorum et mercenariorum . . 189
§ I. Obligationes heri 192
§ II. Obligationes famulorum et mercenariorum. 196
§ III. Cessatio contractus 198
Art. III. De contractu operis perficiendi 200
Art. IV. De rebus expediendis vel transvehendis. 202
CAP. V. **De deposito** 203
Art. I. De deposito proprie dicto 203
Art. II. De sequestro 204
CAP. VI. **De commodato** 204
CAP. VII. **De mutuo** 205
Art. I. De mutuo simplici. 205
Art. II. De mutuo cum pacto de auctario 208
CAP. VIII. **De censu** 213
Art. I. De censu perpetuo 214
Art. II. De censu vitalitio. 215
CAP. IX. **De cambio** 216
CAP. X. **De societate** 217
CAP. XI. **De mandato** 220

Cap. XII. **De contractibus aleatoriis** . . . . . *Pag.* 222
Art. I. De assecuratione 222
Art. II. De ludo 225
Art. III. De sponsione 227
Art. IV. De sortitionis contractu 227
Cap. XIII. **De contractibus subsidiariis** 229
Art. I. De fideiussione 229
Art. II. De pignore 231
Art. III. De hypotheca 233
Cap. XIV. **De transactione** 234
Appendix de compromisso 235

Tract. III. De iniuria et restitutione.

Sectio I. **De iniuria et restitutione generatim** 236
Cap. I. Iniuriae et restitutionis notio 236
Art. I. De iniuriae notione 236
Art. II. Restitutionis notio, obligatio, tituli 237
Art. III. De re accepta 239
Art. IV. De iniusta damnificatione 243
§ I. De certa damni causa 243
Punctum I. De culpa theologica 246
Coroll. Quid intentio nocendi efficiat 249
Punctum II. De culpa iuridica 251
Coroll. Quid si contractus interveniat 252
§ II. De dubia damni causa 254
Art. V. De iniusta cooperatione 255
§ I. De mandante 256
§ II. De consulente 258
§ III. De consentiente 260
§ IV. De palpone 261
§ V. De recursu seu de receptatore 262
§ VI. De participante 262
§ VII. De causis negativis 264
Cap. II. **De restitutionis obiecto** 266
Art. I. De possessore bonae fidei 266
Art. II. De possessore dubiae fidei 269
Art. III. De possessore malae fidei et damnificatore iniusto 272
Art. IV. De restituendi obligatione in solidum 280
Cap. III. **De circumstantiis restitutionis et solutionis** 283
Art. I. Cuinam restituendum? 283
Art. II. De restitutionis et solutionis ordine 285
§ I. Ordo inter creditores 285
§ II. Ordo inter debitores solidarie obligatos 289
Art. III. De restitutionis et solutionis tempore 291
Art. IV. De restitutionis loco et impensis 294
Art. V. De restitutionis et solutionis modo 296

Cap. IV. De causis a restitutione vel solutione excusantibus . . . *Pag.* 297
Art. I. De causis omittendi 297
Art. II. De causis differendi 299
Scholion de debito dubie soluto 303
Sectio II. **De iniuriis et restitutione in specie** 304
Cap. I. **De bonis animi naturalibus et supernaturalibus** 304
Cap. II. **De bonis corporis** 306
Art. I. De homicidio et mutilatione 306
§ I. De occisione innocentis in genere. 306
§ II. De occisione malefactorum 306
§ III. De occisione aggressoris iniusti 307
§ IV. De duello 309
§ V. De restitutione ob iniustum homicidium et mutilationem . 310
§ VI. De abortu, craniotomia et acceleratione partus. 313
Art. II. De stupro 316
§ I. De stupratoris obligatione praecipue in ordine ad matrimonium stupratae 316
§ II. De obligatione stupratoris speciatim ratione prolis 323
Art. III. De adulterio 324
§ I. Quid seu pro quibus iniuriis, et quibusnam restituendum . 324
§ II. Quis restituere tenetur? 325
§ III. Quando et quomodo restituendum 326
Cap. III. **De bonis famae et honoris** 227
Art. I. De detractione et calumnia. 328
§ I. De materiae gravitate. 328
§ II. De ignotis et infamibus. 330
Coroll. de audiente et non impediente detractionem . . . 332
Art. II. De restitutione famae 333
Art. III. De iudicio, suspicione, opinione et dubio temerariis. . . . 335
Art. IV. De contumelia 336
§ I. Contumeliae malitia. 336
§ II. Obligatio ex contumelia orta 337
Art. V. Causae excusantes a restitutione famae et honoris 338
Appendix de violatione secreti 340
Cap. IV. **De bonis fortunae.** 343
Art. I. De furto generatim 343
Art. II. De furtis minutis 346
Art. III. De causis a furto excusantibus 348
§ I. De necessitate 348
§ II. De compensatione occulta 350
Art. IV. De tributorum defraudatione. 352
Art. V. De onere servitii militaris in alios reiecto 356
Appendix **de virtutibus iustitiae annexis.** 358
§ I. De virtutibus debitum legale praestantibus. 359
§ II. De virtutibus debitum morale praestantibus 359
§ III. De mendacio 361

APPROBATIO.

Cum opus, cui titulus: " **Compendium Theologiae Moralis auctore Fr. Eugenio Cornelisse Ordinis Fratrum Minorum** „ Provinciae Hollandiae filio, ac S. Theologiae iamdudum lectore iubilato, de mandato Nostro a duobus confratribus, pariter S. Theologiae lectoribus iubilatis, revisum atque apprime doctrinae fidei morumque catholicae consonum sit iudicatum, facultatem hisce facimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

Datum Romae ex Curia Nostra Generalitia in Collegio Nostro Internationali S. Antonii Paduani, die 4 Octobr. S. P. N. Francisco sacra, anno Domini 1908.

F. Dionysius Schuler
Minister Generalis totius Ord. Fr. Min.

Nihil obstat.

Florentiae, die 2 Iulii 1909.

Can. Fridericus Lapini, *Censor.*

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae ex Curia Archiepiscopali,
die 3 Iulii 1909.

Can. Alex. Ciolli, *Vic. Glis.*

WITHDRAWN

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.C67 C001 V002
COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS QUARACCHI
3 0311 00044 1720

BX
1758
.C67
v.2

48082

Cornelisse, Eugenio

AUTHOR

COMPENDIUM THEOLOGIAE ~~MORALIS~~

TITLE

DATE LOANED

48082

~~14108~~

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

3 0311 00044 1